Jc VIII 35
314

H.c
19
324

P. Alexander procuravit.

DISSERTATIONUM
JURIS ECCLESIASTICI GERMANICI

SUCCESSIVE EDITARUM

A

P. PHILIPPO HEDDERICH,

MIN. CONV. PRESBYT. Ss. THEOL. DOCT., Ss. CANONUM
PROF. P. & O. CONSIL. ELECT. ACAD. ASSESS. CONSIL. ECCLES.
ACT. & LIBRORUM CENSORE ORDINARIO

VOLUMEN I.



Ex ſpeciali Licentiâ Electorali Academicâ.

BONNÆ,

Sumptibus JOAN. FRID. ABSHOVEN, Bibliop. & Typog. Acad. 1783.

In refutandis aliorum Argumentis 1.) *cavendum, ne quis prodat suos Affectus vel cum* animi acerbitate *Refutationem instituat, licet vel maximè aliquando Adversariorum thesis* Censura acriori *digna videatur: Nam nihil magis scriptum aliquod commendat, quàm* modestia. 2) *Videndum, ne* aliam *ipsi* affingamus mentem, *quàm revera est, in quo ut plurimum peccari solet, testantibus id publicis scriptis.* 3.) *Ne Sophismata in Subsidium vocemus aut* Cavillatoriis *aut alias obtortis utamur interpretationibus; sunt enim nonnulli adeò fervidi in* Disputando, *ut sui quasi immemores magis* cavillari *quàm* disputare *videantur.*

Justus Henningius Boehmerus *in Manuduct. ad Methodum conscribendi Dissertationes* pag. 111.

Staatliche Bibliothek Bamberg

Habet ſuos nervos ſapiens & ratione temperata Diſputatio: & famæ ipſorum ſuæ illi Auctores malè ſanè conſulunt, qui ne ſcripta ſua langueant Adverſarios ſuos dicteriis & maledictis inſectantur . . . reſipiſcere deberent benè multi hodierni Scriptores, qui nunc etiam intra ipſa Eccleſiæ catholicæ ſepta contentione tantâ animorum decertant, ut eos crederes malevolentiæ potiùs eſſe magiſtros quippe cùm quid Deo, quid ſuæ & Adverſariorum famæ, quid pudori & honeſtati debeant, penitus oblivisci videantur, & victorias ſuas non rationum pondere, ſed conviciorum acumine metiri; qui ſiquid aliquid veræ laudis hâc via conſequi ſe poſſe exiſtimant, multum falluntur.

BOSSUET *defenſ. declar. Cleri gallicani.*

Flocci faciendæ sunt Convitiatorum Criminationes, qui nomen, studia ac labores nostros Verbis maledicis scurrarum more & velut è plaustro petulantissimè insectati sunt, longissimè autem absumus, ut respondere lubeat calumniatorum dicteriis hominibus Christianis longè indignissimis, quin eam legem serio perpetuoque ipse mihi dixi, ut siquid ejus furfuris ex-homines (& ex-religiosi) omni penitus honestatis sensu vacui in me effutiverint, ne legere quidem velim, nobilissimum temporis otium utilius collocaturus. Ceteros autem viros quosque bonos amicósque rei litterariæ obtestamur, ut favere Conatibus nostris, ut soliti sunt hactenus, porro pergant.

KLUPFELIUS Ord. Ss. Aug. Author Bibliothecæ Ecclesiasticæ Friburgensis Volum. VI. Facisculo 14. ed. 1782.

CONSPECTUS
DISSERTATIONUM IN HOC TOMO CONTENTARUM.

I. *Dissertatio juris Ecclesiastici publici de Potestate Principis circa ultimas Voluntates ad causas pias earumque Privilegia.*

II. *Dissertatio juris Ecclesiastici publici ad Concordata Germaniæ de non vulneranda Regula Cancellariæ de Viginti, dum Beneficia in favorem resignantur.*

III. *Dissertatio juris Ecclesiastici publici ad Concordata Germaniæ de jure devoluto, si Capitulum Ecclesiæ Cathedralis Germaniæ mediatum non eligat intra Trimestre.*

IV. *Dissertatio juris Ecclesiastici de Synodis Coloniensibus ceu præcipuo fonte, quo singularia juris Ecclesiastici Coloniensis Capita illustrantur.*

V. *Dissertatio juridica de fide Pactionis rupta per factam alteri Consensus matrimonialis fidem condemnando ad pœnam stipulatam, aut quanti interest haud vindicanda.*

VI. *Dissertatio juridica de eo: si pares arbitri fuerint adsumpti cum Clausula: ut in casu Dissensus tertium eligant, quid juris?*

VII. *Dissertatio juris Ecclesiastici publici de Potestate Domini Territorialis Protestantici Subditos catholicos in impedimentis Matrimonium jure Ecclesiastico dirimentibus dispensandi ex Transactione Religiosa inter Fridericum Wilhelmum Electorem Brandenburgicum & Philippum Wilhelmum Ducem Palatino-Neoburgicum pro Ducatibus Juliacensi, Montensi, Clivensi &c. a. 1672 conclusa, haud evincenda.*

VIII.

VIII. *Dissertatio juris Ecclesiastici publici de eo: quod circa Recursum ad celsissimum Judicium imperiale aulicum in Ecclesiasticis ex legibus Germaniæ speciatim obtinet. Occasione Provisionis Archiepiscopalis ex jure devoluto in Ecclesia San-Severiniana Coloniensi Anno 1771 factæ, in Curia Romana contradictæ atque in eodem celsissimo Judicio 1776 vindicatæ edita; unà cum Responso juris in eadem causa dato à celeberr. Facultate juridica Wirceburgensi.*

IX. *Dissertatio juris Ecclesiastici germanici de eo: quod circa Menses Papales in Ecclesia nostra Coloniensi præcipuè in Ducatibus Juliæ & Montium justum est.*

X. *Dissertatio de Parochiis in Germania præcipuè in Ducatibus Juliæ & Montium alternativæ Mensium Concordatorum haud subjectis.*

XI. *Dissertatio juris Ecclesiastici de Clerico Regulari Beneficiorum secularium præcipuè curatorum sine venia Episcopi absolutè incapaci.*

XII. *Tentamen Academicum de Sponsalibus clandestinis penitus proscribendis.*

XIII. *Diatribe juris Ecclesiastici specialissimi de Testamenti factione Clerici Coloniensis illiusque forma.*

XIV. *Dissertatio juris Ecclesiastici publici de vero ac genuino Statu hodierno Primariarum Precum cæsarearum.*

XV. *Dissertatio juris Ecclesiastici publici de vero ac genuino Statu hodierno Asyli.*

XVI. *Dissertatio de Diplomatum Usu in Jurisprudentia germanica, præcipuè ecclesiastica.*

XVII. *Disputatio canonica ad Regulam Cancellariæ de non Tollendo Jus quæsitum in Germania.*

XVIII. *Dissertatio de Appellationibus præcipuè à Sententiis interlocutoriis.*

I. DIS-

I.

DISSERTATIO
JURIS ECCLESIASTICI PUBLICI
DE
POTESTATE PRINCIPIS
CIRCA
ULTIMAS VOLUNTATES
AD
CAUSAS PIAS EARUMQUE PRIVILEGIA.

DEFENDENTE D. HENR. HUB. STOCKHAUSEN EX UECKERATH PATRIÆ MONTENSIS.

§. I.
INGRESSUS.

Quodsi hactenus eruditi viri eum in determinandis Principum juribus impendissent conatum, in quo post editos decretalium libros canonum interpretes ad deprimendam ferè majestatem desudarunt, non esset profecto, cur ætas hæc nostra in negotio hoc omnium gravissimo deplorandis adhuc dubitationibus perplexa jactaretur, & variis in locis plebs christiana in perniciosa etiamnum cæcitate sepulta miserè hæreret— Quid enim amabo! in republica magis necessarium, quàm efficere, ut officia & obligationes subditorum, quibus Principi sunt obstricti, ab omnibus cognoscantur? Quid ex opposito tranquillitati publicæ perniciosum & adversum magis, quàm miscere regnum cum sacerdotio, & sacerdotium cum regno? Et quodsi ex hac confusione jurium conculcata sit ferè penitus majestas Principum, quo fulcro stabit splendor & Ecclesiæ dignitas? *Cùm sacerdotium pium & tutum debeat habere refugium imperialem mansuetudinem cum sua veneratione conjunctam, ut Imperii romani fastigium & ejus culmini præsidens specialis advocati & defensoris præcipui circa Ecclesiam gerat officium, & in ipsius fortitudine brachii jura Ecclesiarum manuteneantur, extirpentur hæreses, cultus christianæ fidei amplietur, & inimicis consternatis ejusdem, in pacis pulchritudine sedeat populus christianus, & in requie opulenta requiescat*, ceu URBANI IV. ad RICHARDUM Romanorum Regem Epistola loquitur *a*).

Ut igitur ſacra Chriſti Eccleſia ſub fortiſſimo majeſtatis brachio requieſcat ſecura, ſuum quoque majeſtati imperium, quo reipublicæ ſalus, ceu ſuprema lex imperantis, obtineatur ac conſervetur, intactum ſit oportet.

Etenim Chriſtus Dominus Eccleſiam ſuam in præjudicium reipublicæ certiſſimè non fundavit; unde Eccleſia nunquam poterit urgere jura, aut facultates ſibi attribuere, ex quibus reipublicæ ruina promanat, nec leges politicas injuſtitiæ arguet poteſtas ſacra, quæ factis obicem ponunt iis, quibuscum finis reipublicæ conſiſtere nequit.

Verùm hodierno adeò, quem vivimus, die vix crederes, eſſe viros adverſus rectores mundi hujus inſurgentes, qui, dum Reges ac Principes ſuâ, quâ pollent, circa ſacra poteſtate legislativa utuntur, ab iis quaſi cæcutientibus ſacra Domini conculcari imò penitus peſſumdari impiè blasphemant; de quibus dictum nobis illud ſit: *Sinite illos, quia cæci ſunt.*

Quodſi verò Lex ulla veluti Eccleſiarum libertatibus ac juribus inimica traducta fuerit, famoſa eſt illa LEX AMORTIZATIONIS; quæ licet tot defenſores ac patronos nacta ſit hodie, ut de juſtitia illius vix ullum ſuperſit dubium; quoad modum tamen, quo latius à nonnullis Dominis territorialibus etiam eccleſiaſticis noviſſimè extenſa fuit, uti dum ne mobilium quidem amplius adquiſitio certâ quâdam ratione corporibus religioſis permittitur, à nonnullis in dubium etiamnum vocatur *b*).

Quam legem, cum pro Ducatibus Juliæ & Montium, pro Territoriis Colonienſi & Moguntino in ſuo vigore eſſe compertum ſit, quoad ultimas voluntates, univerſim pauca de poteſtate Principis circa ultimas voluntates ad cauſas pias, earumque Privilegia inpræſens diſſerenda eſſe nobis ſtatuimus; *neque enim dedecori nobis ducimus, quod chriſtiani jura regia defendamus, non tam ut jura regia, quam ut Chriſti placita: Chriſti, inquam, placita rempublicam ordinantis, tranquillantis Imperium, ut Eccleſia in Imperio futura jam à ſeditionibus libera, melius Deo ſerviat &c.* Quemadmodum diſſerit Illmus BOSSUETUS *Epiſcopus Meldenſis c*) quo unico fulcro, etſi deeſſent alia, firma ſemper ac perpetuo immota ſtabit contra transalpinorum & qui cum illis ſentiunt, machinationes majeſtas Principum.

Ut autem ordinatè procedamus, quæ ſit Poteſtas Principis I) *circa facultatem diſponendi mortis cauſa ad cauſas pias*, II) *circa formam ac ſolennitatem diſponendi*, III) *circa quantitatis ac cauſarum piarum determinationem*, IV) *circa controverſias in diſpoſitionibus piis enatas*, demum V) *circa cauſarum piarum Privilegia*, videamus.

a) Vid. LEIBNITZ *Cod. Jur. gent. diplom. T. I. n.* 14.

b) *Cf. Theſaur. Schmitt. T. V. p.* 686 *&* 719. *n. V.*

c) *Lib. IV. Defenſ. declarat. clert gallic. Cap.* 29. *ed.* 1776.

§. II.

De Poteſtate Principis circa facultatem diſponendi mortis cauſa ad cauſas pias.

Quamvis nihil ſit, quod magis hominibus debeatur, quàm ut ſupremæ voluntatis, poſtquam jam aliud velle non poſſunt, liber ſit ſtylus, & licitum, quod iterum non redit, arbitrium *a*); firmitatem tamen non haberent ultimæ voluntates, niſi accederet legum diſpoſitio *b*); itaque vix dubitare licet, legibus Principum voluntates ultimas ad cauſas pias ſubjacere, neque ullum juris naturalis aut divini ſupereſt veſtigium, quo voluntates ultimæ ad cauſas pias Principum poteſtati ſubtractæ reperiantur; Etenim, licet cultus divinus, atque cauſæ piæ ſint objecta, quæ ſummis imperantibus maximopere curæ & cordi eſſe debeant, cùm tamen in republica teſtamenti factio, aut alia diſpoſitio mortis cauſa civitati atque illius ſaluti noxia non detur nec ab imperante probari queat, utique ad Principis poteſtatem pertinere dicendum eſt, ut facultas diſponendi etiam ad cauſas pias iis coerceatur limitibus, ut ſaluti reipublicæ non obſit; cauſas fovere pias, de ſufficientibus bonis proſpicere iisdem, atque quovis modo hunc finem promovere, æquiſſimum licet ſit & maxime ſuadendum, cultus tamen ille Deo gratus eſſe nequit, neque illæ cauſæ verè *piæ* dicendæ ſunt, quibus ſubſiſtentibus bonum ac ſalus reipublicæ pateretur *c*).

a) *L. 1. Cod de Ss. Eccleſiis.*
b) ZECH *de jure rerum eccleſiaſticarum Sect. IV, T. XVIII.*
c) Vid. WIDEKIND *Diſſ. de jure cavendi comprehenſo in jure circa ſacra* §. *IX.*

§. III.

CONTINUATIO.

Atque hoc fundamento eæ nituntur leges Principum, quibus primitùs facultatem diſponendi ad cauſas pias aut indulgebant, aut negabant, aut noviſſimis temporibus, variis circumſcripſerunt limitibus, exigente ità ſalute reipublicæ. Pace enim Eccleſiæ Chriſti reddita CONSTANTINUS M. ſuam circa ultimas voluntates ad pias cauſas poteſtatem exercuit ſtatuendo an. 321.: *habeat unusquisque licentiam ſanctiſſimo catholico venerabilique Concilio decedens bonorum quod optaverit, relinquere: & non ſint caſſa judicia ejus a*). Favorem hunc Eccleſiis à Summo Principe collatum, VALENTINIANUS Imp. limitabat lege ad Damaſum Pontificem Romanum miſſa *b*), & lecta in Eccleſiis Ur-

bis Romæ anno 370. quâ cavetur: *ut ecclesiastici viduarum ac pupillorum domos non adeant, & nihil de ejus mulieris testamento vel donatione possint adipisci &c. c)* Longius progressus THEODOSIUS Imp. an. 390 statuit: *ut diaconissa, quæ liberos domi haberet, nihil de monilibus & supellectili, nihil de auro argento, ceterisque claræ domûs insignibus, sub religionis defensione consumat ... ac si quando diem obierit, nullam Ecclesiam, nullum Clericum, nullum Pauperem scribat hæredes d).*

a) *L. 1. Cod. de Ss. Ecclesiis.*
b) L. 20. *Cod. Theodos. de Epis. & cler.*
c) *Cf.* GOTOFREDUS *T. VI. p. 50. in notis ad hanc legem.* ZECH *loc. cit. p. 722.*
d) *L. 27. Cod. Theodos. loc. cit.* de hac lege S. HIERONYMUS *Epist. 2. ad Nepotianum C. 7.* loquitur: *Sacerdotes idolorum hæreditates capiunt: solis clericis & monachis hoc prohibetur, & prohibetur non à persecutoribus, sed à Principibus christianis, nec de lege conqueror, sed doleo, cur meruerimus hanc legem.*

§. IV.

CONTINUATIO.

Cum cessantibus illis temporum fatis, in quibus legem hanc reipublicæ adcommodatam fore credebant Principes, MARTIANUS eorum successor facultatem hanc rursùs causis piis meritò indulgendam esse ratus fuerit, leges antecessorum suorum is sustulit, atque novam legem *a)* tulit an. 455., quam JUSTINIANUS in suum Codicem transtulit *b)*, his verbis: *generali lege sancitur, sive vidua, sive diaconissa vel virgo Deo dicata, vel sanctimonialis mulier, sive quocunque alio nomine religiosi honoris vel dignitatis fœmina nuncupata, vel testamento vel codicillo suo, quod tamen alia omni juris ratione munitum sit, Ecclesiæ vel martyrio vel clero vel monachio vel pauperibus aliquid vel ex integro vel ex parte in quacunque re vel specie crediderit relinquendum, id modis omnibus ratum firmumque consistat.*

a) *In Novella de testament. clericorum,* quæ habetur in nova editione *Cod. Theodos. T. VI. Novell. Lib. 3. Tit. 6.*
b) *L. 4. Cod. de Ss. Ecclesiis.*

§. V.

CONTINUATIO.

Eandem Seculis posterioribus potestatem in imperantibus circa causas pias esse existimavit ipsa Ecclesia, cujus rei testis est AVITUS Viennensis Episcopus *epist.* 29. ad GUNDEBALDUM Burgundiæ Regem ità inquiens: *quidquid habet eccle-*

ecclesiola mea imo omnes Ecclesiæ nostræ, vestrûm est de substantia, quam vel servastis hactenus, vel donâstis, aut donari permisistis; Et quando in civitate Cenomanensi DUMNOLUS Episcopus ejusdem civitatis Cœnobio S. Vincentii multa testamento suo legavit, authoritate regiâ interveniente id factum esse enarrat THOMASSINUS *a*); Reges verò & Imperatores eò lubentius consensu suo hanc facultatem in favorem Causarum Piarum aut testandi aut legandi firmaverunt, quòd Sec. X. Canones Pœnitentiales abierint in desuetudinem, atque Principes ipsi in remedium animarum suarum pro pecca is, Ecclesiis ac Monasteriis bona sua aut inter vivos aut mortis causa reliquerint *b*), unde *LL. Bavaricis Cap.* 1. sequenti modo cautum esse legimus: *Si quis liber res suas dare voluerit ad Ecclesiam pro redemptione animæ suæ, licentiam habeat de portione sua, postquam cum filiis suis partivit.*

a) *De vet. & nov. Eccl. Disc. L. III. C.* 35.
b) *Cf. idem* THOMASSIN. *l. cit. C.* 33. & 34. *Hist. dipl. Trev. T. I. p.* 95.

§. VI.

CONTINUATIO.

Postquam remisso Canonum Pœnitentialium rigore, datâ generali in favorem Causarum Piarum de bonis suis disponendi facultate, imperantibus Sec. XIII. visum fuit pati salutem reipublicæ, mox iidem congenita sibi potestate usi subditis suis consulere cœperunt de lege salutari, quâ prohibuerunt, ne quocunque modo, sive *inter vivos*, sive MORTIS CAUSA, sinè speciali licentia Principis transferrent bona sua ad causas pias; quæ lex pededentim facta fuit universalis, ut Principes etiam ecclesiastici, quibus causas pias majori jure curæ & cordi esse debere dixisses, suis territoriis de tali lege prospexerint *a*); ex quibus omnibus manifestò sese prodit, Principum etiam Ecclesiasticorum potestas, atque ejusdem potestatis usus circa ultimas voluntates ad causas pias.

a) Aliorum Principum Imperii leges ut omittamus, de quibus vid. MOSERUS *Tract.* Von der Landeshoheit im Geistlichen p. 307. & seqq. & *ejusdem* deutsches Staatsrecht P. 4. p. 61. seqq. quæ pro Ducatibus Juliæ & Montium desuper leges latæ fuerint, adfert Cl. WEDEKIND *Diss. de lege Amortizationis in Ducatibus Juliæ & Montium vigente*: cujus declarationem novissimam infra adnexuimus — Pro Electoratu Coloniensi verò ad instantiam Statuum provincialium secularium à CAROLO VI. Imp. an. 1726. Lex Amortizationis dicta prodiit quâ prohibetur, ne quocunque modo bona immobilia potissimùm verò dispositione mortis causa ad corpora ecclesiastica transirent, solo Rmo. Capitulo Metropolitano, jure merito excepto. Vid. *Edict. Colon. T. II. p.* 22. *seqq.* — Porro cum Eminentissimo ac Celsissimo Archiepiscopo nostro Electori MAXIMILIANO FRIDERICO justissimis de causis visum fuit, ut Monasterium ingressuris certi ponerentur limites, quoad dispositiones ad causas pias nova Lex prodiit an. 1774, de qua infra plura adferemus.

§. VII.

Continuatio.

Postquam hactenus universim de potestate Principis circa ultimas voluntates ad causas piâs egimus, superest, ut paucis discutiamus quæstionem inter interpretes satis controversam: *utrum testamentum ad* Causas pias *confici ab iis possit, qui lege Principis à testamenti factione arcentur?* Utùt sint plurimi, qui hunc causis piis favorem concedunt, ast, invitâ prorsus voluntate legislatoris; Neque enim Ecclesia, ejusmodi ad testandum lege Principis inhabiles, in favorem Causarum Piarum habilitare potest, quod distinctioni utriusque potestatis sacræ & politicæ, mutuæque unius ab altera independentiæ manifestò repugnat; quodsi ergo Princeps lege sua subditis suis facultatem testandi sinè exceptione adimat, interpretum non est adhibitâ *inter testamenta profana & pia* distinctione legum Principis vim & authoritatem eludere; certe enim Legislator civilis non tenetur in materia temporali potestati suæ obnoxia pias causas specialiter excipere, potestque personas quasdam absolutè & simpliciter ad testandum reddere inhabiles, cùm facultatem de bonis suis temporalibus mortis causâ disponendi subditi Principi suo in acceptis referant oportet *a*).

a) Veritatem nostræ Sententiæ agnoscit potestati Principum non adeò amicus, P. Zech *de jure rerum eccl. Sect. IV. T.* 18. *p.* 726. Addens tamen: *nihilominus benignæ Sententiæ causis piis faventi adeo me non oppono, ut potius vehementer gratuler Ecclesiis & causis piis, si tribunalia, quibus executio ultimarum voluntatum incumbit, assistant ejusmodi testamentis piis non attentâ inhabilitate testatoris* — Gratulamur & nos hoc in casu piis causis, si Principes, quod tamen raro fiet, rigorem legis suæ justæ specialiter relaxent.

§. VIII.

De Potestate Principis circa ultimas Voluntates ad causas pias quoad formam & solennitatem disponendi.

Quod ultimæ voluntates ad causas pias Principum subsint potestati, quoad facultatem ità disponendi hactenus vidimus; an quoque in potestate Principum sit, formam ac solennitates præscribere, quibus ultimæ voluntates ad causas pias sub pœna nullitatis sint alligatæ, dispiciendum venit; quodsi favorem causis piis in lege Martiani Imp. à Justiniano acceptata (supra §. IV.) concessum attentiùs perlegamus, oppido sese prodit, causas pias in ultimis voluntatibus specialiter privilegiatas haud esse, quin potius omnibus, quas leges requirunt, solennitatibus subjaceant; ait enim lex citata *a*): tum demum *Ecclesiæ, Martyrio,*

tyrio, *Clero*, *Monachiis*, *vel pauperibus*, teſtamento aut alia quâvis ultimâ voluntate relictum præſtandum eſſe, *ſi NB. ultima voluntas omni juris ratione ſit munita*; Ex quibus legis verbis recte concludimus, pridem ab imperantibus ultimas voluntates ad cauſas pias ſolennitatibus omnino ſubjectas extitiſſe; atque licet imperans teſtamenta parentum inter liberos absque ſolennitatum adparatu confecta, valida eſſe agnoverit *b*), cauſas tamen pias à ſolennitatibus juris communis non ſolùm non excepit, ſed expreſſis verbis ſubjecit — Neque jure germanico ultimas voluntates ad cauſas pias extitiſſe privilegiatas, ſed ſolennitatibus obſtrictas fuiſſe teſtis eſt LEX ALEMANNORUM Cap. I. ſequentis tenoris: *Si quis res ſuas vel ſemetipſum ad Eccleſiam Dei tradere voluerit*, *per chartam firmitatem faciat & teſtes ſex aut ſeptem adbibeat*, *& proprietas de ipſis rebus ad ipſam Eccleſiam in perpetuum permaneat. Et ſi aliquis illas res abſtrahere voluerit*, *Dei judicium incurrat* c).

a) *L.* 13. *Cod. de Ss eccleſ.*
b) *L.* 21. §. *1. Cod. de teſtam.*
c) JOACHIM Einleitung zur deutſchen Diplomatik. II. Hauptſtück. §. 7. ſeqq.

§. IX.

CONTINUATIO.

Neque Legislatores chriſtianos ulla reprehenſione dignos dixeris, eò quod teſtamenta pia à jugo ſolennitatum, quibus reliqua teſtamenta obnoxia eſſe voluerunt, olim non exemerint, ceſſante interim fine legum civilium ſolennitatem adſtruentium in opere tam ſancto, quod fallaciarum periculo ſicuti cetera teſtamenta profana, non eſt obnoxium; Siquidem dolo agere perperam is dicatur, qui alteri perſuadet, ut teſtamento aut legato pio Dei honorem promoveat, atque id agat, quod Conſiliis evangelicis conforme eſt, quibus Poteſtas legislatoria civilis ponere impedimentum nequit; audiamus ad hæc virum clariſſimum immortali laude dignum DE RIEGGER ità reſpondentem *a*): *Quid? infertne paterfamilias vim Conſiliis evangelicis*, *ſi inſtituto fideicommiſſo bæredibus*, *& poſteris ſuis omnem illud ad quoscunque & ob quascunque cauſas alienandi facultatem adimat? quânam ergo fronte ſummum imperantem civilem peccati argues*, *ſi teſtamenta pia contra fraudes ſolennitatum adparatu muniat*, *certumque hominum genus ab eorum factione ſimpliciter & abſolutè excludat?* — *Idem* CHRISTUS, *qui exercitium bonorum operum fidelibus inculcat*, *præcipit etiam obedire Principibus ad* ROMANOS XIII. — Porro quis negabit teſtamentum ad pias cauſas eſſe poſſe indiſcretum? poſſe officere pietati, quâ complecti tenemur poſteritatem noſtram, poſſe offendere gratitudinem,

quâ remunerari convenit beneficia nobis præstita, posse lædere charitatem, quâ cognatis potius egestate pressis jubemur succurrere, quàm splendido opere æternitatis nomini consulere? itane periculum omne fraudum ac circumventionum in dispositionibus ad pias causas abesse dixeris, cum fieri facili negotio queat, ut blanditiis ac precibus quis ad relinquenda bona huic aut illi religioso corpori inducatur, qui ea aut consanguineis egestate pressis, aut pauperibus, alterive fini pro reipublicæ bono destinavit? Sanè curæ Principum in id potissimum intendere debent, ut hæc pericula civitati imminentia præcaveantur. Et quodsi, uti adversarii nimis confidenter ajunt, omne inductionis periculum in ultimis voluntatibus ad causas pias absit, vix persuadere nobis possumus, cur in Synodo Coloniensi novissima MAXIMILIANI HENRICI P. II. p. 116. statutum esse legamus in modum sequentem: *Confessarii præsertim religiosi ut majori spiritus libertate & fructu animas juvare possint, scriptioni testamentorum non intersint, aut testatori nominatim suadeant, cui aut quibus hæreditatem vel legata relinquat; præsertim verò propriarum Ecclesiarum, Collegiorum aut Conventuum importunum patrocinium non suscipiant, pro consilio requisiti in genere opera pietatis commendent.* Addunt hisce Statuta antiqua Coloniensia, quæ fundamentum Synodo brevi antè adductæ præbuerunt: „quodsi videbitur expedire, ut ad aliqua particularia descendant, ea inprimis proponant, quæ consideratis omnibus, majoris charitatis, & ad animæ ejus salutem, atque proximos juvandos magis opportuna, Deoque gratiora existimantur.„ (*Vid. P. II. Tit. XIII. de Test. Cap. II. p. 201.*)

a) *Institut. Jur. Eccles. P. III. p. 302.*

§. X.

CONTINUATIO.

Nihilominus hodie ultimas voluntates ad causas pias plerisque in locis à solennitatibus juris communiter exemptas esse, experientia testis est, unde verò hæc causarum piarum exemptio nata sit, dispiciamus; uno ore decretalium interpretes exceptionis hujus fontem proferunt CAP. XI. *de testamentis*, in quo Pontifex ALEXANDER III. Judicibus Velletrensibus rescribendo hisce verbis mandavit: *ut si aliqua causa super relictis Ecclesiæ, non intervenientibus septem vel quinque idoneis testibus ad eorum examen fuerit deducta, eam non secundum leges, sed secundum* DECRETORUM STATUTA *tractent, tribus aut duobus legitimis testibus requisitis*, subjuncta hâc ratione, *quoniam scriptum est in ore duorum vel trium stat omne verbum*; Statuta verò hæc decretorum, ad

quæ

quæ provocat ALEXANDER Papa, abs dubio continentur CAP. IV. *eod.* ubi GREGORIUS M. rescripsit: *Cognovimus Romano referente quòd moriens uxor* REDEMPTI *concham argenteam nudis verbis jussit venundari & suis dari libertis, & scutellam argenteam cuidam Monasterio reliquisse, in quibus voluntatem ejus per omnia volumus adimpleri.*

§. XI.

CONTINUATIO.

Igitur, si Decretalistas audiamus, fateamur, necesse est, ultimas voluntates ad causas pias hodie exemptas fore à solennitatum onere ità disponente Papa: ast dubitamus valde, aut voluisse, aut potuisse summum Pontificem contra Imperantes extra territorium suum temporale eorum subditos, ut disponerent de temporalibus ad causas pias, reddere habiles eo modo, quo lege ab imperantibus scripta ad testandum aut legandum in favorem causarum piarum haud erant qualificati; quòd summi Pontifices pro aliorum Principum territoriis VOLUERINT præscribere normam in dispositionibus ad causas pias tenendam, si prædominantia eorum temporum principia intueamur, facilè largimur; Etenim ejusmodi rescriptis abundant decretalium libri, quæ circa temporalia Regum ac Principum versantur, quibus quoad ipsos etiam summos imperantes à Papa in jus vocatos causæ deciduntur; At verò POTUISSE ità statuere, quin summorum Principum consensus aut expressus aut tacitus accederet *circa temporalia*, quæ intra potestatis papalis objectum haud continentur, hoc est, quod meritò in dubium vocatur; Etenim distinctio utriusque potestatis sacræ & politicæ, mutuaque unius ab altera independentia jure divino stabilita haud patitur, ut, quas leges Principes pro salute reipublicæ etiam ad causas pias dederunt, absque eorum consensu à potestate Pontificis corrigantur, aut penitus aboleantur; Ut igitur dicamus, quod res est, alia ratione causæ piæ hodie à jugo solennitatum liberæ non existunt, quam quod hæc lex pontificia sponte recepta jure civitatis apud nos sit donata, omnemque vim suam & effectum legalem, qui ei sua natura extra territorium temporale Pontificis non inest, universali receptioni & consuetudini in Germania vigenti in acceptis referat, quam receptionem summi imperantes consensu suo aut expresso aut tacito hactenus firmarunt; quin tamen propterea exinde consequatur, quod imperantes potestati suæ circa ultimas voluntates ad causas pias renunciasse censendi sint, ut, si salus reipublicæ ità exigat, authoritate suà causas etiam pias solennitatum legi, subjicere non valeant.

§. XII.

De Potestate Principis circa ultimas voluntates ad causas pias quoad bonorum, & causarum piarum determinationem.

Potestatem Principis eatenus circa ultimas voluntates ad causas pias recte versari, ut & disponendi facultas, & forma ac solennitates ab ea dependeant, ex momentis hactenus adlatis, omnino perspicuum reddi credimus; atque ni vehementer fallamur, eadem motiva leges Principum, quibus & bona causis piis impendenda, & causarum piarum genus determinant, justificare censentur; Etenim cùm Ecclesiæ Christi & reipublicæ intersit, ut ex una parte bona non indiscriminatim in reipublicæ dispendium civibus subtrahantur, ex altera verò parte ne loca pia, corpora religiosa, atque Ecclesiæ Ministri ad Sanctuarium Domini deputati, non sine gravi cultûs atque divini honoris detrimento à capiendis benevolorum Christi fidelium legatis arceantur, Principis curæ potissimum in id intendere debent, ut legibus suis saluti reipublicæ ac civium hâc in re ità prospiciant, ne Ecclesiis, aliisque corporibus religiosis, ac locis piis, quibus sufficienter prospectum nondum est, vel minimum detrimentum inferatur; atque ex hoc fonte fluit suprema Principis potestas, ut tum bonum reipublicæ, tum causarum piarum egentium statum pro suo territorio circumspiciens provida sollicitudine tum bonorum qualitatem, & summam, tum quoque causas pias, quæ egeant, specificè determinare queat.

§. XIII.

CONTINUATIO.

Unde patet inprimis Justitia illarum legum, quibus plerisque modo in territoriis, bona immobilia ne ad causas pias seu manus mortuas sive inter vivos sive MORTIS CAUSA deveniant, prohibitum esse legimus (§. VI.) de bonis quoque mobilibus, quatenus ad pias causas, & quibus piis causis relinqui queant diversis in locis, diversa vigent Statuta Principum territorialia, à quibus factis, quæ privatus nemo arguere injustitiæ potest, nec audet, ad potestatem imperantis concludimus: Et quidem Rdmus Archiepiscopus & Elector Moguntinus anno 1772 lege Amortizationis renovatâ, dispositioni quoad immobilia, de mobilibus ad causas pias transferendis aliam addidit sequentis tenoris: Sechstens: Wird hiedurch verordnet, und zugleich die, von wailand Kurfürsten Johann Friderich Karl pp. mm. erlassene landesherrliche Vorschrift erneuert, vermöge der jedermänniglich schärfstens untersagt ist, irgend etwas von sonstiger Habschaft oder beweglichen Gütern, als des andern Theiles

des

des gesammten Landesvermögens, es seye bares Geld, Kapitalien, Silber, Prätiosen, oder sonsten, wie es Namen haben möge, an innländische oder auswärtige Abteyen, Ordenshäuser und Klöster oder Bruderschaften, unter was Vorwand oder Anlaß es seye, zu schenken, zu legiren, oder auf andere Weise zu verbringen, und solches dem bürgerlichen Landesvermögen zu entziehen; in der Zuversicht, es werde jedermänniglich von selbst den Bedacht dahin nehmen, das Gute, so er durch eine fromme und lobenswürdige Freygebigkeit zu stiften gedenkt, den innländischen Pfarreyen, Schulen, Armen- und Krankenhäusern, oder andern dergleichen gemeinnützlichen Stiftungen, zuzuwenden. Attamen hic ecclesiasticus Legifer variis exceptionibus, quas Ecclesiæ simul ac reipublicæ adcommodatas esse credidit, legem suam moderavit:

Achtens: Solle jedoch hierunter in Betreffe der Kirchengebäude, Altäre, Kanzeln, Orgeln, und andern Kirchenzieraten die zweyfache Ausnahme noch zur Zeit und dergestalt Platz haben, daß Niemanden künftighin erlaubt seyn solle, während seiner Lebenszeit, oder in seiner letzten Willensverordnung ein mehreres, als zwei hundert Gulden, einer oder mehrern Klosterkirchen zusammen, zu dergleichen Gebrauche zu schenken oder zu legiren; indem ohnehin wenige Klosterkirchen seyn werden, welche nebst der unzertheilten Verwendung jenes, so denselben fromme Stifter zu dergleichen Endzwecke, seit geraumen Zeiten, zugewendet haben, eines fernern, öftern und beträchtlichen Beitrages vonnöthen haben werden. In Betreffe der Schankungen an Pfarr- und Stiftskirchen, wird jedoch hierunter kein Ziel und Maaß gesetzt; zumalen dieselbe, und sonderlich die ersteren an dergleichen Beiträgen eher Mangel, als Ueberfluß haben.

Neuntens: Wollen Seine kurfürstlichen Gnaden ferner, und erheischet es die Nothwendigkeit, in Betreffe der sämmtlichen, in den kurfürstlichen Landen befindlichen Collegiat-Stifter, als welche von der nemlichen Beschaffenheit nicht sind, als jene der Klöster bekanntlich ist, einer billigen Ausnahme Platz zu geben. Dann deren jährliche Einkünfte theilen sich in so viele Ausflüsse, als Mitglieder sind, und tretten immer in den allgemeinen Umlauf des gesammten Vermögens des Staates wieder zurück. Manche bedürftige Nebenmenschen oder nothleidende weltliche Anverwandte geniesen das Brod oder die Verlassenschaft eines weltgeistlichen Freundes, und es ist keine todte Hand, welche selbige alsobald ergreifet,

greifet, und dem Wechsel des öffentlichen Gewerbes auf ewig entreisset. Daher dann auch vorgedachten gesammten, in den kurfürstlichen Landen sich befindenden Mitgliedern der Collegiat-Stifter gestattet wird, zum Besten ihres Stifts, ihr Patrimonial-Vermögen (ausschließlich jedoch aller unbeweglichen Güter) heilsam anzuwenden. Und da auch

Zehentens: Eine dem gemeinen Wesen ersprießliche Sache ist, wenn Kranken, wahrhaft armen und preßhaften Menschen Verpflegung und Hilfe, elterlosen Kindern aber Unterkunft und Beistand geleistet wird; wenn ferner Seminarien für künftige Selsorger und Schulmeister errichtet, erhalten, und vermehret, der Unterhalt wirklicher Pfarrer und Schulmeister selbsten verbessert, oder Schulen und Stipendien für mancherlei lehrbegierige Jugend gestiftet werden; als aus welchen allen die gesegnetesten Folgen für die allgemeine Wohlfahrt entstehen, den Unglücklichen Trost, und den Unwissenden Belehrung zufließet: so verbleibet jedermänniglich auch hierunter anheim gestellet, und im unbeschränktem Maase überlaßen, diesen wesentlichen, frommen und heilsamen Absichten, Vermächtnissen (ausschließlich jedoch unbeweglicher Güter) nach Wohlgefallen zu wiedmen, und dem eigenen ruhmwürdigen Eifer das vollkommene Genügen zu leisten.

§. XIV.

Continuatio.

Eandem hanc potestatem non quoad immobilia solùm, sed etiam mobilia circa ultimas voluntates exercuisse visus est Serenissimus Dux Montensis ac Juliacensis anno 1766 quando libero quidem cujusvis, quod nunquam redit arbitrio reliquit, ut legata pia pro anniversariis, aliisque piis operibus ordinaret; ne verò summa pecuniarum immodica reipublicæ, testatoris consanguineis, aut hæredibus scriptis subtraheretur, omnibus suis subditis inhibuit, ne pia eorum legata Summam bis mille imperialium excederent: *ex ceptis* nihilominus ab edicto hoc prohibitivo *Nosocomiis*, *Orphanotrophiis*, *xenodochiis &c.* aus beweglicher Habschaft (inquit legislator) hingegen an Geld, oder sonstigem Werth milde legata und Vermächtnisse für Anniversarien und andere gottselige Werke zu ordnen, und zu verschaffen, stehet zwar dem frommen Willen eines jeden Eigenthümer offen; damit aber hierdurch nicht allzu übermäßige Summen auf einmal dem gemeinen Wesen, und denen nächsten des Stifters, oder legirens Erben entzogen werden sollen, um derley Ausschweiffungen hinkünftiges Ziel vorzustecken, sollen die Schankungen und

und pia legata ex mobilibus über den Werth von 2000 Reichsthaler sich nicht erstrecken. 6to. Von solcher Einschränkung jedoch alle Armen- und Weysen-häuser auch Hospitäler ausgenommen seyn ꝛc. (vid. in fine.) Dubium veró: *utrum ordinatio hæc territorialis ad causas quoque pias extra territorium existentes sese extendant?* quod novissimè moveri visum fuit, ex mente LEGISLATORIS SERENISSIMI decisum satis esse, ex eo contendimus, quòd finem legis suæ non fuisset assecutus, si causas solùm intraneas reddidisset inhabiles, de cetero subditorum liberæ facultati relinquens, ut, quam vellent, summam, contra legem causis piis extraneis dedicarent.

§. XV.

CONTINUATIO.

Præter legem Amortizationis (supra §. VI. allatam) pro Electoratu Coloniensi quoad *Cives laicos* de mobilibus, ne illa ad causas pias deveniant, equidem non habemus; nihilominus, ait Legislator MAXIMILIANUS HENRICUS in Statutis novissimis citatis: *si testatori nulli fuerint fratres, sorores, aliique cognati indigentes, expedit tunc propriam animam dotare locupletiùs pro cœlestibus nuptiis cum agno conjungendis: is enim asseruit:* quod quidquid uni de minoribus, vel minimis istis fecerimus, ipsimet factum reputetur. *Hi verò minores, haud difficulter reperientur, si oculos tum in naturæ necessitate laborantes pupillos, orphanos, viduas, pauperes, captivos, peregrinos, & ægros, tum in ecclesias earumque ministros penuria laborantes animum intendamus, in quâ serie & maxime quidem occurret juventutis proba institutio.* Ecce verba & Ecclesiæ & reipublicæ saluti apprime consona. Præferendos esse ait, primò consanguineos indigentes: quodsi consanguinei inopia pressi non fuerint testatori, hic oculos intendat in alios pauperes, quorum numero etiam comprehendere voluit Ecclesias & ministros Dei si penuria laborent, maximè verò, ut bona sua probæ juventutis institutioni, à quâ & Ecclesiæ & reipublicæ salus vel maximè dependet, destinarent; præceptum quidem non est, ast Consilium, quod CLEMENS XIV. altero mox sui Pontificatûs anno secutus, pro suâ, quâ polluit potestate, Eminentissimi cujusdam Cardinalis ultimam voluntatem, quâ is bona sua omnia Nosocomio cuidam romano reliquit, haud attendens ad mediam hæreditatis partem vocavit consanguineos testatoris pauperes.

§. XVI.

§. XVI.

Continuatio.

Quanquam verò lex nulla quoad ultimas voluntates ad causas pias de bonis mobilibus, quæ cives laicos obstringat, in Electoratu Coloniensi vigeat, suam tamen Eminentissimus ac Celsissimus Archiepiscopus Elector MAXIMILIANUS FRIDERICUS potestatem legislativam territorialem exercuit circa Novitios in Monasterio professuros; postquam enim anno 1774 die 28vâ Martii sapientissimè ordinaverat, ut pro ingressu in Abbatiam, Canoniam regularem aut Carthusiam *nihil omninò* recipiatur, ingressuri verò alia Electoratûs Monasteria summam, quæ octingentos excedat imperiales, inferre prohibeantur, ulteriùs ità statuitur: Dieses Quantum deren 800 Rthlr. solle nicht allein für die Aussteuer, sondern auch die Ausrüstkleidung, Eintritts- Einkleidungs- Profeßions- und andere Kösten dienen; allso, daß weder für die Dot, weder Ausrüst- und Kleidung . . . weder für eine Schankung in die Kirch, weder zu Behuf einer Bruderschaft, Fundation, oder unter einem andern Schein, wie es immer Namen haben mag, ein mehreres an Geld oder Geldswerth hergegeben noch angenommen werde. . . Et quamvis professuris testamenti factio non sit interdicta, inhibentur tamen, ne sub quocunque prætextu in favorem sui Monasterii etiam ad causas pias disponant: Wir befehlen aber gnädigst und ernstlich hiemit, daß in der letzwilligen Verordnung oder Schankung unter den Lebendigen oder Todten nicht das mindeste, unter was für einem Vorwand es auch immer seyn kann, der Abtey, dem Kloster, oder Ordenshaus zugewendet, und dasjenige, was gegen diese unsere gnädigste Verordnung etwa unternommen würde, pro non scripto & irrito geachtet &c. Similem ordinationem pro Palatinatu dedit anno 1737 CAROLUS PHILIPPUS Elector Palatinus inhibens: ne ultra taxam mille imperialium ab ingressis in religionem plus sub quocunque prætextu, aut quocunque titulo sive per testamentum sive per donationem, sive per alium actum inter vivos vel mortis causa recipiatur; quæ lex eodem anno ad Ducatus Juliæ & Montium extensa atque à Serenissimo CAROLO THEODORO anno 1766 renovata fuit (vid. in fine.)

§. XVII.

Continuatio.

Expedita res est inter juris sacri interpretes, quòd Clerici beneficiati de redditibus suis beneficialibus aliter disponere nequeant, quam in favorem causarum piarum, qualemcunque demum abusum ferat consuetudo contraria merità

ritò abroganda; quibus verò causis piis redditus ejusmodi beneficiales ultimis clericorum voluntatibus applicentur, id extra potestatem Principis versari, adseverare haud veremur; rarissima equidem desuper sunt ordinata Principum, eosdem nihilominus hàc in re fuisse suà potestate usos testis est *Transactio religiosa* inter Philippum Wilhelmum Comitem palatinum Rheni atque Fridericum Wilhelmum Marchionem Brandenburgicum anno 1672 conclusa pro suis respective territoriis unitis, quæ *Articulo III.* §. 3. ità statuit: Wann testamenta von römisch-katholischen **Priesteren** als testatoribus aufgerichtet seyen, alsdann erkennt der Officialis, ob sie beständig, und die formalia, welche die Rechte erfodern, in acht genommen (incidenter hic nota: *Clericos ad solennitates testamentorum ex lege Principum requisitas adstringi*) und hat ein dergleichen testator von seinen patrimonial-Gütern nach Ordnung deren gemeinen Rechten eigenes Gefallens zu disponiren, doch daß daraus keine manus mortua werde; **Was er aber bey dem** *Beneficio* **erworben, soll er schuldig seyn der Kirche oder den Armen zuzuwenden und zu laßen** En proprias clericorum Ecclesias, atque pauperes seu causas pias lege Principum determinatas, quarum in favorem de redditibus intuitu Ecclesiæ adquisitis disponere mortis causa adstringuntur! & quæ injustitiæ labes legi Principis adfingi posset, quâ clerici aut Ecclesiæ suæ, aut pauperum in suis ultimis voluntatibus sint memores, obligantur? — Pro Ducatibus Juliæ & Montium provisionalis transactio inter Serenissimos, WOLFGANGUM WILHELMUM Ducem Montensem & Juliacensem, atque FERDINANDUM Archiepiscopum Electorem Colon. inita §. IX. ità disponit de clericis ab intestato decedentibus: Was der Abgestorbener verlassen, das von seinem patrimonio kommen, oder aus demselben erspart worden, daß solches bey des verstorbenen Erben zu laßen, was aber von den geistlichen Lehnen erobert und geworben, zu Besserung des geistlichen Lehnes oder Nothdurft der Kirche angelegt, oder den Armen mitgetheilt werde — Quæ omnia potestatem Principis circa ultimas voluntates ad causas pias satis firmant.

§. XVIII.

De Potestate Principis circa ultimas voluntates quoad Controversias in dispositionibus piis enatas.

Ad potestatem Principis circa ultimas voluntates ad causas pias, si in controversiam vocatæ fuerint, progredimur: Quodsi prima christianorum tempora evolvamus, liquet, universim ab Imperatoribus christianis curam testa-

mentorum specialiter *Episcopo* fuisse demandatam, ut invigilaret, si suprema voluntas defuncti etiam ad causas profanas executioni daretur, uti testis est *lex* 28 *Cod. de Episc. & cler.* atque *Authentica* eidem subjecta; unde & christianis usitatum fuit, *Episcopis* sua testamenta consignare, eisque executionis curam committere, imò referente AMOINO *Lib. IV. de gestis Francorum c.* 30. DAGOBERTUS Rex Galliæ quatuor voluit testamenti sui exemplaria fieri, è quibus unum *Lugduni* in Gallia, aliud *Parisiis*, tertium *Mettis ad Archiva Ecclesiarum* dirigi jussit; ex hac porro fidelium consuetudine consignandi tabulas testamentorum inter manus Sacerdotum, earumque executionem ipsis demandandi verisimiliter fluxit, quod testamentorum executio, & difficultatum super his exorientium discussio & decisio ad Ecclesiasticos, quorum prudentiæ pietati, ac religioni sua ultima elogia defuncti commiserant, transirent. Quibus dum accessit, quod nullum pene testamentum conficeretur, nisi Notarius aliquis ecclesiasticus interveniret, conditum testamentum inde etiam *aliquid ecclesiastici mutuare* videbatur, ratione cujus ad forum ecclesiasticum spectare deberet; cùm igitur hac ratione omnes causæ testamentariæ profanæ ac laicales ad forum ecclesiasticum pertractæ fuerint, ceu decisiones RR. Pontificum sub titulo *de testamentis* testes sunt; multo magis ultimas voluntates pias laicorum judiciis ecclesiasticis subjectas esse credebatur.

§. XIX.

CONTINUATIO.

Postquam verò potestas civilis sereniora tempora nacta fuit, *Causæ testamentariæ* ad proprium suum forum variis ordinationibus specialissimis aut etiam particularibus concordatis sunt revocatæ; Cetera ut prætereamus territoria in medium producere satis sit legem à Serenissimo WILHELMO Duce Juliacensi, Clivensi, ac Montensi an. 1551. latam, ubi sub rubrica: *de testamentis* §. IX. disponit: daß der geistliche Richter der weltlichen Testamenten sich nit wnders unternehmen solle; Et quando anno 1621 ad hanc ordinationem territorialem ceu basim WOLFGANGUS WILHELMUS Dux Montensis provocabat, in transactione provisionali eodem anno conclusa Serenissimus FERDINANDUS Archiepiscopus Coloniensis iisdem ferè terminis in id consensit: Daß die geistliche Obrigkeit, nit weniger deren Befelchhaber der weltlichen Testamenten sich weiters nit unternehmen sollen; Itaque hodie paucissima territoria supersunt, ubi judicis ecclesiastici jurisdictio quoad causas testamentarias fundata reperitur *a*) at vero de testamentis, aliisque ultimis voluntatibus ad pias causas potestas

Prin-

Principis penes juris sacri interpretes quamplures, nondum posita in claro videtur, nos tum imperantes tum etiam Episcopos ab ultimarum voluntatum ad causas pias executione atque difficultatibus in ea obortis authoritate suâ tollendis plane excludere non possumus; etenim sanctissima licet causa sit, cui bona à testatore consecrata fuerint, suam tamen naturam pristinam exuerunt nondum, quousque ultima voluntas executioni necdum data atque aliunde in controversiam vocata fuerit; bona sunt temporalia, ergo sunt objectum causæ *non ecclesiasticæ sed civilis*, ita ut locum habeat regula à L. B. de CRAMER suppeditata b) *Causas, utut ad ecclesiasticos & clericos referantur, modò nil spiritualitatis positivæ in se contineant, sed circa sæcularia & civilem statum vel possessorium, vel petitorium versentur, omnino subesse jurisdictioni camerali*; Episcopi verò ab hoc negotio excludendi non sunt, quatenus instare, ac sollicitare possunt ac debent, ut ultimis voluntatibus piis satisfiat: atque huic nostræ doctrinæ conformis est ordinatio *Transact relig.* cit. §. 3 sequentis tenoris: Sollte aber von weltichen Personen denen römisch-katholischen Kirchen und Armen etwas vermachet seyn, alsdann wird der weltliche Richter erkennen und exequiren, diese Execution auch keineswegs verzögern, sondern auch ex officio vielmehr aber ad instantiam, welche etwan von Officialen oder sonsten geschiehet, dieselbe in gesetzter Frist rechtens beschleunigen und werkstellig machen; similis ferè tenoris sunt Concordata provisionalia §. IX. cit.: wann in der weltlichen Testamenten in der Ehre Gottes etwas besetzt und verordnet, und die Executores oder Tranhender solches binnen Jahr und Tag nicht exequiren würden, auf welchen Fall obgemeldte geistliche Obrigkeit dazu anhalten mögen in einer benennter Zeit solche Verordnung zu exequiren, oder redliche Ursachen der Verhinderung anzuzeigen; quodsi verò alicubi ex Concordatis, aut consuetudine & praxi ejusmodi causæ testamentariæ piæ foro ecclesiastico fuerint subjectæ, rectè Episcopus jus suum urgere poterit.

a) Cf. van ESPEN *J. E. U P. III. Tit. II.*

b) Wetzl. Nebenstunden *P.* 21. 8. Abhand. *p.* 116.

§. XX.

De Potestate Principum circa Privilegia Causarum piarum.

Quanquam nihil magis æquum ac Ecclesiæ consentaneum sit, sua ultimis voluntatibus piis servari privilegia, quæ iis *leges expressæ* hactenus indulgebant; intolerabile tamen atque sanis interpretationum regulis difforme omnino esse arbitramur, quod ultra expressum legum tenorem,

contra verisimilem Legislatoris voluntatem privilegia quoad causas pias ampliarint interpretes nixi hoc potissimùm principio: *summa est ratio, quæ pro religione facit*: inde, si inter voluntatem ad profanas causas, atque aliam piam collisio dubiumque nascatur, generaliter causam piam religionis intuitu ità privilegiatam fore arbitrantur, ut causæ piæ favendum magis sit, quàm causæ profanæ, ità ut ducenta & amplius privilegia causis piis adscribant cum famoso TIRAQUELLO alii plures; Nos duo generalia principia hâc in re firmiter tenenda esse asserimus: *Primum*: *Cùm hodie causæ piæ ex capite solennitatum, largiente Principe, privilegiatæ sint, iis* PERFECTA *Testatoris* VOLUNTAS *suffragari debet*; quæ voluntatis perfectio quousque probata nondum fuerit, atque dubia sit & anceps voluntas, hæc tanquam *perfecta* non præsumitur; causas enim pias *ex capite solennitatum* exemptas esse scimus, esse verò privilegiatas *ex capite voluntatis* non legimus; solam *perfectam* voluntatem piam privilegiârunt Principes, non *dubiam & imperfectam*; *alterum*: ultimæ voluntates piæ tamdiu utuntur jure Principis communi, donec specialis à lege exceptio expressa doceatur: quâ in re, cum diu nobis fecerit otium Cl. BOEHMERUS, a) ad illum remittimus.

a) Jure ecclef. prot. *L. 3. Tit. XXVI.*

§. XXI.

CONTINUATIO.

Quid verò in *causarum piarum collisione* de privilegiis, quibus gaudent, sentiendum sit, persæpè quæstio oritur; quæstio hæc cum sequenti Responso juris multum illustretur, subjungere illud placuit; optantes, ut judices in decidendis dubiis quoad ultimas voluntates pias enatis non imaginarias interpretum extensiones privilegiorum præ oculis habeant, sed æquitatem pro norma habentes ità causis piis faveant, ut reipublicæ bono, Legislatoris Principis menti nulla vis inferatur.

TANTUM.

Recht-

Rechtliches Gutachten
über
folgende Species facti.

Im Jahre 1772 errichtete der J. P. G. Pfarrer in W. herzöglichbergischen Gebieths eine testamentarische letzte Willensverordnung ad Causas pias. — Er setzte zu seinen Erben ein die eigene Pfarrkirch, und die darinn befindlichen Armen, — ferner die Pfarrkirchen zu H., H., B., U. und R. — In diesem Testament sind ferner enthalten verschiedene Legata pia, und andere Legata profana. Diese letzte Willensmeynung ist auch mit allen erfoderlichen Feyerlichkeiten versehen, und hat von allen Seiten ihre rechtliche Vollkommenheit erhalten.

Nebst diesem errichteten vollkommenen Testament ad Causas pias schrieb gemeldeter Pfarrer mit eigener Hand ein testamentarisches Formular ohne Bestimmung des Jahres, Monathes, und Tages, ohne seines Namens Unterschrift: ohne alle Feyerlichkeiten.

In besagter Schrift widerrief er alle vorige Vermächtnissen. — Er schrieb darinn seinen Erben den hochedelgebohrnen Hrn. H. T. in der Stadt K. Rathsverwandten. —

Dem Kloster der ehrwürd. Väter K. wird in dieser Schrift zugedacht eine reichliche Summe von 7000 Rthlr sammt dem vorfindlichen Golde, Silber, Zinn, und anderm Hausgeräthe zum Behuf ihres Klosterbaues. —

** Hæc lex autem medicinalis à malis præservativa est famosa illa regula Cancellariæ DE VIGINTI, aut DE INFIRMIS RESIGNANTIBUS; adferam autem illam, prout sub initium Pontificatûs moderni Summi Pontificis, publicata fuit, more stylóque aliàs usitato: *Item voluit, siquis in infirmitate constitutus resignaverit aliquod beneficium, sive simpliciter, sive ex causa permutationis, vel alias dimiserit, aut illius commendæ cesserit, seu ipsius beneficii unius dissolutioni consenserit, etiam vigore supplicationis, dum esset sanus signatæ, & postea* INFRA VIGINTI DIES *à die per ipsum resignantem præstiti consensus computandos, de ipsa infirmitate* DECESSERIT, *& ipsum beneficium quávis Authoritate conferatur, per resignationem sic factam, collatio hujusmodi nulla sit, ipsúmque beneficium nihilominus per obitum censeatur vacare.*

§. VII.

Hujus Regulæ Cancellariæ DE VIGINTI Origo æquè incerta est, * ac Resignationum in favorem; in antiquissimo impresso de Sæculo XV. inter Regulas Cancellariæ Papæ SIXTI IV. reperitur in ordine *decima octava*; ** sed per Successores Pontifices, JULIUM II., ADRIANUM VI., CLEMENTEM VII., PAULUM III., & JULIUM III. aucta, atque in eum statum in quo nunc est, redacta fuit. ***

* Flaminius PARISIUS ex SARNENSI *Lib. XII. de resign. in Præf.* tradit, fundatam hanc regulam esse Authore BONIFACIO VIII. anno ejusdem Pontificatûs octavo, adeóque ultimo, 1303. — Ejusdem sententiæ est J. d'AVEZAN *Tract. de resign. benef.* in MEERMANNI *Thes. nov. Jur. Can. & civ. T. IV. p.* 307. ubi ex GOMESIO in præf. ad hanc reg. Authorem primum hujus Regulæ laudat Bonifacium VIII. — *at difficile creditu*, ait GASTELLUS, in Tractatu de usu & praxi Curiæ Romanæ, *Regulam istam à Bonifacio VIII. inductam fuisse; quia, cùm Resignationes in favorem non innotuerint, nisi post tempora Bonifacii, imò earum usus demum frequentari cœperit tempore Schismatis Avenionensis, regula hæc nequit ab eo fuisse inducta, utpote quæ Resignationes in favorem concernit.*

** Ubi

** Ubi fol. m. 143. refertur his Verbis: ſub Papa Sixto IV. an, 1472. publicata: *Item voluit, quod ſiquis in infirmitate conſtitutus reſignaverit aliquod Beneficium ſive ſimpliciter ſive ex cauſa permutationis & poſtea infra XX. dies de ipſa infirmitate deceſſerit, ac ipſum Beneficium conferatur per Reſignationem, facta collatio hujuſmodi nulla ſit, ipſumque Beneficium nihilominus per obitum vacare cenſeatur:* — INNOCENTIUS Papa VIII. immediatus Succeſſor SIXTI IV. an. 1484. iisdem verbis hanc regulam publicari juſſit, uti teſtatur idem impreſſum fol. 153. — Mox verò, poſtquam Romæ publicata fuit, an. 1493. in Gallia recepta, & Regiſtris Curiæ Pariſienſis inſerta fuit, referente ESPENIO *J. E. U. Part. II. Tit. 27. Cap. V. n. III.*

*** Confer regulam à SIXTO IV. & INNOCENTIO VIII. publicatam mox relatam, cum ea ipſa quàm ſupra §. VI. retuli, & primo intuitu videbis, qualiter per Succeſſores Pontifices aucta fuerit: — JULIUS II. addidit, *dies XX. à tempore præſtiti conſenſûs computandos eſſe.* — ADRIANUS VI. appoſuit verba: *vel aliàs dimiſerit:* — CLEMENS VII. addidit: *etiam vigore ſupplicationis, dum eſſet ſanus ſignatæ.* — Sub PAULO III. addita ſunt iſta: *ſeu ipſius Beneficii unionis diſſolutioni conſenſerit.* — JULIUS III. illa: *aut illius commendæ ceſſerit:* — Item iſta: *quâvis Authoritate &c.* Vide PARISIUM *l. ſup. cit.* & ESPEN l. cit.

§. VIII.

Utùt juſta ſit hæc regula, pro avertendis fraudibus neceſſaria ac utilis, praxis tamen invaluit, ut huic ipſi regulæ ſoleat derogari; * quamvis ipſi Pragmatici Romani adhuc diſputent, an huic regulæ Authoritate Papæ valeat derogari? **

* Hodie communiter & de ſtylo derogatur huic regulæ, quando reſignans eſt abſens à Curia Romana, ait CHOKIER *in comment. ad hanc regulam n.* 34. In Italia verò aliquando ſolet concedi derogatio, quando locus Reſignationis diſtat à Curia: — Ante LEONEM X hæc derogatio penitus erat incognita; hic Papa primus erat, qui ſœpius tempore ſui Pontificatûs huic regulæ derogavit, teſte GOMESIO *ad hanc regulam Q.* 39. — Immediati ejus Succeſſores non derogabant; PAULUS III. non derogabat, niſi maximam gratiam & favorem facturus referente SARNENSI *ad hanc reg. q.* 39, — Flaminius PARISIUS *de Reſign. L. XII. q* 14. *n.* 4. inquit: *hæc tamen clauſula* (derogatoria) *ſolet caſſari ob fraudes, excepto in materiis* ALEMAN-

NIÆ & *Hiberniæ & aliis locis longinquis.* — Vides hinc pro Germania nostra ex mente Curialistarum praxin derogandi huic regulæ ità invaluisse, ut clausula derogatoria Bullæ Resignationis inserta non cassetur, ùtùt sit periculum fraudis. — *Rota Romana* die 21. Maji 1540. *in una salamantina* resolvit: derogationem hujus regulæ *non esse* insolitam pro nobilibus & notabilibus personis. — In Francia praxis derogandi regulæ de viginti existimatur esse *portio Libertatis Gallicanæ*, sic quidem, ut sint ibi juris remedia cogendi Papam, ut regulæ de viginti deroget, *quodsi resignans supplicaverit pro derogatione hujus regulæ*, ait MELCHIOR PASTOR in Tract. de Benef. L. 3. C. 6. n. 6. *pro Gallia derogatio denegari nequit, nam ex Stylo Curiæ Clausula derogatoria dictæ regulæ in literis Beneficialibus apponi solet, & quæ sunt moris & consuetudinis sunt servanda; si autem derogatio fuerit petita & denegetur, resignatarius appellare potest à negatione signaturæ tanquam ab abusu*; testatúrque ibi in Senatu Parisiensi ità fuisse judicatum super appellatione interposita à Resignatario contra denegatam derogationem regulæ de viginti. — Ego sanè miror, in Gallia hanc regulæ derogationem ità passim admitti: cùm evidens sit, hac derogatione regulam *de viginti*, obviando fraudibus, nec non conservandis juribus Ordinariorum aptissimam, & ùt talem in Regno admissam & registratam omnino reddi inutilem. — An pro Belgio derogatio ista ex Stylo Curiæ literis inseri solita vim suam habeat in præjudicium Ordinariorum? Quærit ESPEN *J. E. U. P. II. T.* 27. *C. V. n.* 3. referens: cùm an. 1624. petitum esset placetum Regium in Concilio privato super litteris provisionis apostolicæ, quibus inserta erat clausula derogationis hujus regulæ, Concilium annuit placetum cum hac expressa clausula: *sinè partium præjudicio, quibus liberum erit adhibere media in Responsione aut Scriptis suis deducta, judicibus ordinariis tam in petitorio, quàm in possessorio: cum hac tamen cautela, ut si contestationis decisio penderet à* PUNCTO DEROGATIONIS REGULÆ DE XX. DIEBUS *in Bulla expressæ, dicti judices nihil statuant, nisi suam Majestatem certiorem desuper fecerint, judiciumque suum adposuerint.*

** Videantur GOMESIUS, CHOKIER, REBUFFUS, GARCIAS Pyrrhus CORRADUS aliique — præ ceteris autem conferri meretur Carolus MOLINÆUS JCtus Gallus de Sæc. XVI. in suo commentario analytico ad hanc reg. de XX. n. 95. impresso Lugduni 1551.

§. IX.

§. IX.

Quidquid diſputent Interpretes: pro Germania certum eſſe videtur: Regulæ Cancellariæ de viginti nullatenus derogari poſſe, & quidem PRIMO: Quia hæc Regula tranſiit in Legem Germaniæ, utpote à Natione noſtra acceptata, quousque penes illam adhuc continuatur praxis reſignationum in favorem. *

* Quod Regula de viginti à Natione germanica recepta ſit, veluti Lex nationis regulativa Reſignationum in favorem, nullum poteſt eſſe dubium: ex quo praxis reſignandi in favorem, Collatoribus ordinariis germaniæ odioſa, invaluerat, germania noſtra, certa, per regulam de viginti libertatem reſignationum in favorem reſtringi, & aliqualiter ſaltem jus ordinarium Collatorum conſervari, eam acceptavit; Exemplo nationis Gallicanæ, vid. Celeb. BARTHELIUS *in Annot. ad P. Engel. Tit. de renunciat.* — Quodſi verò hæc regula obliget in vim legis à natione noſtra acceptatæ, & uſu receptæ: qui ſuſtineri poteſt, illi invità natione derogari poſſe? Dum ſic ob intereſſe privatum unius aut alterius reſignantis in favorem lex totius nationis in favorem Collatorum germaniæ recepta infringeretur. — Illa omnia momenta hic locum habent, quæ probant Pactis & Concordatis Germaniæ, natione invita derogari non poſſe; — Quemadmodum igitur eruditus VAN DE VELDE Prof. Jur. Lovanienſis in notis Mſſ. ad hanc regulam pro Belgio obſervat, apud ESPENIUM l. cit. regulæ iſti non poſſe derogari; quatenus uſu in Belgio eſt recepta per modum legis, ſeu conſuetudinis perpetuæ, ita & rectè à germania prætenditur, regulæ iſti vim fieri non poſſe ex eadem cauſa, quòd in legem generalem uſu ac conſuetudine receptam tranſierit. — Quare hic locum eſſe arbitror *Capit. Cæſ. Art. XIV.* §. 1. ubi promittit Imperator: *Wir ſollen und wollen auch in künftiger unſerer Regierung bey dem heiligen Vater dem Pabſt und Stuhl zu Rom unſer beſtes Vermögen anwenden, daß von demſelben gleich Wir ohnehin des Vertrauens ſeynd die Concordata Principum... Wie auch eines jeden Ertz-und Biſchofen, oder deren Dom-Capitulen abſonderliche Privilegia, hergebrachte Statuta und Gewohnheiten allerdings beobachtet &c.* adde §. 3. ibid.

§. X.

Secundò: Quia derogatio Regulæ Cancellariæ de viginti, cedit in apertum præjudicium Concordatorum germaniæ & ordinariorum Collatorum. *

* Con-

* Concordata Aschaffenburgensia tum in instrumento à natione nostra erecto, tum in Bulla confirmatoria Nicolai V. ità disponunt: *Idem sanctissimus Dominus noster* PER QUAMCUNQUE ALIAM RESERVATIONEM *gratiam expectativam*, *aut* QUAMVIS ETIAM DISPOSITIONEM, SUB QUACUNQUE VERBORUM FORMA *per eum aut ejus Autboritate factam vel fiendam*, *non impediet*, *quominus de illis*, *cùm vacabunt de Mensibus Februarii*, *Aprilis*, *Junii*, *Augusti*, *Octobris & Decembris liberè disponatur per illos*, *ad quos collatio*, *provisio*, *præsentatio*, *aut alia quævis dispositio pertinebit.* Promittit hic in vim pacti Summus Pontifex, per nullam dispositionem, aut reservationem sub quacunque verborum formà se impediturum esse Collatores ordinarios in suis juribus conferendi beneficia vacantia in mensibus prædictis: nonne autem hæc ipsa ordinaria conferendi facultas concordatis stabilita perimitur, si, admissâ derogatione Regulæ Cancellariæ de viginti, resignatarius è vivis discedat infra XX. dies in mensibus Februarii, Aprilis? &c. Regula Cancellariæ de XX. illæsà subsistente, mortuo resignatario infra XX., beneficium vacabit *per obitum*, non per resignationem, atque ordinario Collatori jus suum illæsum conservabitur, veluti apertus Concordatorum textus statuit. — Concordatis adversatur omnis præventio ordinariorum Collatorum in jure conferendi beneficia: nonne autem hæc ipsa est præventio, si derogatur Regulæ Cancellariæ, & defuncto resignante infra XX. in mense ordinarii beneficium *non per obitum sed resignationem* vacet? — Audiri hìc omnino meretur laudatus antea BARTHELIUS Ss. Canonum in Universitate Wirceburgensi olim Professor Sedi Apostolicæ devotissimus in Tractatu Historico Canonico seu Diss. 3. ad Concordata Germaniæ à p. 118. cujus verba notatu digna huc transcribo: "Hæc autem, (resignatio in favorem) ut plenum suum effectum habeat, & in vim ejusdem beneficium resignatum censeatur vacare, requiritur juxta regulam Cancellariæ de viginti, sive de infirmis resignantibus, ut resignans, si in infirmitate resignaverit, viginti dies à die præstiti consensus in resignationem, supervivat. Hos si non supervixerit, beneficium non per resignationem, sed per obitum vacare dicendum est, ut inquit dicta Regula. Quodsi proinde illud beneficium aliunde non sit reservatum, v. g. quod vacet in Curia, vel in mense papali, subintrat, & in salvo manet libera Ordinariis postliminio ab habitu ad actum, juxta jus antiquum & primigenium reducta collatio, quam nulla dispositione turba-

turbare, aut impedire, disertis verbis in §. *de ceteris* Summus Pontifex promisit. Unde sufficienter colligere est, quid sentiendum de eo, quod hodie communiter, & de stylo Curiæ derogari soleat allegatæ Regulæ per insertam Rescripto hanc similemve Clausulam: *non obstante Regula de viginti* :- ita ut in vim hujus Clausulæ Beneficium resignatum, etiamsi resignans dictos viginti dies non supervixerit, contra apertum tam salutaris Regulæ tenorem per resignationem vacare censeatur. Quamvis enim in Gallia hujus derogationis liberior cursus vigeat, eo quod ibidem Jus Præventionis suum adhucdum hodie locum habeat: alia tamen omnia in nostra Germania vel ex hoc ipso Capite elicienda esse liquet, quod juxta §. V. Sect. II. Cap. II. Dissertationis nostræ generalis dictum jus præventionis apud nos exulet penitus & ignoretur. Igitur non nisi cum summo Juris Ordinariorum præjudicio hæc dictæ Regulæ derogatio in nostra Germania admittitur; quale tamen præjudicium cum unice in causa sit, cur in casu Reservationis, vel Vacationis in Curia derogatio hujus Regulæ vel plane non, vel saltem, ut CHOCKIER ait *num. 34. ad hanc regulam* non tam facile admittatur, quatenus illa salva manente, & non derogata Regula ipsa libera Beneficiorum illorum collatio summo Pontifici salva maneat, & conservetur; Ordinariis Germaniæ haud credimus, succensendum erit, si & illi hoc sibi, suoque libero Juri per subinductam dictam Clausulam derogatoriam imminens præjudicium quovis meliori modo studeant abs se amoliri, incitati maxime Exemplo Belgarum, apud quos, cum alternativa mensium nulla præventione impedienda pariter vigeat, dicta clausula derogatoria nunquam admissa fuit, neque hodie admittitur... Quibus omnibus demum accedit, quod ex eo quoque non satis laudanda, & approbanda videatur hæc Clausula, quod Styli sit, &, ut inquit MOLINÆUS *in Comment. ad hanc Regulam*: "passim " sine delectu fiat (hæc derogatio) additis quinque Ducatis, unde " nemo non videt, Abusum, & Illusionem esse, quasi hæc Regula " Nundinationis causa facta sit, utque Carius Bullæ veneant" quamvis igitur verba quibus hæc retulit MOLINÆUS, asperiora, & nobis minus reverentialia videantur, atque propterea per factam hoc loco eorundem insertionem (quod expresse protestamur) nequaquam à nobis adoptentur, approprienturque; illud tamen ipsa experientia satis edocet, saluberrimam illam *de infirmis Resignantibus* Regulam promiscua hac, & arbitraria derogatione fere inutilem & superfluam ho-

die, non sine offensa Catholicorum & Protestantium hisce in partibus reddi, eamque proin esse de illis praxibus, de quibus viri uti Purpura ita doctrina conspicui sentiunt, expedire illas, in Curiam invectas non esse, nec ibi retineri. Hucusque Celeberrimus BARTHELIUS.

§. XI.

TERTIÒ: Quia derogatio ista Regulæ Cancellariæ de viginti pertinet *ad gratias illas informes*, quæ in Art. XIV. §. 1. Capitulationis Cæsareæ improbantur, contra quas officium suum sese interpositurum esse disertis verbis ibidem promittit Augustissimus. *

* His Verbis: *Wir sollen und wollen auch in künftiger unserer Regierung, bey dem heiligen Vater dem Pabst, und Stuhl zu Rom unser bestes Vermögen anwenden, daß von demselben, gleich Wir ohnehin des Vertrauens seynd, die Concordata Principum, und die zwischen der Kirche, päbstlicher Heiligkeit oder dem Stuhl zu Rom und der deutschen Nation aufgerichtete Verträge, wie auch eines jeden Erz- und Bischofen, oder deren Dom-Capitulen, absonderliche Privilegia, hergebrachte Statuta und Gewohnheiten allerdings beobachtet, und dagegen* DURCH UNFÖRMLICHE GRATIEN, *Rescripten, Provisionen, Annaten, der Stift Mannigfaltigung, Erhöhung der Officien im Römischen Hof, und Reservation, Dispensation, und sonderlich Resignation, dann darauf unternehmende Collation allsolcher Præbenden, Prælaturen, Dignitæten und Officien (welche sonsten per obitum ad Curiam Romanam nicht devolviret werden, sondern jederzeit, ohnerachtet, in welchem Monat sie auch ledig und vacirend würden, denen Erz-und Bischöfen, auch Capitulen und anderen Collatoren heimfallen) Wie weniger nicht per Coadjutorias Prælaturarum Electivarum & Præbendarum super Statu Nobilitatis, oder in andere Wege, zu Abbruch deren Stifteren, Geistlichkeit, und anders wider gegebene Freyheit und erlangte Rechten... in keine Weise gehandelt.* — Hoc Textu informes gratiæ reprobantur. — Gratia autem quâ Regulæ Cancellariæ de viginti derogatur, nonne dicenda est *informis*, utpote repugnans legi & consuetudini Germaniæ atque ipsis Concordatis? — Cavetur præterea, omnes Collationes beneficiorum impediendas fore, quæ per obitum ad Curiam Romanam non devolvuntur: sed beneficium resignantis mortui infra XX. dies in mense ordinarii non devolvitur per obitum ad Curiam Romanam, ergo in vim Capitulationis Cæsareæ,

ordi-

ordinarii Collatores manutenendi sunt, si resignans infra XX. moriatur in mense ordinarii, etsi gratiâ informi regulæ de viginti fuerit derogatum.

§. XII.

Unde Augustissimus Imperator, qui pro Concordatis & Juribus Germaniæ sollicitè semper excubat, anno hujus sæculi quinquagesimo, hanc derogationem Concordatis adversari judicavit manutenendo provisum ab ordinario Collatore, contra Resignatarium provisum cum Clausula derogatoria Regulæ Cancellariæ de viginti. *

* Author annotationum Barthelii ad Tit. de Præbend & Dign. p. 108. enarrat casum de an. 1747. sequentem his verbis: Contigit in hac materia casus Paderbornæ, qui inter Consilium aulicum & Curiam Romanam disceptatus est: resignavit Romæ D. de Galen in favorem D. de Fürstenberg, & in Supplica petiit derogari Regulæ Cancellariæ; Procurator dein in præstito juramento & consensu hoc omisit petere, ut Bullæ insereretur. Hic obiit dein intra XX. dies, & sic Præbendam D. de Wenge suo contulit Nepoti D. de Wenge. Recurrit dein D. de Fürstenberg Romam, & post discordantia Vota tandem conclusum est, quia in Supplica petitum est huic Regulæ Cancellariæ derogari, gratiam hanc jam tum factam esse, novamque ediderunt Bullam, & hanc gratiam ad tempus datæ retraxerunt, cui se merito opposuit D. de Wenge, & Manutenentiam in suo jure à Consilio aulico Viennæ petiit — an. 1750. Rescripsit Senatus Imperii aulicus inter alia: *Es können Ihro Kaiserl. Maj. nicht anders, dann für einen offenbaren Einbruch in die besagtem Dom-Capitul hierunter zu statten kommende Concordata ansehen, daß er, Impetrat sich unterfangen, nach dem bereits erfolgten Hinscheiden des von Gahlen eine anderweite Päbstliche Collation auf mehr berührte Canonicat cum derogatione Regulæ Cancellariæ de XX., und mit Zurucksetzung des dati auf den 8. Febr. 1747. als den Tag der erstern Bullæ Pontificiæ sub- & obreptitie zu erschleichen, &c.* Item ad Capitulum Paderbornense: *Ihro Kaiserl. Maj. hätten mißfälligst bemerken müssen, daß besagtes Dom-Capitul, ohne sich dessen schuldigster massen zu erinneren, daß durch keinerley Päbstliche Reservationes, Derogationes oder Dispositiones, denen mit der teutschen Nation errichteten Concordaten der geringste Nachtheil zugezogen werden kœnne, in der alleinigen Ruckſicht auf die in der zweyten Bulla Pontificia enthaltene Clausulam derogatoriam de XX.*

zu derselben Vollstreckung so willig die Hände geboten habe.... Ihro Kaiserl. Maj. wollen solchemnach Capitulum Reichsväterlich ermahnet haben, für das künftige in dergleichen Fällen mit mehrerer Behutsamkeit zu Werk zu gehen, das hierunter versirende gemeinsame Interesse aller teutschen Kircken besser, als beschehen, zu beherzigen, und durch Annehmung eines so irrig als der Folge halber nachtheiligen Principii (ob könne der Regulæ Cancellariæ de XX. in præjudicium Jurium ordinariorum Collatorum zum größten Præjuditz deren Concordaten auf einigerley Weis derogirt werden) zu ferneren gefährlichen Weiterungen nicht selbst den Anlaß zugeben &c. Vid. MOSER *Tract. von der teutschen Religions-Verfassung p. 679. seqq.* — Igitur extra omne dubium est, quòd, si Casus eveniret, quod resignatarius intra XX. dies obiret in mense ordinarii, non obstante Clausula derogatoria hujus Regulæ, provisus ab ordinario ab Augustissimo manutenentiam contra Resignatarium Jure optimo sperare queat.

§. XIII.

Levis momenti sunt, quæ sententiæ oppositæ Patroni in medium proferunt, argumenta, ajunt 1mò: Qui potuit ponere Legem, poterit & derogare: * 2dò, Summus Pontifex hanc Regulam potuisset simpliciter omittere, quidni & eidem derogare? ** 3tiò: usus & observantia derogandi obtinet *** ergo Summo Pontifici est Jus quæsitum?

* Huic pro Belgio respondet Cl. VAN DE VELDE in not. Mss. ad hanc Regulam: *Nequaquam: quia licet derogatio ista faciat primò quidem cessare Regulam, quatenus hæc habet initium à sua Sanctitate, non tamen quatenus hic usu recepta est per modum legis seu consuetudinis perpetuæ?* — Quidni eodem responso utar pro Germania? in qua Regula ista usu ac consuetudine recepta est, *exuendo naturam Regulæ Cancellariæ quà talis*, transiens in legem universalem Nationis nostræ; dixi: *exuendo naturam Regulæ Cancellariæ quà talis*, unde non moritur cum moriente Pontifice, uti ceteræ Regulæ Cancellariæ, neque resuscitatur, dum ceteræ Regulæ Cancellariæ à neò-electo Pontifice publicantur, sed semper vivit, quousque pacta Nationis nostræ cum Pontifice perdurant; hæc autem semper manent, nisi aliud paciscentibus placuerit, ità & Regula Cancellariæ de viginti.

** Ad hoc respondet BARTHELIUS his verbis: *Verum est, Summum Pontificem hanc regulam simpliciter potuisse omittere; id autem cùm*

non

non fecerit, sed per eam Episcoporum favori prospexerit, in Concordatis autem magis adhuc voluerit prospicere, non potuisset esse intentio in Concordatis, liberè huic regulæ iterum derogandi.

*** Ità Facti Species & Deductio Juris, quæ in Causâ prædictâ coram Judicio Imp. aulico, tum pendente in favorem resignatarii prodiit, atque extat in *select. Juris publ.* Tom 32. & seqq. — Verùm praxis & observantia nihil juvat resignatarium; regula *de viginti* pro fine habet, ut evitentur fraudes, ne resignationes in favorem in præjudicium ordinariorum passim admittantur; ergo nulla observantia contra eam prævalere potest: — deinde hodie nemo in observantia se fundare ausit, quia in favorem regulæ de viginti à Consilio Imp. aulico judicatum iri, supra relatum est.

§. XIV.

Regula hâc DE VIGINTI integrâ subsistente: varia circa eam dubia practica facilè obvia veniunt resolvenda: Et quidem

Quæritur 1) an regula hæc effectum habeat si sanus resignet & moriatur infra XX.? ℞. Affirmativè, tum: quia id erui videtur ex verbis per Clementem VII. additis: *etiam vigore supplicationis dum esset sanus signatæ*: ex quibus verbis, ait LOTTERIUS JC. *de re benef. L. III. p.* 84. Sublata est ferè omnis antiquorum controversia, cùm deinceps frustratorium sit quærere de infirmitate resignantis ejúsve statu: sed sufficiat quem morte naturali infra viginti dies defunctum esse: non itaque exaudiendus est P. Wollf. SCHMID *Tit. de Renunc.* dum contrarium absque lege & omni ratione sustinet. — Miror autem eundem Authorem in hanc antiquorum opinionem, Nationi nostræ odiosam lapsum esse, dum Flaminius PARISIUS Advocatus Romanæ Curiæ *Lib.* 12. *de Resig. Q* 5. *n.* 6. pridem in favorem Ordinariorum Collatorum Germaniæ docuit: *unde hæc Regula habebit locum, non solùm si infirmitas erat à Principio, sed etiam si medio tempore & IN FINE occurrat & sic ante Consensum,* ET POST CONSENSUM; — Tum etiam, quia alterum saltem motivum urget etiam contra sanos resignantes in præjudicium Ordinariorum Collatorum; — Demum in dubio semper in favorem Ordinariorum Collatorum stat præsumptio, favorabile autem est Ordinariis Resignationem suo frustrari effectu, si resignans aliàs sanus subitò intra XX. obierit; nec obest eadem an diversa infirmitas fuerit, satis est, si obierit resignans.

Quæritur 2) quando resignans dicatur supervixisse XX. dies? Status quæstio-

nis hic est: an Regula hæc requirat XX. dies liberos & plenos inter diem admissæ Resignationis & diem mortis, ita ut nec dies præstiti consensûs, nec dies mortis computetur? — Casus hic an. 1680. contigisse fertur in libro, cui titulus: JOURNAL DU PALAIS *Tomo* 10. *p.* 426. Multum pro & contra tum disputatum fuit in magno Parlamento Parisiensi: tandem an. 1682. Causa decisa fuit: tales dies requiri: ratio decidendi potissima hæc erat: Dictio-A-separativa est & exclusiva, ergo dies præstiti consensus non computatur — qui verò die vigesimo à die præstiti consensùs moritur, ille obiisse censendus est infra XX. ad effectum hujus Regulæ, quæ requirit resignantem SUPERVIXISSE XX. dies: atque huic judicato in Germania insistendum est, quia est inhæsivum Regulæ, odiosum Resignatariis & favorabile ordinariis Collatoribus.

Quæritur 3) si pensatis omnibus sit dubium, an resignans infra XX. obierit, an eos supervixerit, e. g. die vigesimo primo post diem præstiti consensûs resignans reperitur mortuus: pro quo stabit præsumptio? hic procedendum est eodem modo, sicutì in Casu, qui in Ecclesia Collegiata ad S. Severinum Coloniæ contigit, ubi die 1mà Novembris (qui erat Mensis universitatis) Beneficiatus repertus fuit mortuus. Dubium erat, an die ultimo Octobris, adeoque in turno, an in Mense universitatis obierit? ubi varia responsa prodierunt: optimum responsum erat illorum, qui cum BARTHELIO *ad Tit. de Præb. & Dign. p.* 207. resolvebant: quod adfirmanti in turno esse mortuum incumbat probatio, vita enim tamdiu in possessione est, donec probetur adempta; ità & in nostro Casu adfirmans, resignantem die vigesimo obiisse, subire debet onus probandi, *quia pro vita est præsumptio, nisi probetur adempta.*

Quæritur 4) Quid si resignans moriatur quidem intra XX. sed in Mense Indultarii aliàs Papali, an vacabit per obitum, ità ut ad indultarium tunc pertineat provisio non obstante clausula derogatoria regulæ de viginti Bullæ Resignationis inserta? — Equidem Cl. BARTHELIUS *Diss.* 3. *ad Concor. Germ. l. cit.* respondet: Derogationem Regulæ habere locum si resignans moriatur in Mense Papali — & rectè: si nullus adsit Indultarius, quia tunc de nullius præjudicio agitur: Papa derogando regulæ, juri, quod possidet, renuntiare potest: — Sed Barthelius dubium non movet, si resignans moriatur infra XX *in Mense Indultarii?* Respondeo: Beneficium tunc vacare *per obitum in favorem Indultarii:* moveor 1) quia multi hodie sustinent *indultum hoc non* esse Privilegium *purum, sed remuneratorium & debitum* Eminentissimis nostris Archi-Episcopis

Indul-

Indultariis — vide *Tom. II. Concordatorum Obſ. XX. cit.* — Exercit. jurid. Cl. NELLERI *Caſu Canon.* — Trev. an. 1772. — ergo huic indulto conceſſo præjudicari non poteſt, ne fiat illuſorium. — 2) Indultum hoc eſt reſuſcitativum poteſtatis nativæ & primigeniæ, quam Archi-Epiſcopi per XI. Sæcula habuerunt conferendi Beneficia ſuæ Diæceſeos. — 3) Beneficium hoc vacat *per obitum*, non alteri niſi *indultario*, ergo. — Sed proviſus ab Indultario tenetur petere Confirmationem, quid, ſi illa denegetur; Reſpondeo, de rigore novâ proviſione non indeget — deinde idem ſupereſſet remedium, ſi canonicè electo ſua confirmatio abnegetur. — An Regula hæc *de viginti* etiam concernat Reſignationes coram Ordinariis, examinat ESPENIUS *J. E. U. P. II. T. XXVII. de Reſig. C. V. n.* 30. & Tom. III. in *Supplem. J. E. Un. p.* 123. quem ſequere. —— Hæc ſunt, quæ pro conſervando integro Concordatorum textu ſcripſi, & pro defendendis juribus Ordinariorum Collatorum, quantum mihi otium temporis ſuperfuit, elaboranda eſſe, neceſſarium & utile judicavi.

III.
DISSERTATIO
JURIS ECCLESIASTICI PUBLICI
AD
CONCORDATA GERMANIÆ
DE JURE DEVOLUTO
SI CAPITULUM ECCLESIÆ CATHEDRALIS GERMANIÆ MEDIATUM NON ELIGAT INTRA TRIMESTRE.

DEFENDENTE R. P. ROMUALDO JOCHMARING, MIN. CONV. PRESB.

§. PRÆLIMINARIS.
OCCASIO SCRIBENDI.

Prodierunt, Authore Anonymo, *Obſervationes hiſtorico-juridicæ in Concordata Nationis germanicæ cum Sede romana*: recuſæ a. 1773. in Tomo II. libelli, cui titulus: *Concordata Nationis germanicæ integra, variis additamentis illuſtrata*; quanquam ſingularem obſervationes iſtæ præ ſe ferant eruditionem, quod tamen inter eas minus adcuratè obſervari videtur, eſt,

est, quod observatione XX. sub lit. l) p. 82. his verbis refertur: *circa electiones Episcoporum disponit c. 41. de elect., quod Capitulum teneatur intra tres menses eligere; hoc tempore elapso, quod ad Metropolitanum cum Consilio Capituli sui pertineat, intra tres menses novum Episcopum ordinare: ceu etiam e. g. an. 1587. Ecclesiæ Mindensi è jure devoluto prospexit Archiepiscopus Coloniensis; omittente Metropolitano, vel ubi Ecclesia Metropolitica vacat, mox post elapsos tres menses ad Papam è jure devoluto pertineret provisio: quodsi electio esset peracta, electus verò consensum in electionem procrastinaret, eatenus tempus determinat Cap. Cupientes 16. de elect. in 6., quo elapso adesset Casus Reservationis per Concordatum Aschaffenburgense factæ. Hæc omnia quàm clara sunt, tam confusa reddere intendunt Curialistæ.* — Hucusque Anonymus. — Tria in hâc observatione sunt consideratione digna; 1) An dispositio *cap. 41. de elect.* usque modo effectum habeat? an verò Concordatis omninò conforme sit, ut, si Capitulum Ecclesiæ Cathedralis non eligat, jus providendi eo casu devolvatur ad summum Pontificem, cui competit jus confirmandi omnes Episcopos tum mediatos tum immediatos? 2) An Exemplum, de Archiepiscopo nostro Coloniensi ERNESTO adlatum faveat Anonymo? 3) An textus Concordatorum contineat illum reservationis casum in sensu Anonymi, ut *procrastinato per electum consensu & confirmationis negotio*, jus providendi ad Pontificem devolvatur? Demum cùm plures moderni J. E. G. Interpretes exemplum Episcopi Tridentini nuper demortui, à summo Pontifice jure devoluto provisi adferant, ex quo jus devolutum Summi Pontificis quoad Ecclesias Cathedrales mediatas germaniæ stabilitum esse credunt, quæritur 4) an ex illo in favorem juris devoluti Pontificii quidquam colligatur? pro quibus elucidandis sit

DISSERTATIONIS

§. I.

Magna semper sollicitudine curavit Ecclesia, ne Ecclesiæ Episcopales * nimis diu suis viduatæ pastoribus existerent; quare jam pridem ordinatum esse legimus, INTRA TRES MENSES Ordinationes Episcoporum per Metropolitanos celebrandas esse, ** nisi necessitas inexcusabilis aliud exigeret. ***

* De Ecclesiis solùm Episcopalibus seu Cathedralibus nobis hìc sermo est, nullatenus autem de beneficiis inferioribus.

** Synodus Chalcedonensis an. 451. Can. 25. (qui refertur apud Gratianum Can. 2. Dist. 75.) ità statuit: *quoniam quidam Metropolitanorum, quantum comperimus, negligunt commissos sibi greges, & ordinationes*

nes Episcoporum facere differunt, *placuit Synodo:* INTRA TRES MENSES *Ordinationes Episcoporum celebrari*; — Josephus Ægyptius in sua Canonum Arabica paraphrasi apud VAN ESPEN Tom. III. p. 251 aperit causas, quæ Metropolitanos movebant, ut differrent Episcoporum Ordinationes: *quandoquidem*, ait, *nonnulli Metropolitani, ex lucri & populi sibi congregandi aviditate*, *ordinationes Episcoporum differunt*; *visum est Synodo ut Episcopi ordinationem non differant ultra tres menses à morte decessoris.* — Sanctus GREGORIUS scribens Constantino Mediolanensi Archiepiscopo L. 6. Epist. 14. ait: *sacri Canones* ULTRA TRES MENSES *præcipiunt Ecclesiam non vacare*: — & ad Archiepiscopum Ravennatensem Marianum Epist. 39. apud Gratianum Can. 11. D. 50. ULTRA TRES MENSES *Ecclesiam vacare Pontifice Statuta sacrorum Canonum non permittunt*; — hic autem *per sacros Canones & Statuta Canonum* intelligi Canonem Concilii Chalcedon. adlatum dubitari nequit, quia illius temporis alius Canon ignoratur, qui terminum trimestrem ordinationi faciendæ præfixisset: — Sæculo VIII. Synodus Vernensis Can. 13. ait: *post mortem Episcopi non liceat Episcopatum esse sine Pastore supra tres menses*: ut autem ambigi nequeat, Canonem Concilii Chalcedon. hic innovari, addit *Synodus Vernensis* suo Canoni hanc epigraphen: *ex Synodo Chalcedonensi.*

Additio: Electio, confirmatio & ordinatio Episcopi juxta disciplinam priorum temporum erant omnino indistincta, atque eodem tempore peragebantur, unde aliud tempus pro Electione, & aliud pro Confirmatione aut Consecratione statutum non erat, sed Metropolitanus, sine cujus consensu nemo poterat esse Episcopus, *secundùm Concilium Nicænum Can. 6.* confirmabat & consecrabat; atque hæc omnia *intra trimestre* fieri oportebat, ut Ecclesiæ à morte Decessoris de Pastore integre fuerit provisum.

*** Hoc ipsum colligitur ex Canone 25. Conc. Chalced. cit.: *nisi fortè necessitas inexcusabilis præparet* (vel uti alia Lectio Dionysii habet: *coegerit*) *tempus dilationis extendi*: — Synodus Vernensis cit. inquit: *nisi talis necessitas grandis extiterit*, *ut ullo modo aliter fieri non possit.* — Ut autem ratio pristina protelandi ordinationes Episcoporum videlicet: *occupatio redituum vacantis Ecclesiæ* penitus cessaret, ordinatum fuit: *ut reditus Ecclesiæ viduatæ penes œconomum ejusdem Ecclesiæ integri reserventur.* Can. cit.

§. II.

Quodsi Ordinatio Episcoporum ultra trimestre sine causa dilata fuit, omnis controversia in Synodis provincialibus terminata fuit, atque earum Authoritate Ecclesiis provisum; * adeò, ut jus illud devolutum ad Summum Pontificem ante jus novum Decretalium penitus fuerit incognitum. **

* Cùm enim ad Sæculum VIII. usque, quo collectio Pseudo-Isidori invaluit Synodi Provinciales Eximiam *in Causis Majoribus* exercuerint potestatem, mirum nemini videri debet, authoritate earum Ecclesiis vacantibus fuisse provisum; — HIERONYMUS *à Costa* in Tract. de orig. & propag. provent. eccles. p. 105 apud Cl. BARTHELIUM Diss. 6. ad Concord. germ. Cap. II n. III. observat: *ante jus novum decretalium, non facilè reperire est, ob negligentiam inferiorum recursum patuisse ad Sedem Apostolicam, sed siqua difficultas oriebatur, in Synodo provinciali terminabatur.*

** Patet ex antè dictis: quid igitur sentiendum sit, de opinione P. Wolfgangi SCHMIDT L. 3. T. 36. p. 497. *jure divino jus devolutionis Summo Pontifici reservatum esse docentis*, ex iisdem facili negotio colligitur: in Synodis Provincialibus, extra fines Ecclesiæ Romanæ & Diœcesin Pontificis propriam, etiam in casu supplendæ negligentiæ omnem difficultatem fuisse sublatam l. cit. p. 393. idem rectè docet: quâ ratione igitur jus devolutum inter jura primigenia & essentialia referri potest, præcipuè, cùm hujus juris devoluti origo nonnisi posterioribus sæculis, postquam Collectio Pseudo-Isidoriana innotescere cœpit, invaluerit: id autem non diffitemur, ad Summum Pontificem pertinere supremam & universalem Curam & Superintendentiam omnium Ecclesiarum *arguendo, instando, monendo*, ut ii, ad quos pertinet, provideant, imo *etiam providendo* per semetipsum, si per Episcopos Comprovinciales secundùm præscriptum Ss. Canonum & universalis Ecclesiæ, Sedi vacanti provideri nulla ratione possit, aut provideatur de indignis.

§. III.

At jure novo Decretalium, jus devolutum * circa beneficia minora primò ** postea verò quoad ipsas Ecclesias Cathedrales, *** introductum, & stabilitum fuit.

* *Jus devolutionis* nobis est translatio juris, pro ea vice amissi, in superiorem, ob negligentiam in eligendo, conferendo & providendo — de RIEGER *P. II. Instit J. E. ad Tit. de supplen. negl. præl.*

** Sæc.

** Sæc. XII. id contigiſſe videtur anno videlicet 1179. quo in Concilio Lateranenſi ſub ALEXANDRO III. habito jus hoc pro beneficiis inferioribus collativis receptum & firmatum fuit; ejusdem conſtitutio refertur in *C. 2. de Conceſſ. præb.* — Sed conſtitutio iſta ad Eccleſias Majores & Episcopales non pertinuit; veluti colligitur ex *Cap.* 12 *de Conceſſ. præb.* in quo Innocentius III. an. 1210. contra Archiepiſcopum S. Severinæ in Calabria, qui jus providendi Eccleſiæ Cathedrali ſuæ Provinciæ ad ſe devolutum eſſe aſſerebat, quia Capitulares intra terminum Concilii Lateran. non elegiſſent, reſcripſiſſe legitur: *Quod Canon Lateranenſis Concilii ab Alexandro Papa contra negligentes editus, ad Archiepiſcopatum vel Epiſcopatum non ſolet extendi*; ecce! etiam Sæc. XIII. initio *jus devolutum* adhuc ignorari.

*** Anno vid. 1215. in Concilio Lateranenſi IV. ſub Innocentio III. Can. XXIII. qui refertur in *Cap.* 41. *de Elect.* quod, quia præſentis controverſiæ objectum conſtituit huc tranſcribere placuit: "Ne pro Defectu Paſtoris Gregem Dominicum Lupus rapiat, invadat, aut in facultatibus ſuis Eccleſia viduata grave diſpendium patiatur; volentes in hoc etiam occurrere periculis animarum, & Eccleſiarum indemnitatibus providere: ſtatuimus, ut ultra tres Menſes Cathedralis, vel Regularis Eccleſia Prælato non vacet. Intra quos (juſto impedimento ceſſante) ſi Electio celebrata non fuerit, qui eligere debuerant, eligendi Poteſtate careant ea vice. Ac ipſa eligendi Poteſtas ad eum, qui proximo præeſſe dignoſcitur, devolvatur. Is vero ad quem fuerit devoluta Poteſtas, Deum præ oculis habens non differat ultra tres Menſes cum Conſilio Capituli ſui, & aliorum virorum prudentum viduatam Eccleſiam de perſona idonea ipſius quidem Eccleſiæ, vel alterius, ſi digna non reperiatur in illa, canonice ordinare: ſi Canonicam voluerit effugere ultionem."

Additio: Non conſentimus ESPENIO: qui in obſervationibus ad Can. 23. cit. T. III. p. 576. ità docet: *poſtquam confirmationem Epiſcoporum, quæ olim ſpectabat ad Metropolitanum ut proximum ſuperiorem, Papa ſibi vendicavit, etiam providendi poteſtatem ob negligentiam* (nota hic incidenter, ex mente etiam Eſpenii jus devolutum, uti & jus confirmandi non pertinere ad jura eſſentialia) *ad ſe attraxit*: etenim in eodem Conſilio Lateranenſi Can. 6. qui refertur in Cap. 44. de Elect. Epiſcopi ultra Italiam conſtituti ſub Metropolitanis confirmationem à Papa impetrabant, reſervato Metropolitis jure conſecrandi, jus tamen devolutum Metropolitis integrum adhuc permanſit. *Cap.* 41, *cit.*

§. IV.

Jus hoc devolutum, quo in vim *C.* 41. *de elect.* ad Metropolitanum pertinebat provisio lapso trimestri, propter invalescentes postea Reservationes Ecclesiarum Cathedralium, absque effectu mansit, * donec *per Concordata Principum* restituto Metropolitanis jure confirmandi, ad eosdem simul redierit hoc jus devolutionis. **

* Cùm enim per reservationes istas Capitulis adempta fuerit libertas eligendi, suâ sponte fluit, etiam jus devolutionis ex dispositione juris communis Metropolitanis concessum, omni effectu fuisse destitutum: cujus enim negligentiam tunc supplerent Metropolitani? non Capitulorum; hæc enim ut plurimum non eligebant: — neque summi Pontificis; hunc enim *in Thesi*, nisi aliud jure cautum sit, nullo præfixo sibi providendi termino arctatum esse dicunt.

** Ad statum controversiæ nunc propius accedimus; quodsi concordata Principum penitiùs inspiciamus, ex iis haud obscurè colligitur Metropolitanis jus devolutionis seu providendi Ecclesiis Cathedralibus sibi subjectis, si Capitulum intra trimestre ex negligentiâ non elegerit fuisse restitutum: Decretum enim de electionibus Consilii Basiliensis Sess. 12. à natione Germanica acceptatum inter alia ità statuit: *per electiones & confirmationes Canonicas* SECUNDUM JURIS COMMUNIS DISPOSITIONEM... *Cathedralibus Ecclesiis... Vacantibus debitè provideatur* — Item: *Confirmatio electionum fiat per immediatum superiorem, ad quem spectat jus confirmandi:* ex verbis Decreti acceptati manifestò sequitur 1) ecclesiis Cathedralibus per electiones providendum esse NB. secundùm juris cummunis dispositionem — quid verò disposuit jus commune circa provisiones ecclesiarum Cathedralium? videlicet, instaurata fuit dispositio *Cap.* 41. *de elect.* quâ Capitulis Cathedralibus conceditur facultas libera eligendi Episcopum: *quodsi verò electio propter negligentiam eligentium celebrata non fuerit, ipsa eligendi potestas pro ea vice ad eum, qui proximè præesse dignoscitur* (Metropolitam vid. quoad ecclesias mediatas) *devolvatur* — Ecce! jus devolutum secundûm juris communis dispositionem instauratum, atquè Metropolitis quoad Ecclesias Cathedrales mediatas apertis verbis per concordata Principum restitutum! — Deinde ad superiorem immediatum seu Metropolitam secundûm jus commune per Concordata Principum rediit *jus confirmandi*; quidni pariter asseramus ad illum rediisse *jus devolutum* in Casu negligentiæ elapso trimestri?

§. V.

§. V.

Quid verò in Concordatis subsequentibus seu Aschaffenburgensibus *de hoc devolutionis jure* statutum fuerit, nunc examinandum venit; an videlicet Metropolitanis manserit restitutum? uti contendit Anonymus: * utrum verò etiam quoad Ecclesias Cathedrales mediatas, omisso medio, in casu negligentiæ ad summum Pontificem jus providendi devolvatur, prout alii contendunt? **

* Verba anonymi supra §. prælim. attulimus.

** Van ESPEN l. cit. indiscriminatim jus devolutionis, si electio intra trimestre negligatur, summo Pontifici attribuit; — Ejusdem sententiæ est Cl. de RIEGGER Instit. J. E. P. II. §. CCCXXIV. — His consentit Cl. Ant. SCHMIDT Instit. J. E. germ. T. I. p. 291. edit. 1. inquiens "*trimestri evoluto jus providendi ecclesiæ viduatæ ad superiorem devolvitur; & in Germania quidem cum jus confirmandi sit penes Pontificem, ad eum id juris spectabit.*" BARTHELIUS Diss. 3. ad Concord. Germ. p. 153. sqq. pariter tuetur partes summi Pontificis — Reverendiss. P. RAUTTENSTRAUCH in suis Institut J. E. G. T. I. §. CLII. ait: *Lege Concordatorum Germaniæ jus devolutionis ob negligentiam Capituli Metropolitani* VEL CATHEDRALIS *in electione Episcopi vi connexionis cum jure confirmandi immediatè est reservatum summo Pontifici.* — In eandem sententiam descendit Cl. SCHROD in suis Inst. J. E. G. *ad Tit. de elect.* — antiqui verò Canonistæ ad unum omnes. —

§. VI.

Quodsi Textus Concordatorum Aschaffenburgensium * accuratiùs evolvatur, ex eodem palam esse arbitramur, si Capitulum Cathedrale Germaniæ mediatum intra trimestre non eligat, *jus providendi eâ vice ad Summum Pontificem devolvi.*

* Textus Aschaffenburgensis, prout ex Originali in Archivio Imperii asservato transumptus, extat in Fasciculo III. Documentorum ad Concordata Germaniæ 1777. edito p. 104., hic est: *Item in Ecclesiis Metropolitanis & Cathedralibus etiam Apostolice Sedi immediate subjectis fiant electiones canonice que ad Sedem Apostolicam deferantur quas etiam ad Tempus constitutum in Constitutione Nicolai, que incipit cupientes Papa exspectet, quo facto si non fuerint presentate, vel si presentate minus canonice fuerint, Papa provideat. Si verò canonice fuerint, Papa eas confirmet* &c. — Hoc textu Capitulis Cathedralibus restitutam esse legimus liberam eligendi facultatem per verba: *fiant*

electiones canonicæ: has etiam, ut confirmentur, ad Sedem Apostolicam deferri Concordata volunt, intra tempus Constitutionis Nicolai III, quæ habetur in *C. 16. de elect. in 6.* quid vero hic statutum esse censendum est, si intra hoc tempus nulla electio præsentetur, aut præsentari possit, ideò, quia intra trimestre Capitulum Cathedrale non elegit? — *Si non fuerint præsentatæ*, inquiunt Concordata, *Papa provideat*; est igitur verus sensus Concordatorum: *si* intra tempus Statutum *Sedi Apostolicæ appareat*, Ecclesiæ Cathedrali *per electionem* NON ESSE PROVISUM, *Papa provideat*; ecce jus devolutionis summo Pontifici apertè stabilitum! atque ità intelligenda esse Concordata, docet BARTHELIUS *Diss.* 3. *ad Conc. Germ. p.* 154. ubi ait: *in eo hic Concordatorum passus à jure communi* (dicamus etiam à Concordatis Principum) *deviat atque recedit*, *quod jus providendi in casu quoque negligentiæ propriè dictæ sive in omittendo commissæ non ad immediatum superiorem*, *sive eum*, *qui proximo præesse*, & *respectu Ecclesiarum Cathedralium Archiepiscopus esse dignoscitur*, *sed ad ipsum statim summum Pontificem devolvatur*,... *eique libera per verba*: PROVIDEBIMUS — PAPA PROVIDEAT, *immediatè per semet ipsum providendi facultas jure devoluto deferatur*; Neque alius sensus huic Concordatorum textui adfingi poterit, quia alius reservationis casus, quem in odium Capitulorum Germaniæ tum Cathedralium, tum Metropolitanorum adfert Anonymus, sub Concordatis non comprehenditur (§. sq.)

§. VII.

Hoc autem eo certius esse, ostenditur, quia ille Reservationis Casus Anonymi: *quòd*, *si electus suum consensum in electionem procrastinaret*, *ad Papam providendi jus devolvatur*; nullatenus in Concordato Aschaffenburgensi comprehenditur; * Ergo intelligendus est textus Concordatorum, si electio non fiat intra trimestre & propterea non præsentetur Sedi Apostolicæ,

* Sàtis esset opinionem hanc Anonymi Capitulis Germaniæ odiosam refellere verbis Celeb. Barthelii, qui Diss. 3. cit. p. 154 & seqq. docuit: *Illud verò mirum videri jure non immerito debet*, *qui hac in re alius adhucdum... à jure communi recessus ex hisce verbis:* si non præsentatæ fuerint... Providebimus, *non tam in præjudicium Metropolitanorum*, *quàm Capitulorum extendi* & *præfigurari velit*: *videlicet:* "quòd hæc provisio immediata summi Pontificis locum habeat, quamvis in omittenda electionis factæ præsentatione à Capitulo nulla commissa

"missa fuerit negligentia vel culpa, sed si ipsis Electoribus, & aliunde "nec in persona nec in forma electionis peccantibus, solus electus pro "confirmatione suæ electionis in termino juris non comparuerit; adeò "nimirum, ut non tantùm electio irritetur, & electus jure sibi inde "quæsito excidat, sed nec ad Electores quamvis innocentes revertatur, "ex sola illa & generali nimirum ratione, quòd aliàs diutinæ Ecclesia-"rum vacationi sacris Canonibus ac præcipuè Capitulo: *cupientes*, pro-"hibitæ non satis esset provisum, nec celeris illarum esset expeditio... "Huic sanè repugnat generalis illa juris devoluti ratio, quòd nonnisi "in pœnam negligentiæ illud à jure constitutum, adeóque in illorum, "qui nullam commisere negligentiam, præjudicium vergere, ac natura-"liter alteri per alterum iniqua conditio inferri, vel unus alterius odio "prægravari non debeat Cap. 22. & sq. *de reg. J. in 6.*" — Iisdem ferè verbis hæc doctrina annonymi refutatur à Cl. BEHLEN Diss. ad Concordatorum verba: *electione cassata postulatione non admissa &c.* ed. Mog. 1767. Cap. 2. §. 11. ibi ulterius asseritur, "quod negligen-"tia electi nocere nequeat Capitulo, si electus nequidem per Procura-"torem, prout usus Germaniæ, confirmationem sollicitet;... Jus eligen-"di redit ad Capitulum, prout revertitur, si electus renuntiet, moria-"tur, vel aliàs perpetuo fiat inhabilis: nequidem in extravagantibus "similis extat reservatio vel devolutio, ergo verba Concordatorum: *si* "*non præsentatæ* — intelligi debent secundùm jus commune, si ex "culpa NB. & negligentia Capituli electiones non sint præsentatæ, vel "si culpa solius electi, *providebimus*, id est: cassando electionem & in-"dulgendo novum electionis terminum prout de jure —" quamvis ex hoc abundè satis paradoxa & libertati Capitulorum Germaniæ odiosa opinio refutata maneat, exinde tamen id manifestò magis adhuc erui-tur, quòd Capitulis Germaniæ per Concordata tum Principum, tum Aschaffenburgensia *plenissima* restituta sit libertas eligendi; atque notanter in Concordatis Principum in Decreto de electionibus acceptato dispo-nitur, *ut per electiones Canonicas... Cathedralibus Ecclesiis vacantibus provideatur*, SECUNDUM JURIS COMMUNIS DISPOSITIONEM; quid autem jus commune statuit, in casu, ubi canonicè electus suum pro-crastinaret consensum in electionem, aut ultra tempus *Cap.* 16. *de elect. in* 6. differret petere confirmationem? *Cap. 26. de elect. in 6.* ità dispo-nit: *si electio ex eo non sortiatur effectum, quia electus consentire re-cusat, vel post consensum renuntiat juri suo, aut fortè diem claudit ex-*

tremum,

tremum, *seu propter occultum ejus vitium irritatur*, *Electores* (*qui jam fecerant*, *quod spectabat ad ipsos*, *intra juris terminum eligendo*) *habebunt à dissensu*, *renunciatione*, *morte*, *vel irritatione prædictis*, *ac si vacatio nova esset*, *tempus integrum ad electionem aliam celebrandam*: *dummodo nil fraudulenter egerint in præmissis* — ità jus commune. — Quodsi igitur per Concordata Principum liberrima Capitulis Germaniæ concessa sit potestas eligendi, & restituta *secundùm jus commune*, atque Concordata Aschaffenburgensia iisdem expresè non derogent, cùm de casu negligentiæ textus Aschaffenburgensis intelligi possit & debeat, quâ ratione subsistere poterit doctrina Anonymi, dum Capitulis Germaniæ, si nullatenus delinquant, nullam negligentiam admittant, ademptum esse jus eligendi docet, quod jus commune manifestis terminis denuò iisdem indulget? anne credendum est, Præsules Germaniæ, qui adeò sollicitè contra Reservationes, Capitulis restitui eligendi libertatem, adlaboràrunt in Concordatis, voluisse Ecclesias Cathedrales reservatas esse, si electus consensum procrastinaret? in quo casu jus adeò commune ad Capitulum reverti eligendi libertatem statuit — Deinde per omnes suas observationes in favorem Nationis Germaniæ contra reservationes Concordata interpretanda esse docet Anonymus: qui ergo hæc ipsius interpretatio subsistet? quâ novum in Concordatis nullibi expressum reservationis casum admittit. — Demum ipsa Concordata Aschaffenburgensia apertè excludere videntur hunc reservationis casum ab Anonymo adlatum: — Concordata ista provocant ad Cap. 16. *cupientes*. De electione in 6. ubi extat constitutio Nicolai III: atqui cum hac constitutione Nicolai III. optimè consistit, quòd procrastinato consensu per electum ultra tempus præfixum, ad Capitula Germaniæ redeat jus novum eligendi: etiam per *Cap. 26. de elect. in 6.*, in quo continetur constitutio Bonifacii VIII. posterior, *non obstante C. 16. ibid.*, deciditur generaliter: quodsi penes Capitulum non steterit electionem à se intra terminum juris factam effectum non sortiri, eidem novus eligendi terminus, ac si Ecclesia vacaret de novo, sit indulgendus; alium igitur reservationis casum in favorem summi Pontificis sub textu Aschaffenburgensi contineri dicendum est, videlicet, quòd si ex negligentia Capituli electio omissa sit intra trimestre, & propterea Sedi Apostolicæ intra tempus C. *cupientes* statutum non fuerit præsentata, ad Papam jus providendi, omisso medio, devolvatur.

§. VIII.

§. VIII.

Nullatenus autem favet sententiæ Anonymi: quod de Archiepiscopo nostro Coloniensi ERNESTO scribit: * videlicet: illum an. 1587. mox post elapsos tres menses è jure ad se devoluto prospexisse Ecclesiæ Cathedrali Mindensi. **.

* Verba Anonymi vide supra §. prælim.

** In Exemplum hoc utpote domesticum curatius indagare placuit, ni fallimur: Anonymus factum hoc retulisse videtur ex Chronico Schaumburgensi edito 1614. Authore Marco Cyriaco SPANGENBERG: qui rei seriem lib. 5. c. 52. p. 287. enarrat his verbis: quæ integra adponimus: Als Anno 1585. H. Heinrich Julius von Braunschweig Bischov zu Minden. . das Bischthumb Minden (wie er sich dessen zuvor verpflichtet) resignirt, und Herzog Julius itztgemeltes Bischoves Vater, umb seinen andern Sohn Hertzogen Philipp Sigmunden bey dem Capitel anhielt, denselben zum Bischove anzunehmen, und das Capitel zwar solches auch nicht allerdings abgeschlagen, doch um etzlicher Aemter in der Graffschafft Hoya (welche hiebevor erbloß abgestorben, und Hertzogen Julio heimgefallen) Ansuchung gethan, weil vermüge etlicher Vertrege, das Capitel an denselben etwas Gerechtigkeit hette, daß die dem Capitel wieder eingereumet werden mochten, und Hertzog Julius drüber viel und langes Bedenken nahmb, drüber die bestimbte Fatalia einen newen Bischove zu wehlen, verlauffen, hat sich Ertzbischove ERNST zu Cöln als der Metropolitanus seines Rechtens gebraucht und den Graf Antonium zu Holstein, Schauemburg rc. Thumbprobsten zu Hildesheim dem Capitel Minden nominirt, den sie auch drauf, wie wohl sie anfenglich etwas tergiversirt, zu ihrem Bischove an. 1587. erwehlet, angenommen, und solenniter im Thumb zu Minden proclamiret haben, der auch alspaltt eingetretten, und den Stifft 12. Jahr löblich regieret hat. — Ità Chronicon Schaumburgense. — Dixi in hoc Chronico absque dubio se fundâsse Anonymum, eò quòd hìc deprehendamus Archiepiscopum nostrum Ernestum suo jure devoluto Metropolitico fuisse usum: ast nonne pariter ex eodem edocemur, hanc nominationem (si tamen nominaverit) ex jure devoluto effectum non habuisse, quia Capitulum Mindense vià electionis suæ Ecclesiæ providit non attendendo ad nominationem ex jure devoluto — Atque hoc est, quod certiùs discimus ex Chronico Saxonico Authore CHYTRÆO Ecclesiæ Mindensi tunc vacanti coævo; Chronicon hoc primò editum legimus Gryphiswaldæ an. 1593. 8. Posteà verò reimpressum Lipsiæ auctumque a. 1611. f. Prior editio P. IV. p. 235. & seqq. Altera verò p. 768. facti hujus circumstantias

ità refert: " Cùm Henricus Julius (an. 1585. 26. Septembris) Mindensem „Episcopam,ùt convenerat Collegio resignasset: PaterDux Brunswicensis al-„terum filium Philippum Sigismundum, recipi petit. Quem non prorsus „recusat Collegium, modò Dux Brunswicensis præfecturas aliquot Comi-„tatus Hojensis, quas sibi vigore antiquarum transactionum deberi affirma-„bant, restituat; cùm autem diutiùs deliberandum Brunswicensis censeret, & „tempus electionis, Canonibus definitum, interea effluxisset, Archiep. Co-„loniensis Ernestus Bavarus, missis legatis confirmabilem in Curia romana „à Capitulo designari petit, ac seipsum non obscurè Collegio commendat: „quod cùm non obtineret, postea Legatus Pontificius Franciscus Bonhomius „Episcopus Vercellensis Collegium Mindense Aquisgranum citat, ad viden-„dum & audiendum declarari: quia justo tempore Episcopum non elegissent „& postulâssent, electionem hâc vice ad Ernestum Archiep. Coloniensem & „Metropolitanum devolutam, ut is Episcopæ de habili persona provideret. „Collegium vero libertatem electionis suam à prædecessoribus acceptam re-„tinere cupiens: vicinorum Mindæ Comitum Schaumburgensium fratrem „*Antonium* Præpositum Hildesiensem, & Decanum Coloniensem sibi Episco-„pum creat, & Mindæ in summo templo publicè renuntiat 1587. 28 Aug." — Quodsi utrumque hoc Chronicon conferamus, inde certissimum est, quod Capitulum Mindense viâ electionis suæ Ecclesiæ prospexerit, atque nominatio facta (quam tamen subsecutam fuisse authoritate testis coævi mox adlati merito negamus) suum effectum haud obtinuerit; quare omnino fallit assertum Anonymi, quòd Archiep. noster Coloniensis è jure devoluto actu prospexerit Ecclesiæ Mindensi, neque enim prospexisse dicendus est, qui aut non nominavit, aut cujus nominatio effectum non habuit, dum Ecclesiæ viâ electionis prospectum fuit; — Neque sententia Anonymi cohæret, si tempus, quo omnia hæc acta dicuntur, consideremus: an. 1585. 26. Septemb. vacabat per Resignationem Ecclesia Mindensis, ergo tempus per Canones Capitulo definitum erat trimestre currens ad 26. Decemb. ejusdem anni: hoc elapso in sententia Anonymi Metropolitæ erat trimestre currens ad 26. Martii an. 1586. atque currente hoc trimestri suum jus devolutionis nominando exercere debuisset sub pœna devolutionis, qui igitur asseri potest Archiep. nostrum anno demum 1587. prospexisse Ecclesiæ Mindensi è jure devoluto? — At inquies: nunquid saltim ipse Legatus Sedis apostolicæ professus est, *ad Metropolitam nostrum Colon. jus providendi fuisse devolutum?* rationem illius habe sequentem: in quo statu tunc universa ferè germania extiterit, nemo etiam in historia parum versatus, ignorat; præcipuè quis status tunc fuerit Ecclesiæ Mindensis ex actis coævis enarrat BUDERUS *in suis observ. ex monum. &*

diplom. p. 129. *seqq.* ſuprema Summi Pontificis poteſtas paulo ante per P. R erat quieſcere juſſa in Proteſtantes.—Ipſi Summi Pontifices tamen conſultius eſſe arbitrabantur, ſi Metropolitis Germaniæ, quibus Eccleſiarum ſtatus melius erat cognitus, ſuam poteſtatem etiam Pactis & Concordatis quæſitam ad tempus indulgerent, ut Eccleſias Metropoliticas ſibi eò arctiùs haberent devinctas, ut Eccleſiis inferioribus cathedralibus eò melius provideretur in caſu vacaturæ; ſi quo enim tempore unquam ſalus Eccleſiarum periclitabatur, erat funeſtum illud tempus diſſidii religionis: quidni credendum eſt, ipſumSedis apoſtolicæLegatum, imò Pontificem SIXTUM V. qui tunc ſederat, Archiep. noſtro ERNESTO pro ea vice jus devolutum reliquiſſe? quod eò certius videtur, quia elapſo etiam trimeſtri, ex jure communi Metropolitis definito, adhuc remanſit penes Metropolitam, quo tamen elapſo etiam ex ſententia Anonymi jure devoluto uti potuiſſet romanus Pontifex? quod autem eo non fuerit uſus, erat ſapiens Pontificis & Legati œconomia, & Cura qua ſemper ſollicitè vigilant Pontifices pro ſalute Eccleſiarum inferiorum; Quod verò hæc omnia non absque ſolido fundamento à nobis dicantur, inde patet: quod quamvis jus confirmandi electos ad Eccleſias cathedrales Summo Pontifici certò competat ex Concordatis, id non diffitente Anonymo; nihilominus tamen de noſtro Archiep. eodem legimus conceſſum illi fuiſſe à Clemente VIII. pro EccleſiâMindenſi an. 1599. jus confirmandi poſtulatumChriſtianum Ducem Luneburgenſem; atque hoc colligitur ex Brevi apoſtolico Clementis VIII. ad Sereniſſimum Dominum Erneſtum Electorem Colon. die 4. Sept. a. 1599. dato, his verbis: *Totam hanc deliberationem* (concedendæ Confirmationis) *zelo & prudentiæ tuæ committimus; quum tu rebus omnibus circumſpectis magìs Dei gloriæ & catholicæ Religioni, ipſisque catholicis atque adeò rei chriſtianæ publicæ expedire cenſueris, placet, ut tu id exequaris, atque ab aliis exequendum cures;.... Nam quod commemoras de tua erga nos & erga hanc Sedem devotione & catholicæ Religionis conſervandæ & propagandæ ſtudio, illa quidem, ut tuæ & majorum tuorum pietati imprimis ſunt conſentanea, ità ſunt nobis jam pridem de te perſuaſa.*—Breve hoc extat in extenſo apud BUDERUM l. cit. à p. 171. quodſi igitur ipſum Confirmationis negotium pro poſtulato ad Eccleſiam Mindenſem iis temporibus Archiep. noſtro Colon. conceſſum fuerit, potiùs credendum eſt, etiam, ut jure devoluto Authoritate S. Sedis quà Metropolita Eccleſiæ Mindenſi provideret (quanquam non providerit) à Sede apoſtolica eidem fuiſſe indultum; ex his itaque manifeſtò ſequi exiſtimamus, exemplum ab Eccleſia Mind. pro jure devoluto Metropolitico ab Anonymo allatum, propter periculoſ s germ n æ ac præcipuè Eccleſiæ Mind. circumſtantias ejusdem ſententiæ nullatenus patrocinari.

§. IX.

Aſt è contrario neque noſtræ ſententiæ pro jure devoluto Papali circa Eccleſias cathedrales mediatas favet Exemplum Eccleſiæ Tridentinæ, quo hodie jus iſtud devolutum ſtabiliri docent interpretes. *

*) Cl. Ant. SCHMIDT in ſuis Inſtit. J. E. G. Tom. I. p. 201. poſtquam docuit ad Summum Pontificem pertinere jus devolutum, ſi Capitula cathedralia Germaniæ non eligant intra trimeſtre, refert hoc exemplum inquiens: *exemplum notum noſtris diebus contigit in Eccleſia Tridentina.* — Idem exemplum adfert MOSER neueſtes Staats-Handbuch 1. Theil. 3. B. 21. C. ubi Papa jure devoluto 1763. eidem Eccleſiæ providit. — Verùm exemplum iſtud noſtræ ſententiæ quoad jus devolutum circa Eccleſias cathedrales *mediatas* nullatenus favet, etenim Eccleſia Tridentina Metropolitam Germaniæ (de quo ſolummodo eſt quæſtio) non agnoſcit: Cl. de RIEGER P. II. Inſt. J. E. p. 112. Eccleſiam Tridentinam dicit eſſe exemptam ſub Patriarchatu Aquilejenſi exiſtentem — eam pariter eſſe exemptam legimus apud AUB. MIRÆUM *in notitia Epiſcopatuum Orbis Chriſtiani p.* 9. ESTOR Anmerk. über das Staats- und Kirchenrecht p. 223 ait: Trident iſt unmittelbar ꝛc. Quamvis itaque Summus Pontifex Eccleſiæ Tridentinæ propter negligentiam providiſſet; hoc tamen non obſtante Metropolitis Germaniæ ſalvum adhuc & integrum jus devolutum remaneret, niſi clarus Concordatorum Textus illud Summo Pontifici reſervaret.

§. X.

Quodſi veró Capitulum Eccleſiæ cathedralis ſit negligens, & lapſo trimeſtri jus devolvatur ad Summnm Pontificem, an propterea eâ vice Imperator ceu Caput Imperii à jure providendi, quod tum Papa, exercet erit prorſus excluſus? ℞ Negativè, quin potius absque præviis cum Auguſtiſſimo habitis Conſiliis eâ vice Eccleſiæ provideri nequeat. *

* Etenim ſi Capitulum absque præſentia Imperatoris ſeu ejus Commiſſarii peragere electionem nequeat, ceu evidens eſt Concordati Callixtini Textus, quâ ratione excluſus dici poterit, Auguſtiſſimus, ſi jure devoluto provideatur à Papa? nonne eadem prorſus ſubintrat ratio, cur ad actum electionis vocandum ſit Caput Imperii ita etiam ad actum proviſionis ex jure devoluto? eligitur Vaſallus Imperii — providetur à Papa Vaſallus Imperii — vocandus eſt Imperator ad actum electionis, ut videat eligi perſonam ſibi gratam & Imperio utilem, quî ſperni poterit in actu proviſionis ex jure devoluto? quid ſi a Papa provideatur perſona Imperio haud proficua, Imperatore contempto? nonne eadem ratione proviſo apoſtolico denegabit feuda Imperii, ac illi, qui cum Auguſtiſſimi contemptu electus eſt Epiſcopus? paucis: eadem omnia jura circa actum proviſionis apoſtolicæ ex jure devoluto ſarta tecta manent Auguſtiſſimo, quæ huic ex Concordatis competunt circa electionis actum — neque enim negligentia Capituli, quæ Authorem ſuum tenet, Cæſari nocere poterit.

NOTÆ

AD CAP. X. DE TESTAM. *LIBRI III. DECRETALIUM*

DEFENDENTE D. FRANC. HARNISCHMACHER, EX DROLSHAGEN.

I. ALEXANDER III. in C. 10. *de Testam.* ad Hostiensem Episc. ità rescribit: "*Cùm esses in nostra præsentia constitutus, proposuisti talem in tuo Episcopatu consuetudinem obtinere, quòd testamenta, quæ fiunt in ultima voluntate, penitus rescindantur, nisi cum subscriptione septem, vel quinque testium fiant, secundum quod leges humanæ decernunt.*" *Quia verò à divina lege & sanctorum Patrum institutis & à generali Ecclesiæ consuetudine id noscitur esse alienum, cùm scriptum sit in ore duorum vel trium testium stet omne verbum: præscriptam consuetudinem improbamus, & testamenta, quæ Parochiani coram Presbytero suo & tribus vel duabus aliis personis idoneis in extrema fecerint voluntate, firma decernimus permanere: sub interminatione anathematis probibentes, ne quis hujusmodi audeat rescindere testamenta.*

II. BÖHMERUS in *suo Jure ecclesiastico Protest.* ad hunc tit. §. *IV.* ait: novam formam condendi testamenta coram Parocho & duobus testibus esse præscriptam ab Alexandro III., atque per eundem fuisse infractum jus civile.

III. Celeb. DE RIEGGER in *Part. III. Instit. Jurisprud. Eccles.* §. *CCCXCIII.* ait: de solennitatibus externis, quas jus romanum exigit, mitius, credo, judicium Alexander III. ferre debuisset: & §. *seq.* ejus constitutionis normam in territorio romani Pontificis observandam esse, pro quo tantùm ità decidere & voluit & potuit.

IV. P. ENGEL ad *h.t.* de illa decisione prolixè discurrit à n. 10. ad 14. omnia ferè in his consistunt: Cùm 1) Jus Canonicum hìc adversetur civili, sequendum esse quodvis in suo foro; cúmque 2) Clerici non sint de foro laico, eos neque teneri ad formam civilem; imò 3) constitutionem Alexandri III. extra articulum mortis non habere locum.

V. Quisquis non ex solo cortice literæ hanc decisionem interpretari amat, sed accità luce historica, nunquam persuaderi poterit, Alexandrum III. disposuisse duntaxat pro terris sibi temporaliter subjectis, aut ab eodem infractum esse jus civile novâ testandi forma introducta, aut disposuisse duntaxat pro articulo mortis.

VI.

VI. Multis post Justinianum temporibus (epocham in re, quæ successivè introducitur, figere præcisam non possumus) causæ testamentariæ in tota Ecclesia judicabantur ab Episcopis, sive Laicorum fuerint, sive Clericorum; ut doctè probat VAN ESPEN *J. E. P.* 3. *T.* 2. *C.* 2.

VII. Testamenta quoque laicalia conscribebantur instrumentis per Notarios *Clericos* confectis in præsentia duorum testium secundùm illud verbi divini: *in ore duorum* vel *trium testium stat omne verbum*; inde Jure Justinianæo pridem dormiente atque sepulto invaluit UNIVERSALIS ECCLESIÆ CONSUETUDO, ut nemo sive Laicus sive Clericus præcisè teneretur more Justinianæo testari.

VIII. Hanc consuetudinem universalem attestanti Alexandro III. in *Cap.* 10. cit. fides omnino est adhibenda; exinde enim sumpsit Argumentum: *à generali Ecclesiæ consuetudine id noscitur esse alienum*, nempe quod quis præcisè *secundum quod leges humanæ decernunt* testari debeat.

IX. Non dubito, quin eadem consuetudo testandi tàm pro Clericis, quàm pro Laicis obtinuerit etiam in terra nostra Coloniensi: *primò*, quia universalis erat consuetudo, testante Alexandro; 2) vix credendum, cur sola Ecclesia Coloniensis jugum tulerit tam arctæ, per leges Justinianæas dictatæ formæ testamentariæ, cùm Ecclesiæ finitimæ, Moguntina, Trevirensis, & Gallicana, eandem ignoraverint. 3) Quia Statutis particularibus Archiepiscopi Colonienses hanc consuetudinem diu illæsam conservârunt. Vid. Codex antiquissimus Stat. Colon *p.* 48. 52. 4) Quì demum fieri potuisset, ut forma *Justinianæa* in terram nostram Coloniensem modò penetrâsset, cùm fora Germaniæ purgata tunc adhuc existerent LL. Justinianæis.

X. Velitrensis Civitatis Judices libris Justinianæis non ità dudum Sæc. XII. in Italia erutis & magno applausu exceptis innovationi studebant moris antiqui universalis Ecclesiæ, adstringentes omnes, ut forma Justinianæa testarentur præcisè. Restitit præsumptioni tantæ Pontifex *C.* 10. *cit.* non quidem *ùt Dominus territorii*, sed *ùt supremus Protector* consuetudinis universalis per Ecclesiam pridem vigentis, utpote quæ ubique ad majorem testamentorum libertatem adspiraverat.

XI. Velitrensium ausibus hoc modo suppressis, reliquæ Ecclesiæ tanto tenacius inhærebant mori testandi absque solennitatibus juris civilis coram solo Parocho & duobus testibus; donec instauratâ per Imperium formâ testamentariâ Juris Justinianæi per Maxmilianum I. in Comitiis Colon. 1512. §. *von Testamenten* difformitas invaluerit, aliis testamenta Juris Canonici approbantibus, aliis rejicientibus.

XII.

XII. Ex hiſtorico iſthoc contextu perficitur falſum eſſe primo: quod aſſerit Böhmerus, novam per Alexandrum III. in cap. cit introductam fuiſſe formam; ſed antiquam & pridem moribus univerſalis Eccleſiæ introductam per eundem contra Auſus Velitrenſes, & ſenſim invaleſcentes Juris romani ſolennitates fuiſſe conſervatam.

XIII. Patet 2dò: Non durum nimis fuiſſe Alexandri III. de forma Juſtinanæa judicium; ità enim contra novitates defendere oportuit conſuetudinem univerſalem totius Eccleſiæ & Germaniæ radicatam, & quoad ultimas voluntates piè & laudabiliter obſervatam conformiter illi: *in ore duorum &c.*

XIV. Neque verum eſt, pro territorio tantum Pontificis hanc deciſionem prodiiſſe, omnium enim Eccleſiarum intererat, non gravari onere ſolennitatum Juſtinianæi peregrini; quare conformiter huic deciſioni plures Ordinationes Episcopales & Synodales prodierunt, quas incomparabilis Thomaſinus de N. & V. E. D. P. 3 L. C. 24. refert.

XV. Omnium minimè tolerari poteſt ſingularis opinio P. Engel. h. t n. 13. eandem deciſionem *C.* 10. *cit.* duntaxat ad mortis articulum referendam eſſe, neque enim conſonat cum hiſtoria & textu.

XVI. An ergo verum eſt, quod idem Author (vid. n. IV.) ait: nempe in foro eccleſiaſtico juri canonico ſtandum eſſe, in foro civili ſecundùm Jus Juſtinianæum per Maximilianum I. in Imperio inſtauratum judicandum eſſe? ℞ Ad *an.* 1412. usque nullibi in quocunque foro quoad teſtamenti ſoſennitates Jus Juſtinianæum reſpiciebatur. — Poſt tempora Maximiliani I. in utroque foro ſtandum erat Juri Juſtin. ubi hoc receptum erat — ubi verò inconcuſſa manſit conſuetudo aliàs univerſalis jure canonico approbata, etiam in foro civili ſecundum eam pronuntiandum erat.

XVII. In noſtris terris uti & finitimis exulat nunc Jus Juſtinianæum ſecundum rigorem ſuum, ùtùt inſtauratum per Receſſum Maximiliani I. nos utimur forma canonica parumper alterata vid. Jus Statutarium MAXIMILIANI HENRICI Tit. I. §. 2. *Ein ſolcher letzter Will oder Teſtament mag vor Notario* (addatur hìc Nota T. I. edict. p. 487. ex Decreto Rdmi ac Emmi Maximiliani Friderici: *daß der zur Errichtung eines letzten Willens zugezogen werden wollender Notarius bey unſer Hof-Canzley imatriculirt ſeyn müſſe, ſonſten aber das Teſtament von Unwürden und ohnbeſtand ſeye*) *dem geſchwornen Gericht oder Stattſchreiber, oder Paſtorn des Orts, wo der Actus vorgehet, und zween Scheffen in den Stätten, auf dem Land aber zween andern dazu erforderten Zeugen gültig aufgerichtet werden; es ſoll aber daſſelb, wan ſchriftlich*

teſti-

testiret wird, von dem Notario, Gericht oder Stattschreiber oder Pastorn und denen zweyen Scheffen in den Stätten, oder Zeugen auf dem Land unterschrieben seyn — & §. 5. *wan der Testirer des Pastorn, Gericht oder des Stattschreibers oder Notarii, wie auch in den Stätten der Scheffen nicht mächtig seyn kann, oder sonsten sich ihrer zu gebrauchen Bedenkens hätte, mag er an statt einer jeder aus diesen abgebender Person zween andere Zeugen dazuberufen.*

XVIII. Ne verò quis nobis obmoveat, ità formam nostram canonicam *c.* 10. *cit.* potiùs abrogatam esse Jure Statutario, quia forma canonica *non* fuisset *de substantia*, sed *solius probationis gratia*, Jure autem nostro Statutario ea singula *ad substantiam* requiruntur: Nam forma in *c.* 10. *cit.* præscripta erat non *solius probandi gratia* sed *ad substantiam*, quidquid prolixè in contrarium scribat P. *Engel* h. t. n. 14. historiæ illius ævi ignarus; nam ad probationem non requiritur Presbyter, non Presbyter suus, non præter Presbyterum suum duæ saltem aliæ personæ; & si voluntatem nudam, ejúsque simplicem probationem sufficere voluisset Pontifex, cur illis Verbis rem dixit, & non aliis clarioribus? utimur hìc *Arg. c.* 12. *de decim.* & *c.* 11. *h. t.*

XIX. Cùm tam in *cap.* 10. quàm *Jure Statutario* mentio sit *Parochi* seu *Presbyteri sui*, an idoneus erit Presbyter inscitu Ordinarii conductus aut Religiosus fortè superveniens morituro? ℞ De puncto Juris negative: hic enim *non* est *Parochus*, *non* est *Presbyter suus* — id porrò eruitur ex §. 5. *cit.* — *Wan der Testirer des Pastorn... nicht mächtig seyn kan, mag er... zween andere Zeugen dazuberufen.* — Cur quæso L. Lator noster in defectu *Parochi* alios duos Testes vocandos esse voluisset, si alium quemcunque Presbyterum vocare satis esset?

XX. An saltem in casu, ubi Clericus Coloniensis in alio Territorio simul Beneficiatus, in quo pauciores sunt solennitates, ac in nostrâ Diæcesi, tuto testabitur secundùm exteri Territorii formam ad effectum, ut pro omni loco ejus Testamentum debeat agnosci validum? ℞ Id nullo Juris textu nobis probari poterit: communiter utuntur *Arg. l. fin. C. de Testam.* & *l fin C. de Testam. milit.* sed nihil de hoc casu in iisdem statuitur, apertè nobis favet *l.* 9. *C. de Test.* si non SPECIALI PRIVILEGIO *Patriæ tuæ Juris observatio relaxata est*, & *Testes non in conspectu Testatoris Testimoniorum officio functi sunt*, *nullo Jure Testamentum valet* Succurrere tamen hìc solent Principes & Episcopi non quia id conformius esset Juri communi, sed ex aliis causis ne Provinciæ & territoria finitima utantur Jure Retorsionis.

IV. DIS-

IV.

DISSERTATIO

JURIS ECCLESIASTICI

DE

SYNODIS COLONIENSIBUS
CEU PRÆCIPUO FONTE

QUO

SINGULARIA JURIS ECCLESIASTICI COLONIENSIS
CAPITA ILLUSTRANTUR.

AUTHORE & DEFENDENTE D. PAULO DREESEN, CRONENBURGENSI.

INGRESSUS ET OCCASIO SCRIBENDI.

Ex quo Jus ſacrum Eccleſiæ chriſtianæ famosâ illâ Pſeudo-Iſidorianâ Collectione depravatum, negligentiâ hiſtorici ſtudii artisque criticæ, nec non inſalutatis, imo ſpretis veris ac genuinis fontibus corruptum, illuſtriori hac noſtrâ ætate, magis magisque excoli cœpit, inter alios juris ſacri fontes, quibus nævis antiquis & inveteratis purgabatur, Synodos particularium Provinciarum & Eccleſiarum recenſent hodie interpretes; & quidem jure optimo; etenim quis negare auſit in Synodis particularibus contineri decreta, quibus mores nec non disciplina eccleſiaſtica cujusque Eccleſiæ aut conſervantur, aut corrupta inſtaurantur, quæ in Collectionibus juris canonici fruſtra quæſieris, imo quæ à jure communi eccleſiaſtico decretalium prorſus ſunt aliena, ceu Petrus Archiepiscopus Moguntinus teſtis eſt, qui proprium legum eccleſiaſticarum codicem Sæc. XVI. excuſum confecit, qui Cap. I. habet: „ pro communi Eccleſiarum & Cleri, Civitatum Diæceſium & Provinciæ „ Moguntinæ bono diverſas Conſtitutiones à venerabilibus Patribus feliciſſimæ „ recordationis Prædeceſſoribus noſtris veſtigiis inhærentes editas, in diverſis „ Cartulis ſeu Libellis disperſas, ita ut de quibusdam earum, an eſſent „ Conſtitutiones Provinciarum, an Conſtitutionum ejusmodi vim haberent, „ poterat veroſimiliter dubitari, in unam Collectionem ſeu Libellum ad

K „tol-

„ tollendum hoc dubium ex officii noſtri debito, ſuperfluis reſecatis duxi-
„ mus redigendas.......*paucula de Jure communi* pro floſculis fructu
„ tamen non vacuis admiſcendo pro loci ac temporis qualitate. Volentes
„ ergo, ut univerſi, qui nobis ſive diæceſanâ lege ſive metropoliticâ autho-
„ ritate ſubeſſe cenſentur, *hoc tantum Libello pro Conſtitutionibus provin-*
„ *cialibus* in futurum utantur, diſtinctius inhibemus, ne quis in antea pro
„ Conſtitutionibus hujusmodi præſumat in judicio ſive extra illud aliis uti
„ Cartulis, quas fide carere decrevimus in hâc parte, in hoc ſacro Concilio,
„ cui unà cum Fratribus noſtris præſidemus authore Domino approbante."
Inde ea ſemper erat Patrum in celebrandis Conciliis particularibus ſollicitudo, ut grande piaculum in Epiſcopo eſſe putârint, ſi celebrare Synodos ſecundum præſcripta Ss. Canonum intermitterent... omiſſis tot ſalutaribus deſuper conditis Eccleſiæ Decretis, ne nimis longus ſim, memorare ſatis ſit Decretum S. Concilii Baſileenſis in Concordatis Principum acceptatum * quo ſerio Metropolitis & Epiſcopis Germaniæ inculcatur, ut Synodos provinciales omni triennio, Diæceſanas ſaltem ſemel in anno, ubi non eſt conſuetudo, bis annuatim, celebrare non intermittant; Verum hoc ſalutare Decretum & Concordatum hactenus extra obſervantiam pridem abiit, ex eo potiſſimum Capite, quod crederetur, Epiſcopis in Synodo particulari congregatis jus non eſſe privativè absque aliâ ulteriori Confirmatione condendi leges, quæ ſuas Eccleſias obligarent. Natum hoc principium eſt ex prætactâ modo pſeudo Collectione Iſidorianâ, quod eo minus hodie attenditur, quo magis Collectionis Iſidorianæ figmentum hodie detectum eſſe, & ſaniora principia triumphare hac de re videmus. Cum itaque hodie indubitata res ſit, quod Canones & Decreta Conciliorum particularium fontem præcipuum juris ſacri, quo ſpeciales reguntur Eccleſiæ, conſtituant, operæ pretium eſſe, mihi perſuaſum habui, ſi Synodos Eccleſiæ noſtræ Colonienſis, ceu præcipuum juris noſtri Colonienſis ſacri fontem evolverem, atque ex illis ſpecialia plura juris noſtri Capita haurirem & illuſtrarem. Cum porro de Synodo illâ, quæ Euphratam Epiſcopum Colonienſem depoſuiſſe fertur, multus ſit inter Hiſtoriographos ſermo, diſſidium grave, & opiniones diverſiſſimæ, conſtitui, ut Synodum illam prius ad trutinam revocarem, quidque de illa ſit ſentiendum, ſtabilirem.

* *Tom. I. Concord. pag. 56. Part. II. Element. in uſum Auditorii Bonnenſis &c. §. 90.*

CAPUT

CAPUT PRIMUM.

DE SYNODO COLONIENSI, IN QUA EUPHRATAS ECCLESIÆ COLONIENSIS EPISCOPUS FERTUR DEPOSITUS.

§. I.

Synodus Euphratina ex tanta Authorum circa tempus dissensione nec non ex inscriptionum varietate suspecta.

Petrus Crabbe primus omnium * collectioni Conciliorum à se anno 1551 editæ acta inseruit cujusdam Concilii Coloniensis, quod Sæc. IV. sit habitum ex eo fine, ut Euphratas Coloniæ Agrippinæ Episcopus ex causâ, quod Christum Deum negârit, hæreseos fuerit condemnatus & exauctoratus, post consulatum Amantii & Albini quarta idus maji comparuisse ibi narrant acta Episcopos: *Maximinum* Trevirorum, *Valentinum* ab Arelato, *Donatianum* Cabellonorum, *Severinum* Senorum, *Optatianum* Tricassium, *Jessem* Nemetum, *Victorem* Vangionum, *Valerianum* Antisiodorensium, *Simplicium* Augustodunensium, *Amandum* Argentinensium, *Justinianum* Rauricorum, *Eulogium* Ambianorum, *Servatium* Tungrorum, *Discolium* Remorum, consentientibus & mandantibus *Martino* Moguntiacensium, *Victore* Mediomatricorum, *Desiderio* Lingonicæ, *Panchario* Visocensium, *Sanctino* Articlavo, *Victorino* Panhisiorum, *Superiore* Nerviorum, *Mercurio* Suessionum, *Diopeto* Aurelianorum, *Eusebio* Rotomagensium.

* Ex quo fonte aut fragmento hæc acta desumpserit, non adfert, ut vel primâ fronte exin reddantur suspecta. Secuti Crabbum sunt Surius, Binius, Sirmondus, Labbeus, Harduinus &c. collectioni autem CC. Germaniæ ut hæc acta adderet, hæsitavit Hartzheimius & rectè, ne merces suspectas, & pluribus eruditioribus supposititias visas absque delectu commisceret actis Conciliorum certis & genuinis.

§. II.

Continuatio.

Quotquot Scriptorum Coloniensium libros mihi inspicere hucusque licuit, vix ullum cum alio in assignando hujus Synodi anno conspirantem inveni, quidam non certum figentes annum saltem ante annum 349. illam

Synodum esse habitam contendunt. * Alios annum 361. statuentes legimus, ** aliis econtra Concilium hoc in annum 390. rejicientibus *** hallucinante inter omnes alios magis CRATEPOLIO annum 398. celebrati Concilii figente. ****

* Inter hos præcipue est Scriptorum Coloniensium Caput, GELENIUS de Magnit. Col. Lib. I. Sintag. 6. pag. 58. qui certum annum non profert, sed ante annum 349. illam esse habitam existimat.

** BUSCHERIUS Jesuita apud Gelenium L. I. Sintag. 6. pag. 56.

*** Hujus sententiæ est Author quidam nomine GYGAS apud eundem Gelenium L. cit.... Scriptores extranei etiam nullatenus conveniunt; COINTIUS enim & BINIUS illam ad annum 352., TRITHEMIUS vero apud SURIUM Tom. 6. eandem ad annum 375 extendit.

**** *Annal. Archiep. Colon. pag. 5.*

§. III.

CONTINUATIO.

Nec enimvero est admiranda hæc Scriptorum dissensio, cum enim illa, quæ hanc Synodum secuta, combinari non poterant, Cronologiam emendabant, majoribus adhuc difficultatibus viam sternentes. Quomodo enim illa Synodus ultra annum 350. extendi queat, non video; cum tamen constet, *Maximinum* Episcopum Trevirensem modo fuisse mortuum; Sententiam Gelenianam in §. seq. refutabimus. Mirum sane est, quod Authores adeo se torqueant pro defendendâ hac Synodo, cum tamen ipsa acta illius falsitatem luculenter produnt. *

* Ex ipsis actis ac illius Synodi in & subscriptionibus ejus falsitatem modo ostenderunt viri alias celeberrimi: vid. desuper DUPIN in Bibliotheca nova pag. 356. & Cl. MASCOVIUM Geschichte der Deutschen Lib. 6. §. 36. qui ait: es ist schon genug bewiesen, daß man diese Acta nicht retten könne, wenn man gleich von der Anzeigung des Jahrs abnehmen, und den Synodum später hinaussetzen wollte; his etiam assentit BARONIUS ad annum 346.

§. IV.

§. IV.

Continuatio.

Ex hac descriptâ authorum circa annum discrepantiâ, necessaria quoque circa Notas Consulum sequebatur varietas. Crabbus hæc acta refert sub Consulatu *Amantii & Albini*: *. Verum cum Gelenius hanc inscriptionem in suam sententiam minimè quadrare videret, ob tot inextricabiles difficultates; hinc eam corrigendam, atque nomina Consulum è fastis injuriâ temporum erasa: videlicet *Decentii & Paulini* iterum substituenda esse statuit. **

* Per annum post Consulatum Amantii & Albini designari annum 346. gravissimos nobiscum habemus consentientes Authores: uti Vorburgum in Actis Germanorum Lib. 6. Calvisium ad annum 345. Baronium qui de eodem anno refert Rescriptum Constantii Imperatoris Nisibi ad Nemesianum præfectum Urbis sub Consulatu Amantii & Albini *L. 5. de Exaction. Cod. Theod.* Pagium ad annum 346, nec non Authorem Diss. nuper editæ Moguntiæ an. 1778. §. 5. sub Lit. A.

** Hæc præclarè dicit Gelenius ad historiæ confusionem, sed non probat, Lib. I. Syntag. 6. pag. 55. ast audiamus, quæ subjungit postea Gelenius L. cit. quærit dein ex se; quo ergo anno *Decentius & Paulinus*, quorum nomina è fastis fuissent erasa, fuerint Consules? & respondet anno 16to post mortem Constantini M. currente. Sed examinemus hæc omnia paucis, ut illorum implicantia magis elucescat; certum enim est, ac omnium optimorum historiographorum testimonio Confirmatum, Constantinum M. an. 337 fuisse mortuum. Vid. Mascovium in Actis Germanorum Lib. 6. §. 33. Calvisium ad annum 337. Baronium ad eundem: le Beau dans l'histoire du Bas Empire Tom. I. pag. 617. Fleury dans l'histoire Ecclesiastique Tom. 3. pag. 331. Si jam Decentius & Paulinus sexdecim annis post mortem Constantini M. fuissent Consules, illorum Consulatus incideret in annum 352 vel 353, quomodo jam hæc cohæreant cum illis, quæ idem Author loc. cit. pag. 58. dicit videlicet Concilium illud Coloniense ante annum 349, esse habitum nemo non videt.

§. V.

§. V.

CONTINUATIO.

Sed omittamus hæc omnia, ac cum ingeniosioribus hujus Synodi Defensoribus, qui sibi dedecori ducunt inscriptionem CRABBI bonâ fide factam immutare; Epocham hujus Concilii in annum 346. 12. Maji figamus; * hocque in supposito illius acta excutiemus illorumque falsitatem, quantum fieri poterit demonstrabimus.

* Hujus opinionis sunt omnes fere hujus Synodi Defensores extranei, præcipuè vero AUTHOR Diss. editâ Mogunt. de authentiâ Synodi Coloniensis, cum quo nobis in hac dissertatione potissimum res erit.

§. VI.

Synodus Euphratina ex propriis actis ut supposita impugnatur.

Boni mercatoris officium est, in ipsas mercium qualitates ante omnia inquirere, priusquam illas pro genuinis tuto admittere possit; hoc quoad acta Conciliorum etiam necessario esse observandum, nos monet Cl. VORBURG, * Instituto itaque accuratiori examine acta magnâ falsitatis suspicione laborare nobis visa sunt.

* Vol. 2. ad annum 346. pag. 367. ubi ait: Conciliorum vel à multis fictorum, vel pro arbitrio variatorum textibus non semper fidendum, sed cautè in iis agendum.

§. VII.

CONTINUATIO.

Adversarii multum equidem contendunt, multumque roboris in hoc Argumento reponunt, videlicet quod hæc acta ne minimam falsitatis notam quoad formam externam præ se ferant; præter consignationem temporis enim inquiunt, in iis occurrit Stylus Sæc. IV. latinus. * Verum hoc omnino est falsum atque contrarium potius esse dicendum nobis testatur vir quidam de re litterariâ valde meritus. ** Ast sit etiam & hoc, inde tamen statim ad ejus authentiam nemo in historiâ ecclesiasticâ parum versatus concludet; multa nobis occurrunt monumenta ecclesiastica omnibus authentiæ Characteribus quoad formam externam insignita, quæ nihilominus à viris eruditis ut supposititia fuerunt demonstrata. ***

* *Author* Dissert. supra cit. pag. 18.

**R.

** R. P. LUDOVICUS RICHARD in ſuo judicio cenſorio de Concilio Agrippinenſi ex Analyſi Conciliorum anno 1776. Venetiis latinè editâ excerpto Tom. I. ad Sæc. IV. pag. 62. ſub Tit. primum Antiochenum. Ubi ait: hæc acta ſuperiori Sæc. à de Marca & Petavio pro authenticis admiſſa, hoc jam tempore propemodum à nemine non rejiciuntur. Prima ratio nititur barbaro horum actorum Stylo, qui Sæc. IV. parum congruit, ubi humaniarum litterarum decrementum non ita longè adhuc abierat. Hæc ſanè à tanto viro non ſine fundamento dicta præſumuntur.

*** Quilibet cohærenter mentiri debet; ridiculum eſſet orbi ejusmodi monumentum obtrudere, ſi tempori, pro quo venditatur, non congrueret. Talia Apogripha ab Eruditis demonſtrata & ſatis nota ſuppeditat hiſtoria eccleſiaſtica. Occaſionem vero rationemque quare Concilium hoc Colonienſe fuerit confictum poſtea dabimus.

§. VIII.

CONTINUATIO.

Altum horum actorum in antiquitate eſt ſilentium, nec ullum ante Sæc. VIII. illorum occurrit veſtigium; omnes quotquot ſunt Scriptores coævi de illis ſilent; id quod confirmant Patres celeberrimæ Congregationis S. Mauri, qui ex collectione omnium antiquiſſimorum Codicum MS. quotquot invenire poterant, ediderunt accuratiſſimam omnium Conciliorum Synopſin, nec ullam de hac Synodo Colonienſi mentionem fecerunt; id quod tamen feciſſent, ſi ea antiquitati fuiſſent nota. *

* Synopſis hæc inſerta legitur præclaro illi operi *l'art de verifier les dates* Pariſiis anno 1770 evulgato.

§. IX.

CONTINUATIO.

Maximum Patronorum hujus Synodi fundamentum hucusque fuit Vita S. Servatii Epiſcopi Tungrenſis ex biographo deſcripta, ita ut integrum paſſum Synodum hanc concernentem in Collectione CC. à CRABBO editâ tanquam teſtimonium veritatis inveniamus impreſſum; * noli autem mirari, ſi unum alterius falſitatem prodere potius quam ſtabilire videatur.

* Paſſum hunc quoad hoc Concilium ex Vita S. Servatii etiam legere eſt in diſſ. ſæpe cit. pag. 15. Lit. II.

§. X.

§. X.

CONTINUATIO.

Biographus ſupra cit. absque omni Actorum examine, omni relictâ criſi hunc paſſum Vitæ Servatii inſeruiſſe videtur; SERVATIUS enim juxta illum quam maximè Euphratis abdicationem in hac Synodo urgebat, habitâque illius ad Patres de Euphratis hæreſi oratione, de quo in Statu clericali nulla eſſet ſperanda ſalus, illum depoſuiſſe ſcribit; & ſine morâ, uti ait, ſingulis Pontificibus orationes ſimiles ad eandem Normam dictantibus Euphratas deordinatur; ergo omnium *Primus* juxta Authorem cit. depoſitionis Sententiam in Euphratem quà hæreticum pertinacem protulit *Servatius*, & quomodo hæc cum actis cohærent, in quibus Servatius Episcopus Tungrenſis mox ultimo loco ſubſcripſiſſe & ſententiam depoſitionis pronuntiaſſe legitur?

§. XI.

CONTINUATIO.

Accedit alius non minor hujus biographi error; dum enim nomina Episcoporum, qui una cum Servatio ad Synodum proceſſerunt, recenſet, inter alios inſimul apud eundem invenitur DIOPETUS *Epiſcopus Aurelianenſis* quaſi & hic cum cæteris ſtubam Synodalem intraſſet; jam conferamus hæc cum actis, & horum dictorum falſitas nobis mox palam fiet; certum enim eſt, atque ex ipſis actis conſtat, *Diopetum* non in propriâ perſonâ interfuiſſe Synodo, ſed per Litteras Euphratem damnationi tradidiſſe. Hæ inter acta Concilii & S. Servatii vitam ceu Concilii fundamentum contradictiones manifeſto contra authentiam ejusdem Concilii pugnant.

§. XII.

CONTINUATIO.

Porro acta hujus Concilii referunt reliquos Epiſcopos fuiſſe *Conſentientes* ac *Mandantes*, quæ verba Cl. DÜRR * ita intelligit, quod *reliqui Epiſcopi miſerint ſuos Deputatos* ac *Litteras Conſenſuales*, quod ſi ita ſit, cur nulla habetur Deputatorum mentio? cur litteræ conſenſuales aliorum non ſunt recitatæ in Synodo? cur ſola unius DIOPETI Epiſcopi Aurelianenſis (quem tamen fabricator vitæ S. Servatii in perſonà interfuiſſe memorat §. præc.) epiſtola producta fuit? rurſus Biographus S. Servatii inquit nonnullos

nullos Episcopos voluisse correctionem indicendam esse prius Euphratæ, reliquos Episcopos præpaventes extitisse, ne forsan veniâ hac daretur ansa propagandi scelus; medium itaque inter Episcopos stetisse SERVATIUM, & sententiam damnationis primum protulisse; qua ratione hæc cohærent cum actis Concilii, quòd 1mo VALERIANUS dixerit Euphratam modo ante Convocatam Synodum à quinque Episcopis fuisse depositum? atque 2do AMANDUS ipse fateatur, se pridem epistolis suis consensisse ad deponendum? nec non 3tio MARTINUS Episcopus Trevirorum omnium *Primus* ante Servatium dixerit: Euphratam omnis mundus jam ore Domini cognovit esse damnatum? nihil dicam, quod Biographia narret Episcopos ex decreto Principum convocatos, acta vero Pseudo-Concilii referant illos ad postulatum fratrum convenisse &c.

* Diss. de hac Synodo cit. p. 11. Lit. r.

§. XIII.

Synodus hæc Euphratina sanis historiæ principiis repugnat & merito ceu conficta rejicitur.

Quotquot authentiam hujus Concilii Agrippinensis atque Euphratæ Episcopi Coloniensis ob Arianismum in eo depositionem propugnant, conveniunt, Euphratam Episc. Col. Concilio Sardicensi Sæc. IV. habito interfuisse; testimonium S. ATHANASII in *epistola ad solitariam vitam agentes opp. tom. 1. pag. 822.* adeo clarum est, ut refragari illi non liceat; scribit etenim EUPHRATAM *cum* VINCENTIO *Capuano Episcopo publico Concilii nomine ad Constantium Imperatorem fuisse, missum ut Episcopis per Arianorum fraudes in exilium protrusis reditum ad Ecclesias suas impetraret*: quodsi itaque communissimam sententiam, quæ Epocham Concilii Sardicensis an. 347. habiti statuit, adoptemus, * quî verosimile est, Euphratam strenuum Arianismi in hoc Concilio Insectatorem anno præcedenti 346. in Concilio Agrippinensi fuisse depositum? num brevi antea tempore Episcopum depositum atque arianismo plenum ad tantum legationis munus postea fuisse adhibitum credamus? **

* Legi desuper ex antiquis possunt SOCRATES Hist. Eccl. Lib. 2 Cap. 15. qui illud Concilium sub Consulatu Ruffini & Eusebii refert, qui Consulatus cum an. 347. concordat. SOZOMENUS Lib. 3. Hist. Eccl. Cap. 11. VORBURG ad annum 347. CALVISIUS ad eundem. BARONIUS ad eundem,

dem, GELENIUS Lib. I. de Magnit. Col. pag. 54. ex recentioribus FLEURY tom. 3. pag. 315, LE BEAU dans l'histoire du Bas Empire, tom. 2. pag. 75. edita Parisiis an. 1758.

** Urget hoc argumentum SCHÖFFLIN Alsatiæ illustratæ tom. I. pag. 354.

§. XIV.

CONTINUATIO.

In Systemate, quo Concilium Sardicense ad annum 347. figitur, & cui interfuisse *Euphratam* Episcopum Coloniensem omnino extra dubium versatur, certum omnino est, quod eundem in quodam Concilio Coloniensi, quod anno præcedente sit habitum, ob Arianismum fuisse depositum credi haud queat; * verum ut gravissimam hanc difficultatem effugiant adversarii, ajunt Concilium Sardicense, cui Euphratas interfuit, anno 344. fuisse celebratum, atque Euphratam Episcopum Coloniensem strenuum arianismi impugnatorem, longis itineribus fractum, & viribus exhaustum vel ad suam Ecclesiam rediisse, vel forsan in via anno 345 obiisse, porro in ejus locum alium ejusdem nominis Euphratam fuisse electum, qui hæresin suam etiam coram Athanasio in Gallia tum temporis degente & multis aliis professus sit, & propterea damnatus. **

* Author Diss. supra cit. pag. 33. & seq.

** Ita discurrit Author cit. pag. 36.

§. XV.

CONTINUATIO.

Itane nova fictione duplicis Euphratæ opus erat, ut fictum Coloniense Concilium aliquam veritatis umbram nancisceretur! Quanquam autem hæc duorum Episcoporum Coloniensium sub nomine Euphratæ sibi invicem succedentium fictio indigna prorsus sit Historiographo, atque ex eo satis refutata maneat, quod de hac personarum distinctione altissimum sit silentium in antiquissimis Episcoporum Coloniensium Catalogis, inter quos præcipuus & accuratissimus est Catalogus manuscriptus antiquissimus in Archivio Electorali Col. asservatus, in quo post *unum Maternum*, qui Concilio Arelatensi anno 313 interfuit, notatur & unus duntaxat *Euphratas*, qui celebri legatione functus est ad Imperatorem; nihilominus tamen aliunde ceu prorsus incredibile demonstrabimus, quod post obitum EUPHRATÆ *primi*, qui an.

345

345 tempore paſchatis in munere legationis adhuc verſabatur in oriente, electus ſit EUPHRATAS *ſecundus*, qui mox ob arianismum an. 346. 12 Maji in Concilio, quod Coloniæ coactum fuerit, ſit depoſitus.— Etenim ſi Euphratas primus anno 345 medio adhuc fuerit in oriente, ceu fuiſſe ipſi adverſarii non diffitentur, ſi ibi in Civitate Antiochena unà cum ſuo Conlegato diu fuerit à Conſtantio Imperatore detentus, ut diu portæ ſibi fuerint clauſæ, ne reditus ad ſuam Eccleſiam pateret; quando & quâ anni 345 parte obiiſſe Euphratam dicent adverſarii? Sinamus illis, ut fingant denuo illum anno 345 ad finem vergente obiiſſe.— Fingant quoque mox obitum illius Clero & Populo Colonienſi innotuiſſe.— Fingant etiam Clerum & Populum mox elegiſſe alterum ejusdem nominis ſecundum.— Fingant quoque mox Comprovinciales Epiſcopos Euphratæ ſecundo impoſuiſſe manus, atque electioni conſenſiſſe.— Sinamus hæc omnia intra paucos contigiſſe menſes.— At vero quis credet Euphratam hunc novum (qui ob virtutum ac pietatis merita ac fidei integritatem Epiſcopali honore dignus videbatur Clero & Populo Colonienſi, nec non cæteris Comprovincialibus Epiſcopis) mox adeo degenerem extitiſſe, ut ſe arianismo plenum eſſe toti orbi (ceu fictum Concilii fragmentum loquitur) palam fecerit, ut ſæpius coram Athanaſio, Servatio, & aliis (ceu acta loquuntur) in Chriſtum Deum blasphemarit, ut ante convocatum Concilium anno 346. 12 Maji modo à quinque Galliæ Epiſcopis (ceu iterum acta enarrant) fuerit depoſitus, ut tandem coëuntibus mox brevi poſt electionem factam tempore plurimis Epiſcopis Coloniæ Sede ſuà fuerit exauthoratus.

§. XVI.

CONTINUATIO.

Ita eſt: Authori Diſſertationis Mog. ſæpe cit. veroſimile videtur, quod EUPHRATAS *primus* Epiſcopus Colonienſis anno 345 obierit, — quod mox electus ſit & confirmatus Epiſcopus Colonienſis ejusdem nominis *ſecundus*— quod hic breviſſimo tempore orbi univerſo innotuerit Arianus, & quidem pertinax, habens conſcientiæ pectus inflexibile, ceu biographus Vitæ S. Servatii teſtis eſt, quod illi ſæpius publicè SERVATIUS Tungrenſis Epiſcopus obſtiterit, quodque cum illo ſæpius Athanaſius contenderit &c. Et tandem fruſtrata omni ſpe emendationis, mox coacta fuerit Synodus Agrippinenſis Epiſcoporum, qui ex diverſiſſimis provinciis (§. I.) brevi tempore mox quaſi alis convolantes, poſtquam modo à quinque

Episcopis damnatus Euphratas erat, in pleno Concilio Sententiam damnationis & depositionis protulerint.— Hæc omnia facta esse credit *Author* cit. à fine anni 345. usque in annum 346. duodecimam Maji. Intra sex menses à die obitûs Euphratæ primi; hæc credat ille, qui amat decipi & levis est corde. Igitur vel ex hoc Capite ad acribiam usque Systema duplicis Euphratæ ceu confictum demonstratur.

§. XVII.

Continuatio.

Porro si quidam Euphratas Episc. Col. hæresi arianâ extiterit infectus, ut eandem publicè profiteri, ac de illâ cum S. Athanasio sæpius contendere fuerit ausus, sanè S. Athanasius & Hilarius contra eundem Calamum acuissent, quemadmodum id contra omnes hæreticos, cum quibus ipsis negotium erat, præstiterunt, præcipuè cum illa hæresis in occidente fuerit nova; * imo in epistola, ** quam Episcopi Galliæ dederunt ad S. Hilarium exulantem, legitur, quod *maxima* adhuc esset Ecclesiarum Galliæ (Galliæ secundæ autem Metropolis tunc erat Colonia) *ab Hæresi arianâ puritas*, altumque silent de hæresi Euphratæ; nemo autem ignorat, quæ sit hujus silentii in gestis historicis probandi vis & energia.

* Richard *Jud. Censor. de Synodo Agrippinensi loc. cit.*

** Epistolam exhibet Fleury *Tom.* 3. *L.* 13. *pag.* 477.

§. XVIII.

Continuatio.

Multum hucusque se torquebant Scriptores etiam illi, quibus falsitas hujus Synodi alias certa etiam videbatur, in inveniendâ hujus confictionis occasione, ut adeo in resolvendâ hac ab adversariis obmotâ & indissolubili, ut ipsis videtur, difficultate ferè desperarent; Verum ansa ac ratio hujus confictæ Synodi ex historiâ illorumque temporum circumstantiis est repetenda. Concilium Sardicense propter hæresin Arianam fuisse celebratum, est ex antecedentibus certum & in Historiâ ecclesiasticâ versatis satis cognitum. Episcopi Orientales, qui omnes fermè Ariani erant, unà cum Occidentalibus ad Civitatem Sardicensem causam suam defensuri advenerant, stipati illi erant duobus Comitibus sæcularibus sperantes, ut ope hujus Potestatis sæcularis huic Concilio, uti in aliis ipsis successerat, sint

do-

dominaturi. * Verum cum Ariani Sardiceam venientes inexſpectatò experirentur, quod in Concilio iſto omnia more eccleſiaſtico ſine Comitibus, ac ſine omni Poteſtate ſæculari agerentur, cumque ex omnibus Eccleſiis adeſſe accuſatores & documenta, rerumque probationes adverſus ſe in promptu eſſe viderent, mirum in modum perterriti timebant, ne tanquam falſi accuſatores condemnarentur, ac Sycophantiæ rei; Athanaſius vero & alii de Sedibus ſuis ejecti innocentes in illorum præſentiâ declararentur; mutuis adinvicem habitis Conſultationibus cauſæ ſuæ non amplius fidentes perſuaderi haud poterant, ut Concilium introirent, ſed ſub variis Machinationibus atque prætextibus clanculò iterum de Civitate Sardicenſi diſcedebant. ** Epiſcopi catholici Sardiceæ congregati turpem hanc Arianorum fugam audientes, Athanaſii aliorumque Epiſcoporum e Sedibus ejectorum cauſas examinabant, causâque cognitâ illos utpote innocentes reſtituendos decernebant, præcipuosque hujus factionis Authores de falsâ accuſatione convictos deponebant. Ariani in fugâ conſtituti, quam primum hæc percipiebant, de variis huic Synodo eludendæ remediis cogitabant; optimum verò pro infringendâ Synodi veræ Sardicenſis authoritate reputabant, ſi aliud Concilium huic opponerent; itaque Ariani Philopopolim, quæ eſt Urbs Thraciæ, pervenerant; Concilium ibi celebrant. *** Hoc ſuum Concilium Philopopolis habitum nomine Concilii Sardicenſis honeſtarunt. Ex quo factum, quod hæc duo Concilia poſtea adinvicem ita fuerint confuſa, ut quodnam ſit verum Sardicenſe, diſcerni haud poſſet & S. Auguſtinum usque adeo fefellerint. **** Quid in Concilio egerint Ariani, nunc audiamus. Damnatâ conſubſtantialitatis voce, plures Catholicorum Epiſcoporum depoſuerunt, vitandosque denuntiârunt; præcipui e numero horum depoſitorum erant: *Julius Epiſcopus Romanus*, *Protogenes Epiſcopus Sardicenſis*, *Maximinus Treverenſis*, & alii, qui potiſſimum cauſam Athanaſii contra Arianos egerant. Ratio, quare *Maximinum* depoſuiſſent, dant ipſi Ariani, videlicet: quod noluiſſet recipere Epiſcopos Arianos, quos ipſi in Galliam miſiſſent. *****

* Refert hæc ATHANASIUS in Epiſt. ad Solit. & in Apolog. ſuâ 2dâ. FLEURY Tom. 3. Lib. 12. pag. 316.

** Amœnum eſt ſuper hac re legère FLEURY tom. 3. pag. 316. & ſeq. ubi totam hujus rei ſeriem narrat. ATHANASIUS in *Epiſt. ad ſolit. & apolog.* 2. THEODORETUS *Lib.* 2. *Cap.* 8. CALVISIUS ad an. 347.

*** SOCRATES *Lib.* 2. *Cap.* 6. SOZOMENUS *Lib.* 3. *Cap.* 10. FLEURY *tom.* 3. *pag.* 332.

**** Fleury loc. cit. Calvisius ad annum 347. Baronius ad eundem annum. Multum ponderis affert, quod Authores hic citati de Concilio hoc Anti-Sardicensi enarrant; videlicet, illud Concilium ab Arianis Philopopolis habitum sub nomine Concilii Sardicensis ad omnes Ecclesias fuisse transmissum. Uti hoc probat inscriptio hujus Synodi à S. Hilario in fragmento Libri de Synodis relata. Imo Baronius loc. cit. ait: quod post mortem Constantis, Constantio Arianorum Patrono solum regnante, veritas adeo fuisset depressa, ut solum illud falsum Concilium Ante-Sardicense orbi fuisset cognitum.

***** Socrates & Sozomenes loc. supra cit. Baronius ad annum 347. Fleury tom. 3. pag. 338.

§. XIX.

Continuatio.

Quis jam prudens historicus his omnibus benè consideratis nobiscum jure optimo non credet? * Quod illud, quod Maximino accidit, etiam Euphratæ nostro Maximino adeo Vicino non contigerit. Hujus depositionis enim majus quam Maximini Arianis erat fundamentum, cum Euphratas noster cum Athanasio communicasset, acerrimusque illius causæ contra Arianos non in Concilio solum, sed qua legatus apud Constantium defensor extitisset; quale hinc etiam Arianorum contra illum fuerit odium, historiâ teste satis edocemur; ut usque adeo Ariani varias ipsi insidias struxerint, atque dum quâ legatus ex Concilio Sardicensi missus Antiochiam advenerat, clanculò meretricem ad cubiculum, cum dormiret, miserint, ut causam accusandi ac reprehendendi virum Sanctum invenirent. Ne vero hæc à nobis jam relata merum quoddam nostri cerebri inventum reputentur, audiamus accuratissimum historicum Cl. Vorburgum qui egregiè in hanc rem scripsit. ** *Non est dubium, id, quod cum Maximino Trevirensi gestum est, & Euphratæ accidisse.* Pergit postea idem Author: *Dein imperiti rerum Coloniensium hæc nacti ignorarunt, in quo terrarum orbe & Sardicea & Philipporum urbes extiterint, ignorarunt etiam, quod hæc Concilia adeo inter se confusa.* (§. XVIII.) *Extemplò sibi persuaderunt in loco fortassis erratum esse, & hujusmodi aliquod cum Euphratâ Concilium alibi*, quam Coloniæ celebrari, multominus illum alibi abdicari potuisse.

* Vid. Athanasium in Epist. ad solit.

** In Actis Germanorum Vol. 2. ad annum 347. pag. 372.

§. XX.

CONTINUATIO.

Restat nunc, ut paucis novum aliud de morte EUPHRATIS, qui fertur depositus, GELENII * Scriptoris Coloniensis figmentum adferam, ut pateat eruditis, quæ figmenta figmentis quoad Synodum Coloniensem fuerint cumulata; qui ait: EUPHRATES *in Concilio Agrippinensi depositus ex adverso Novesiensis oppidi in Rheno periit, eo loco, ubi Fluviolus Nebulonis est* (vulgò Schalksbach an der Schalksmühl) *mirabile dictu: Rhenus alveum mutavit, & tanto à Novesiensibus muris abivit intervallo, ut hæretici Cadaver grandi insulâ rationis expers fluvius obrutum ivisse videatur, alveo aliorsum converso.* — Quâ anili fabulâ Magistrâ, quæso! hæc edoctus est GELENIUS, ut locum & modum Euphratæ obitûs hic Historiographus figere non erubuerit? ut atque adeo aquæ elementum desæviisse in Cadaver Episcopi nostri asserere & orbi Coloniensi obtrudere, & quod pejus est in re hac obscurissimâ plurimis viris eruditissimis fabulâ altissimi miraculum in mutato Rheni alveo cujus apertam in naturâ caussam habemus, intervenisse ob Cadaver Euphratæ, fingere sit ausus.

* De admiranda sacra & Civ. Magnit. Col. pag. 34.

CAPUT SECUNDUM,

QUO

SINGULARIA JURIS ECCLESIASTICI CAPITA EX SYNODIS COLONIENSIBUS CERTIS ILLUSTRANTUR.

§. I.

De Synodis Coloniensibus annis 869, 873, 887 celebratis.

Postquam hactenus de Synodo Coloniensi Euphratina confictâ egimus, ad Synodos Colonienses, & quæ singularia in iis Statuta fuerint propiùs accedamus; Et quidem anno 869 Conventum Coloniensem habitum fuisse refert HARTZHEIMIUS, * in quo ad mandatum LUDOVICI germanici cum Carolo Calvo Lothariensi de Regno dividendo contendentis LUDBERTUS Archiepiscopus Moguntinus Clero & Populi primoribus eligendum Archi-

Epis-

Episcopum proposuit, atque omnium suffragiis Willibertus electus & consecratus fuit. Discimus hinc 1) maximum fuisse in electionibus Episcoporum Germaniæ Majestatis Regiæ interventum, atque 2) comprovinciales Episcopos jure suo consecrandi Episcopos vicinos fuisse usos, etsi collectio illa famosa Pseudo-Isidori in Germaniam modò tum penetrâsset, Authoritate Nicolai I. omnibus Episcopis Galliæ ut reciperetur, imposita. **

* *Tom. II. CC. germ. p.* 355.

** Vid. *Can.* 1. *D.* 19.

§. II.

CONTINUATIO.

In Synodo anno 873 sub WILLIBERTO * Archiepiscopo convocatâ singularia prorsus fuisse Statuta legimus. 1) Jus proprietatis canonicis à GUNTHERIO Williberti antecessore concessum in eâdem Synodo confirmatur, atque 2) iisdem in vim hujus juris proprietatis licentia quoque testandi de mansione sua & ceteris quibuscunque rebus roboratur; ut ex hoc palam sit, jus proprietatis atque Licentiam testandi Canonicorum in nostra Ecclesia antiquissima esse jura, quæ in certis Ecclesiis tum haud obtinebant; 3) stabilitur Canonicis jus eligendi Præpositos, quibus potestas sit gubernandi Clericos & cura temporalium; demum 4) ne ullus unquam Pontifex minimam unquam Præbendam sinè Canonicorum conscientia sivè Consensu tribueret, cum quibus sanè hodierna Ecclesiæ nostræ disciplina haud convenit, atque pro Diæcesi Coloniensi non subsistit principium illud, quod inter juris sacri Interpretes ceu indubitatum admittitur, videlicet: Episcopos usque ad Sæculum XI. extitisse Collatores ordinarios omnium beneficiorum suæ Ecclesiæ. **

* Notatu dignum est de WILLIBERTO Archiep. Colon. quod is noluerit jurare in Decretales Romanorum Pontificum, atque propterea pallium à Papa impetrare non potuerit, in signum, quod Collectioni Pseudo-Isidori, ne reciperetur, is vehementer obstiterit. Cf. *Can.* 4. *D.* 100.

** Vid. HARTZHEIM *l. cit. p.* 357.

§. III.

§. III.

CONTINUATIO.

Anno 887. ſub eodem Williberto habita fuit Synodus in Civitate Agrippinenſi de conſenſu glorioſiſſimi Imperatoris Caroli (ceu acta apud Hartzhemium * loquuntur) in quâ 1) DRUGO unanimi conſenſu Cleri Memidonenſis (Mindenſis) Eccleſiæ Epiſcopus electus ad paſtorale officium impoſitione manuum à Metropolitâ ſuo Colonienſi promotus fuit. 2) Statuitur, ut contra delinquentes nonniſi tunc gladio anathematis procedatur, ſi moniti pœnitentiæ & emendationi ſe ſubmittere contempſerint; & 3) quod Epiſcopus authoritatem habeat remittendi rigorem Canonum pœnitentialium & pœnitentiæ publicæ. ** Quis non videt hic jura Metropolitica Archiep. Col. in Conſecrandis & Confirmandis Suffraganeis Epiſcopis ſtabiliri, reprobari anathemata latæ Sententiæ, atque Epiſcopos habere poteſtatem delinquentibus emendatis partem pœnarum eccleſiaſticarum rémittendi, & hac ratione indulgentias concedendi.

* Loc. cit. pag. 365. & ſeq. ex quo patet, quæ tunc fuerit poteſtas Imperatorum circa Synodos germaniæ.

** Loc. cit. Cap. 1. 2. & 6.

§. IV.

CONTINUATIO.

Unanimi Interpretum juris ſacri Calculo optata eſt Sententia, quòd ſolummodo ad Sæc. X. usque BEATIFICATIO aut CANONIZATIO *Sanctorum* fuerit jus Epiſcopale, in Synodis provincialibus exercitum; * Verùm ex Synodo in Eccleſiâ noſtrâ Colonienſi a. 1110 convocatâ contrarium edocemur; ſiquidem FRIDERICUS I. Archiep. Colonienſis in eâdem Synodo ad inſtantiam OTBERTI Epiſcopi Leodienſis, GUIBERTI Abbatis Gemblacenſis Canonizationem ſolenniter decrevit, atque is nono Kal. Octobris eodem anno, præmiſſo jejunio in numerum Sanctorum in eadem Synodo relatus fuit. Quanti momenti ſit hæc animadverſio ex hac Synodo Colonienſi adlata, nemo non videt. **

* Cf. MABILLONIUS *ad Sæc. III. Benedictin. P. 1. p. 243.*

** HARTZHEIM *CC. germ. Tom. 3. p. 256.*

§. V.

Continuatio.

Synodi Colonienſes ſub Friderico Archiep. Col. annis 1116 & 1119 convocatæ certa nobis exhibent veſtigia, quòd *Conſecrationes* & *Depoſitiones Epiſcoporum* nondum tum temporis fuerint reservata Majora; ſiquidem in priori Concilio Adalbertus Archiepiſcopus Moguntinus ab Ottone Epiſcopo Babenbergenſi fuerit ordinatus, in poſteriori verò Archiepiſcopus noſter Colonienſis cauſam ſimoniacæ pravitatis *Alexandri* Epiſcopi Leodienſis electi cognovit, atque ſententiâ depoſitionis in eundem lata Clero Leodienſi novæ electionis libertatem fecit. *

* Vid. Hartzheim *CC. germ. T. III. p.* 271, & *p.* 274.

§. VI.

De Synodis an. 1132, 1146, & 1167 *celebratis.*

Quanquam inter Interpretes Juris ſacri germanici recepta ſit opinio, etiam praxi canonizata quòd Curia Romana ſit *privativè* Judex Controverſiarum in electionibus Epiſcoporum Germaniæ, atque plerique textum famoſum Concordati Callixtini de anno 1122 §. 1. eatenus interpretentur, quòd Imperator in ejusmodi controverſiis *Judicio* Metropolitani & Epiſcoporum *auxilium* & *conſenſum* præbeat, hunc tamen ſenſum Concordati Callixtini quoad Imperatores non ſemper fuiſſe edocemur ex Synodo Colonienſi anno 1132 convocatâ, in quâ Judicio *Regis*, *Principum*, & Cardinalium Bruno Præpoſitus S. Gereonis intra Coloniam in diſcordia electus Archiepiſcopus Colonienſis pronuntiatus & Cathedræ Colonienſi intronizatus fuit. *

* Hartzheim *T. III. p.* 325.

§. VII.

Continuatio.

Eccleſiam Colonienſem noſtram Authoritate ſuâ in damnandis opinionibus in materia fidei Sæculo XII. fuiſſe uſam referunt nobis Synodi Colonienſes annis 1146 & 1167 convocatæ; etenim in priori undecim Articuli virorum hæreticorum ab Arnoldo Archiep. Colon. condemnati, * atque in poſteriori Arnaldus, Marsilius, aliique ceu hæretici *dijudicati* ſunt, & *anathe-*

anathematizati; qui, *Invitâ tamen Synodo*, à judicibus ac populo Civitatis Colonienſis nimio zelo permotis in Colle, qui Judaicus appellatur, (Juden Büchel) juxta ſepulturas Judæorum igne cremati perierunt. **

* HARTZHEIM *lit. cit. p. 353. & 392.*

** Quis ex hoc non videt Eccleſiam noſtram Colonienſem in cauſis religionis tum temporis non ſitiiſſe Sanguinem, ſed Judices ſeculares ad mortem iis infligendam nimio zelo abreptos fuiſſe, enarrant acta Synodi?

§. VIII.

De Synod. Colon. Sæc. XIII. habitis.

Quanquam Sæculo XIII. Diſciplina Eccleſiæ vehementer mutari cæperit inductis Exemptionum Privilegiis, quêis integra Religioſorum Monaſteria, imo Ordines Religioſi integri ſubtracti ſunt Poteſtati Epiſcopis divinitûs concreditæ, in noſtrâ tamen Eccleſia Sæculo XIII. medio adhuc Archiepiſcopus in cujuscunque generis Religioſos Poteſtatem Epiſcopalem exercuit, ut ſub nullius Privilegii prætextu Legum & Statutorum Epiſcopalium obſervatione & executione fuerint exempti, ſed ad obſervantiam illorum manſerint obligati, ceu verba ſunt Synodi Colonienſis anno 1266. ſub ENGELBERTO II. Archiepiſc. Colon, habitæ *Capite* 43. *

* Cf. HARTZHEIM *Tom. 3. p. 630.* — de cetero Diſciplinam Eccleſiæ hâc Synodo multum immutatam fuiſſe intuemur, atque de eâdem refert FLEURY *H. E. Tom.* 18. *p.* 72. *ejusdem Concilii decreta ſunt potiùs triſtia confuſionum ac tumultuum teſtimonia, quàm illos ſanandi remedia. &c.* Verùm hoc prædominantibus hoc tempore principiis adſcribendum venit.

§. IX.

CONTINUATIO.

Notatu digna eſt Synodus Colon. 1281. ſub SIFRIDO Archiepiſcopo Colon. habita * & quidem inter alia ex tribus Decretis inibi conditis; & quidem 1) *ejusdem Synodi* CAP. IX. ſtatuitur: *Item præcipimus & denunciamus omnibus, qui gaudere volunt Privilegio alicujus Ordinis clericalis, quòd nos ipſos non defendemus prætextu Privilegii clericalis vel ordinis. Niſi tempore, quo paſſi fuerint injuriam*, TONSURAM & HABI-

TUM DETULERINT *clericalem.* Facile inde colligere eſt, quòd Patres in hoc Concilio Privilegio Fori & Canonis indignos Clericos eſſe rati fuerint, qui habitum & Tonſuram clericalem non detulerint; quâ ratione enim dignus ſit beneficio clericali, qui Statûs ſui habitum & inſignia erubeſcit? quid hodie hac in re ſit ſuſtinendum facilè patet.

* Cf. HARTZHEIM *Tom.* 3. *p.* 666.

§. X.

CONTINUATIO.

Præterea 2) inter alia eſt Statutum CAP. X. ſub pœna Excommunicationis, *ne fidem ſibi dent mutuò clandeſtinè & in occulto ſuper matrimonio contrahendo, ſed publicè coram presbytero & coram pluribus hoc faciant: & ſi aliter fidem dederint de contrahendo, ipſi denuntientur excommunicati*; damnantur hìc *Sponſalia clandeſtina*, utique non alia de cauſa, quàm ut graviſſima evitentur peccata, & ne partes in inextricabilia præcipites agantur mala, ſi ex fide clandeſtinè data de contrahendo Matrimonio naſceretur obligatio & actio ad ſponſalia de præſenti — ejusmodi Leges, quêis ſponſalia clandeſtina ſunt prohibita & caſſata, in omnibus ferè Diæceſibus hodie exiſtunt — verùm quæ mutatio hâc in re quoad noſtram Diæceſin contigerit, nemo ignorat — cùm quotidie ſuſcitari lites ex ſponſalibus clandeſtinis in eâ videamus. *

* Sereniſſimus Princeps Elector CLEMENS AUGUSTUS aliarum Eccleſiarum exemplo legem contra ſponſalia clandeſtina quidem paravit, ſed eâ finis exoptatus non fuit obtentus.

§. XI.

CONTINUATIO.

Tertio de Malefactoribus ad Eccleſiam confugientibus CAP. XIII. diſponitur in modum ſequentem: „quia nonnulli homicidia, mutilationes, & alia perpetrant, quæ non eſſent perpetraturi, niſi quia ſperant, quod ab Eccleſiis, ad quas confugiunt, impunitatem ſuorum exceſſuum obtinere, & ſe tueri poſſint, ſtatuimus: quòd confugientes hujusmodi ad Eccleſias vel immunitates ſtrictè cuſtodiantur ibidem, ne inde effugiant, donec factum

vel

vel ejus qualitas Nobis vel vices nostras gerenti nuntietur, ipsisque confugientibus Nobis præsentatis & eo, quod perpetratum fuerit, examinato ad veniam vel ad pœnam circa ipsos, prout qualitas facti exegerit, procedatur — sana de Asylo hocce etsi ignorantiæ Seculo principia! verùm hodie grande piaculum reputatur, si Asylum ceu occasio Copiæ delictorum nuncupetur: misericordiæ actus meritorius habetur, si Superiores Monasteriorum ad se confugis delinquentibus rursus viam sternant evadendi in speluncam latronum: imo quod mirandum, limitatam prorsus Potestatem Episcopalem asserunt in extradendis delinquentibus ad pœnam, si salus reipublicæ id exigeret.*

* Cf. HARTZHEIM *loc. cit. p. 668.*

§. XII.

De Synodis Colon. Sæculo XIV. habitis.

In Synodo Coloniensi anno 1353 habitâ sub WILHELMO Archiepiscopo * Statutum esse legimus Cap. 4. ne ullum Rescriptum, aut quævis literæ, quæ ex Curiâ Romanâ prodeunt, effectum habeant, nisi præviè ab Episcopo fuerint examinatæ, atque in signum examinationis aut visionis Sigillo Episcopali fuerint sigillatæ; at verò posterioribus Sæculis nata est opinio, quòd ejusmodi literis, quamprimum prodierunt, plena sit habenda fides, etsi placet Episcopale iisdem non accesserit.

* HARTZHEIM T. IV. p. 471.

§. XIII.

CONTINUATIO.

Circa Decimas Papales, quæ Sæculo XIV. Clero germanico fuerant impositæ, specialiter Clerus Coloniensis in Synodo Coloniensi sub Friderico III. anno 1372 habita desuper conquestus fuit, & sequentem in modum fuit ordinatum: *Si verò Dominus Noster Summus Pontifex Decimas sibi dari vellet nos ad evadendum seu ad mitigandum ipsarum solutionem Vobis Consilio & auxilio assistemus, in quantum absque Sedis Apostolicæ injuria possumus & offensa*; super quo ad motas denuo querelas à Natione germanica in S. Concilio Basileensi Decretum fuit conditum & à Germania acceptatum, ut Clerus germanicus in vim Concordatorum ejusmodi Decimis immunis factus fuerit. **

* Cf. HARTZHEIM. *loc. cit.* p. 508.

** Cf. HAHN Diss. *de insigni libertate Cleri germanici circa impositionem Decimarum* ed. Mog. 1766.

§. XIV.

§. XIV.

De Synodis Col. Sæculo XV. habitis.

Singularia ſunt, quæ in Synodo Colonienſi ſub Theodorico Archiepiſcopo anno 1452 habitâ Præſide Nicolao Cuſano ſacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinali & à Papa confirmata ſunt Statuta, * videlicet: „Item ſtatuimus & ordinamus, „ ſi Ordinarii in viſitationibus reperiant concurſum populi ad aliquas imagines, „ cognoverintque informatione ſummaria recepta populum plus ad diſpoſitio- „ nem figuræ talis imaginis, quàm ſalvâ fide expediat, inclinari, quòd tunc „ imaginem tollant, & aliàs omnino provideant, ne idololatriam commit- „ tant. Similiter ſi hoſtia transformetur in cruentam carnem, ſeu in ſan- „ guinem apparentem occultetur penitus & omnino juxta traditionem juris, „ nec populo quomodolibet publicetur, ſeu oſtendatur, ne ſeducatur & „ quæſtuarius accurſus populo prohibeatur; ** Item ad majorem honorem „ ſanctiſſimi Sacramenti, ſtatuimus, quod deinceps ipſum ſanctiſſimum Sa- „ cramentum nullatenus viſibiliter in quibuscunque Monſtrantiis ponatur, „ aut deferatur, niſi in ſanctiſſimo Feſto Corporis Chriſti cum ſuis octavis „ & extra hujusmodi Feſta cùm ſuis octavis ſemel in anno in qualibet „ civitate aut oppido ſeu parochia, vel ex ſingulari indulto Ordinarii, aut „ aliàs pro Pace vel alia neceſſitate imminente ex indiſpoſitione rempubli- „ cam prægravante, & tunc cum ſumma reverentia & devotione." ***

* Hartzheim Tom. V. p. 413.

** Utinam animo tantisper pacato legerent, & attenderent hæc Proteſtantes! ſanè pridem ante Reformationem prætenſam viderent in Eccleſia catholica damnatos fuiſſe abuſus in Cultu imaginum, recto interim uſu probato, neque Religionem noſtram innocuam abominando idololatriæ probro apud imperitum vulgus diffamarent.

*** Nihilominus ad augendam devotionem fidelium rectè Eccleſia frequentiorem hâc in re uſum indulgebat.

§. XV.

De Synodis Colon. Sæculo XVI. habitis.

In famosâ Synodo Colonienſi tempore diſſidii Religionis habita anno 1536 ſub Hermanno V. inter alia ſpecialiſſima (neque enim omnia notare poſſumus) ſtatuitur 1): *Multo jam ex tempore pio (ut ſpes eſt) animo deſi-*

*desideravimus repurgari breviaria. Nam cùm olim à sanctissimis Patribus institutum sit, ut solæ Scripturæ sacræ in Ecclesia recitarentur, nescimus, quâ incuria acciderit, ut in earum locum successerint alia cum his neutiquam componenda, atque interim historiæ Sanctorum, tàm incultè ac tàm negligenti judicio conscriptæ, ut nec authoritatem habere videantur, nec gravitatem. Deo itaque Authore déque Consilio Capituli Nostri ac Theologorum aliorúmque piorum Virorum Reformationem Breviariorum meditabimur.** Tanti negotii executio quantam patiatur difficultatem eruditorum nemo ignorat. — Reservata fuisse videtur gloriosissimo Eminentissimi ac Celsissimi Archiepiscopi Principis Electoris MAXIMILIANI FRIDERICI Regimini Tanti momenti negotii Executio, sub quo hujus Synodi desideriis satisfactum edocti sumus.

* HARTZHEIM *CC. germ. Tom. VI. p. 232. Synod. Col. Part. 2. C. 6.*

§. XVI.

CONTINUATIO.

Demum 2) authoritate illius Synodi conditum & publicatum est Enchiridion Doctrinæ christianæ in quo præter alia plura specialissima haud contemnenda * ità disponitur: „ De Ministro Sacramenti Matrimonii videndum est: ut forsan quidam non improbandâ ratione dicant, matrimonium certum ministrum non exigere, quòd conjuges in sese casto amore ac religiosè consentientes Deus ipse conjungat, tamen videmus & in veteri lege quosdam fuisse, qui Dei vice conjuges conjungerent, *quanto ergo magis putandum est in novâ lege* SACERDOTES, *qui legatione pro Deo funguntur, hujus Sacramenti ministros esse.*" ** Nonne hâc constitutione Concilii nostri Provincialis Coloniensis evidens redditur, quæ fuerit mens Patrum circa Ministrum Sacramenti matrimonii? quod Sacerdos sit legitimus illius Minister: in quo Concilio vel universali vel particulari Coloniensi posteriori contrarium statutum esse legimus? nonne hæc Provincialis Constitutio nondum abrogata norma & lex dicenda est pro Scholis Coloniensibus meritò tenenda.

* Cf. ENCHIRIDION *p. 123. 196. 197. 212.*

** ENCH. *cit. p. 215.*

§. XVII.

§. XVII.

Continuatio.

Inter omnes alias Synodos Colonienses universim habitas dignissima est Synodus illa Provincialis, quæ ab Archiepiscopo Coloniensi ADOLPHO anno 1549 apud Coloniam Agrippinam convocata fuit, quæ exinde est famosissima, quòd ab Imperatore CAROLO V. fuerit approbata & confirmata, atque Canones & Decreta contra pravos abusus maximè salutaria condiderit; ex quibus priusquam nonnulla referamus, ut constet, quanta hujus Concilii usque hodie sit, & debeat esse authoritas, Instrumentum Confirmationis Cæsareæ integrum hic apponimus: CAROLUS Quintus divina favente clementia Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Rex Germaniæ, Hispaniarum, utriusque Siciliæ, Hierusalem, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Comes Habsburgiæ, Flandriæ, Tirolis, &c. universis & singulis Principibus ecclesiasticis & secularibus, Archiepiscopis, Episcopis, Prælatis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Militibus, Militaribus Præfectis, Potestatibus, Vicedominis, Castellanis, Magistratibus, Consulibus, Judicibus, Officialibus, Aduocatis, Procuratoribus, Civibus, Communitatibus, & omnibus aliis nostris & Imperii Sacri, & Dirionum nostrarum hæreditariarum in Provincia Archiepiscopatûs Coloniensis comprehensarum, subditis, & in ecclesiasticis rebus ejusdem Provinciæ Episcoporum & Prælatorum Jurisdictioni subjectis, cujuscunque præeminentiæ, dignitatis, Statûs, Gradùs, Ordinis & conditionis existant, Gratiam nostram & omne bonum. Venerabiles & Illustres Electores, Principes & Consanguinei nostri Charissimi, Generosi, Nobiles, Honorabiles, Deuoti & Fideles, dilecti, QUUM Venerabilis Adolphus Archiepiscopus Coloniensis, Sacri Romani Imperii per Italiam Archicancellarius, Princeps Elector, & Consanguineus noster charissimus, & ejus Comprovinciales Episcopi, in executionem Formulæ Reformationis, in nuperrimis Comitiis apud civitatem nostram Imperialem Augustam Vindelicam habitis, eidem Archiepiscopo & aliis Episcopis, & Statibus ecclesiasticis per Nos propositæ, & ab ipsis probatæ, & quantùm in eis esset receptæ, ut monitis Nostris ea de causa factis parerent, & eidem Reformationi commodæ viæ præsternerentur, per quas ad meliorem vivendi rationem transitus fieret, in Concilio Provinciali apud Coloniam Agrippinam habito, Canones quosdam Synodales, tum ad efficacem & indiès surgentem, ac permansuram Reformationis executionem, tum ad mores pravos ex-

extirpandos: potiſſimùm verò manifeſtos abuſus in Clero & populo coërcendos, & ſeductores, qui corrumpendis ſimplicibus hominibus ſtudent, è Grege propulſandos ediderint, & Nobis obtulerint, Authoritate Noſtra, quatenùs expedire videretur, muniendos, & in executionem mittendos: NOS verò eosdem Canones Primariis noſtris Conſiliariis, & aliis rerum Theologicarum peritis, ad id ſpecialiter per Nos deputatis, propoſitos, & per eos diligenter reviſos & examinatos, eorumque Relatione Nobis facta, cùm illos prædictæ Formulæ Reformationis conformes invenerimus: Proindè ipſos Canones Synodales, ratos & gratos habentes, & quoàd opus eſt, & per Nos fieri poteſt ac debet, approbantes, & Decreto Noſtro corroborantes, Imperiali Authoritate Noſtra, & qua aliàs fungimur, vobis omnibus & ſingulis, ſeriò & ſub pœna gravis indignationis Noſtræ, & aliis pœnis Noſtro arbitrio imponendis, hujus Edicti Noſtri vigore præcipimus & mandamus, ut ea omnia Provincialis hujus Concilii Colonienſis Decreta, in omnibus ſuis punctis, clauſulis, articulis, ſententiis, & verborum expreſſionibus, eo modo, quo illa quemlibet veſtrûm concernunt, ritè, ſanctè, inviolabiliter, citra ullam fraudem & tergiverſationem obſervetis, impleatis, & exequamini. Vosque Principes & Magiſtratus civiles, in refrenandis & coërcendis juxta eadem Decreta rebellibus, perverſis, & refractariis, ſive illi eccleſiaſtici, ſive laici ſint, Eccleſiarum Epiſcopis & Prælatis, ubi ab illis requiſiti fueritis, omnem legitimum favorem, auxilium, opem præbeatis, & per Miniſtros & officiarios veſtros atque alios, in quos vobis Imperium competit, præberi jubeatis & curetis. Ac nullus omninò veſtrûm, cujuscunque Præeminentiæ, Dignitatis, Gradùs, Ordinis & conditionis ſit, aut quocunque munere aut jurisdictione fungatur, memoratos Epiſcopos & Prælatos in eorum munere, jurisdictione, officio, ſecundùm Canones & Leges, ad ipſorum functionem pertinentes, quovis modo impediat aut turbet, neque id ab aliis fieri jubeat, nec permittat. Præterea quicunque veſtrûm, Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum piorum locorum Advocati, Præfecti, & Protectores fuerint, ac Prælatos, Eccleſias & loca pia, eorumque bona in fidem, tutelam, & protectionem ſuam, ſive ex commiſſione divorum Principum, Prædeceſſorum noſtrorum in ſacro Imperio, ſive Noſtra, aut alio quovis jure receperint, eadem præfectura, tutela, ſeu protectione neutiquàm abutantur, neque ipſos Prælatos, Eccleſias, Monaſteria, & loca pia, contra formam & naturam protectionis uſurpent, opprimant, gravent. Quin potiùs illos & illa in ſuis Privilegiis, Jurisdictionibus, & Rebus conſervent & tueantur, & tàm ii, quàm vos alii omnes ſupradicti, contra præmiſſa

facere ſeu attentare, neque præſumatis, neque ab aliis fieri aut attentari ſinatis, quovis quæſito colore ſeu prætextu: quatenùs pœnas ſupradictas, & alias in Formula memoratæ Reformationis à Nobis propoſitæ, & Decretis Provincialis Synodi Colonienſis contentas, præter eas quas alioqui Canones & Leges in violatores perſonarum & Rerum eccleſiaſticarum decernunt, malueritis evitare. Hæc eſt Animi noſtri ſententia & ſeria voluntas. Datum in oppido Bruxellenſi Ducatûs noſtri Brabantiæ, ſub impreſſione Sigilli noſtri, quarto Nonas Julii, anno à Nativitate DOMINI ſupra ſesqui milleſimum quadrageſimo nono, Regnorum noſtrorum, Imperii vigeſimo nono, & aliorum omnium trigeſimo quarto.

CAROLUS.

Ad Mandatum Cæſareæ & Catholicæ Majeſt. proprium.

Vid. Anton. Peren.

Obernburger ſubſ.

§. XVIII.

CONTINUATIO.

Ex decretis in hâc Synodo provinciali conditis ſucco eruditionis ac pietatis plenis quatuor ſolummodo in præſens adferimus, & quidem *primum* eſt illud *de inſtauratione Studiorum*: *Studium Scripturarum ſacrarum*, *Canonum*, *& munerum eccleſiaſticorum* præſcribit, *ſive enim regere Eccleſias & docere populum*, *ſive hæreticos convincere*, *& Scripturarum aperire Myſteria ſive Sacramenta conficere eaque adminiſtrare*, *ſive examinare ex ordine Eccleſiæ Miniſtros*, *ſive viſitare Diœceſes*, *aut Synodos celebrare vel judicia eccleſiaſtica exercere oporteat*, *ſcientiâ opus eſt &c.* inter alia *Sacrorum Canonum ſtudium hìc Clericis præſcribitur*; & rectè: Auguſtiſſima Imperatrix MARIA THERESIA ſolenni edicto Clericos ordinare Epiſcopis prohibuit anno 1776 nisì, ſe per biennium ſtudio juris ſacri prævie vacâſſe, fidem facerent, atque examine rigoroſo ejusdem periti inventi fuerint, noviſſimè Sereniſſimus Elector Trevirenſis, ut ſtudium juris ſacri Clericis fieret proprium, pariter ordinavit, ut ordinandi examen juris ſacri prævie ſubirent.

§. XIX.

§. XIX.

CONTINUATIO.

Ut prædictus Eminentissimus Legifer ADOLPHUS literarum studia inter Clericos potissimùm verò Canonicos propagaret 2) decernit & statuit *ut dent Collegia uni, duobus vel tribus, ùt multus vel exiguus fuerit personarum numerus in Collegio, bonæ spei ac studiosis adolescentibus, non minus quàm triennii tempus, pro studiis, in quibus si laudis aliquod obtineant, tempus eis prorogetur, atque interim percipiant integros præbendæ suæ fructus, quotidianis distributionibus exceptis, aut saltem quantum ad victum & libros necessarios sufficiat, dum tamen certis testimoniis singulis annis ad Collegia mittendis constet, nec perversis moribus eos deditos, nec studia vana, quæ ad Ecclesiæ ædificationem non conferant sectari &c.* quâ ratione igitur Capitula petentibus licentiam frequentandi Academias ut se studiis exolant, eandem denegare queant, non videmus, siquidem, ut id fiat, hâc Synodo expressis verbis præcipiatur.

§. XX.

CONTINUATIO.

Tertium, quod inter alia in hâc Synodo à Cæsare confirmata statutum esse legimus est, quod sub Titulo: *De restringenda Beneficiorum Curam animarum habentium coacervatione* decernitur, in fine: quod si beneficiatus maluerit, liberè resignet aut dimittat, *absque præjudicio tamen præsentantium, eligentium & Collatorum*, imo si Papa cum indignis dispensâsset, & novâ provisione contulisset, Summo illud Pontifici Episcopus curet significare, ut digniori de beneficio illo provideatur NB. *per eos quibus aliàs competit jus eligendi, conferendi vel præsentandi.* Apertè hìc Patronis jus collationis, præsentationis contra Resignationes in Curia præservatur, quod intelligendum utique est hodie ex Capitulatione Cæs. art. 14. C. 1. de Beneficiis illis, quæ nunquam per obitum ad Curiam Romanam devolvuntur. *

* De iis Beneficiis & Canonicatibus, qui per obitum ad Curiam Romanam devolvi possunt alia est conditio, etenim ejusmodi Canonicatus in mense ordinario coram Capitulis resignari permittuntur, cur nen coram Summo Pontifice aut ejus Indultario in Mensibus reservatis?

§. XXI.

Staatliche Bibliothek Bamberg

§. XXI.

Continuatio.

Quartum consideratione dignum est sequens Statutum: *Jurisdictionem ecclesiasticam Christus Ecclesiæ in Petro pro Ecclesia confitenti ipsum esse Filium Dei promisit, quando dixit* Matth. 16. *Tibi dabo Claves Regni Cœlorum: quodcunque ligaveris super terram erit ligatum & in Cœlis: & quodcunque solveris super terram erit solutum & in Cœlis. Quam promissionem non ad unum Petrum pertinere, sed in omnes Apostolos transmissam alio loco insinuat ubi dicit: Amen dico vobis, quodcunque ligaveritis super terram erit ligatum & in Cœlo, & quodcunque solveritis super terram erit solutum & in Cœlo. Ecclesiæ igitur sunt Claves istæ ligandi atque solvendi datæ, quas non ab hominibus sed à Christo accepit: ut absque divinæ authoritatis contemptu contemni non possint* — quid igitur de contraria opinione sit sentiendum, nemo eruditorum ignorabit. Et quâ ratione, salvâ Synodo hac pro totâ Germania ab Imperatore confirmatâ, sententia adversa subsistere queat, in Scholis adeò Coloniensibus, non videmus.

§. XXII.

Conclusio.

Plurima alia adhuc superessent Juris nostri sacri specialissimi Capita quæ ex Synodis Coloniensibus illustrari potuissent, verùm cùm specialem in Synodum Coloniensem novissimam Sæculo XVII. anno 1662 habitam elucubrationem simus meditaturi, neque otium nobis id nunc permittat, scripsimus in præsenti de Synodis Coloniensibus

TANTUM.

V. DIS-

Staatliche Bibliothek Bamberg

V.
DISSERTATIO JURIDICA
DE
FIDE PACTIONIS RUPTA PER FACTAM ALTERI CONSENSUS MATRIMONIALIS FIDEM CONDEMNANDO AD POENAM STIPULATAM, AUT QUANTI INTEREST HAUD VINDICANDA.

AUTHORE & DEFENDENTE D. JOS. L. B. DE BERSWORDT, EX SCHEIDINGEN.

PRÆFATIO.

Inter cæteras, quas per temporis decursum quo Jurisprudentiæ dedi operam, legi, & ab Antecessoribus percepi Juris Controversias non levis momenti illam esse reperi, ubi quæritur: an si contractui sponsalitio pœna ex conventione partium sit adjecta, & alterutra pars quacunque de causa ad Matrimonium cum alia transeat, hoc contracto, pars deserta agere possit ad pœnam conventam, aut ea non adjecta, an agere queat, ad id quanti interest, Matrimonium cum prima non fuisse subsecutum? Controversiam hanc non levis esse Momenti puto, eo quod una ex parte agatur de Matrimonii ineundi Libertate, ex altera vero Ecclesiæ & Reipublicæ interesse videatur, si refrænetur Repudiorum inter sponsos libertas, quare cum etiam eruditissimi Jurium interpretes hac in re varient, thema hoc specialiter elaborandum adsumpsi, ut vero ordinate procedam, præsentem operis Conspectum præmittendum duxi.

CONSPECTUS DISSERTATIONIS.

§. I. *Fides Pactionis rumpitur per fidem Consensûs Matrimonialis alteri factam.*
II. *Remedia hujus coercitiva apud antiquos.*
III. *Jure romano veteri repudia inter sponsos permissa.*
IV. *Ejusdem Continuatio.*
V. *Jure romano novo repudia hæc coercita per varias pœnas legales.*
VI. *Probibita nihilominus pœna conventionali secus ac in aliis Contractibus.*
VII. *Permissa tamen ex novella Leonis & L.L. Longobardorum.*
VIII. *Jure ecclesiastico veteri repudia inter sponsos vetita.*
IX. *Si tamen rite fuerint inita non si clandestine contracta.*

X.

X. *Adjecta contra Violatores pœna canonica, non pecuniaria, multo minus conventionali permissa.*
XI. *Jure novo decretalium pœnæ judiciariæ coercitivæ statutæ in refractarios & quatenus?*
XII. *Continuat.*
XIII. *Transitus ad Argumentum.*
XIV. *Recensentur Authores adfirmantes pœnam conventionalem Sponsalibus recte adjici posse.*
XV. *Adferuntur Authores negantes.*
XVI. *Præfertur Sententia negativa.*
XVII. *Arg.* 1) *ex Cap.* 29. *de Sponʃ. desumptum.*
XVIII. *Dubia contra hoc Cap. remissive.*
XIX. *Arg.* 2) *ex Jure civili.*
XX. *Continuat.*
XXI. *Hæc Leges civiles non sunt immutatæ imò receptæ J. Can.*
XXII. *Arg.* 3) *desumptum ex Decisionibus Rotæ romanæ.*
XXIII. *Auth. Cl* Böckhn *hæc sententia merito firmatur.*
XXIV. *Rejiciuntur variæ sententiæ* 1) *Cl. de* Riegger.
XXV. 2) *Cl.* Böhmeri & *Cl.* Oberhauser.
XXVI. 3) *Cl.* Ruprecht.
XXVII. 4) *Refutatur opinio Cl.* Zech.
XXVIII. *Dubium ex novella removetur.*
XXIX. *Satisfit dubio de Arrhis.*
XXX. *Respondetur ad Argumentum desumptum ex aliis Contractibus.*
XXXI. *Removetur dubium de pœna judiciaria.*
XXXII. *Sententia negativa vel maxime tenenda in Archidiœcesi Col. & aliis ubi vigent Sponsalia clandestina.*
XXXIII. *Et quare?*
XXXIV. *Continuat.*
XXXV. *Continuat.*
XXXVI. *Transitus ad interesse an præstandum & quale.*
XXXVII. *Variæ Sententiæ adferuntur.*
XXXVIII. *Sententia negativa præfertur.*
XXXIX. *Et probatur.*
XL. *Continuat.*
XLI. *Removentur contraria.*
XLII. *Continuat.*
XLIII. *Dissertationis conclusio.*

DISSERTATIONIS

§. I.

Fides Pactionis rumpitur per fidem Consensus Matrimonialis alteri factam.

Duobus modis dicitur *fides* pactionis & *consensûs*; est autem *fides pactionis*, quando aliquis promittit alicui *fidem*, quod eam ducit; fides autem *consensûs* est, quando corde & ore consentit ducere & mutuo se concedunt, unus alii, & mutuo se suscipiunt. Si aliquis alicui mulieri fidem fecerit pactionis, non debet aliam ducere: si aliam duxerit, pœnitentiam debet agere de fide mentita; manebit tamen cum illa, quam duxit, non enim rescindi debet tantum Sacramentum; si autem fecerit fidem consensùs, non licet ei aliam ducere, si autem duxerit, dimittit ipsam & adhærebit priori — ita in terminis Decisio *Capituli* 1. *de Sponsa duorum.* Quanquam itaque post fidem datam pactionis (Sponsalia) omnibus modis sponsi (nisi aut mutuo consensu datam sibi fidem remittere malint *a*) aut justa à fide data resiliendi causa iis subsit) sint inducendi ut præstitam fidem observent, *b*) id nihilominus certi juris est, quod fides pactionis data (Sponsalia) rumpatur per fidem consensus matrimonialis, seu Matrimonium cum alia contractum, atque hoc validum sit & indissolubile.

a) C. 2. de Spons. & Matrim. unicam scio Diœcesin esse, videlicet *Constantiensem* ubi sponsalia *mutuo consensu* dissolvi *non* possunt, talisque dissolutio est casus Episcopo reservatus. Vid. SPENGELER *Inst. Paroch. pro assistentia SS. Contractuum.* Atque huc respexisse videtur Author Anonymus der nahen Beleuchtung derjenigen Einwürfe, die einige Kanonisten wider das kurbayerische sponsalien Gesätze machen p. 89. ubi ita ait: ich kenne ein gewisses Consistorium, wo wider alle Natur der Kontrakte den Partheyen nicht erlaubet ihre Sponsalia für sich selbst mutuo consensu aufzuheben, sondern sie müßen allemal die Ratification darüber beym Consistorio einholen.

b) Cap. cit.

§. II.

Remedia hujus libertatis coercitiva inter veteres.

Repudiorum inter Sponsos libertas antiquissimis temporibus, modo remediis coercitivis restricta fuit, teste enim GELLIO *a*) placuit veteribus in latio (quæ est pars Italiæ inter ostia Tiberis & Circejos Authore Plinio *b*) Matrimo-

trimonii cautiones ſibi invicem emittere, in quibus ſpondebant, ſe conſentire in Jura Matrimonii, & quo Major eſſet præſtiti conſenſus & fidei datæ ſervandæ neceſſitas, fidejuſſores dabant, vel pœnali ſtipulationi ſe ſubmittebant, ſiquis eorum ceſſaſſet in perficiendis nuptiis & primam fidem feciſſet irritam. Hunc ipſum morem ſecutos fuiſſe latinos veteres ex *Servio Sulpitio & Neratio* Jurisconſultis teſtis eſt idem GELLIUS *c*) priusquam nempe latini lege Julia donarentur civitate romana.

a) Lib. 4. c. 4.
b) Lib. 3. c. 5.
c) Ibid. c. 4.

§. III.

Jure tamen Romano veteri libertas repudiorum inter Sponſos erat permiſſa.

At verò civibus romanis ſponſalia ſemper fuerunt libera non tantum à vi & metu, ſed & ab omni coactione, adeo ut ſponſalia paſſim & ſinè cauſa apud eos ab alterutra parte ſolvi potuerint, quæ libertas à ſponſalibus recedendi adeo firmata & moribus Romanorum ſtabilita fuit, ut nulla ſtipulatione pœnali potuerint impediri, liquet id ipſum ex *L.* 134. *pr. de verb. obl.* ubi caſus iſte refertur: Titia quæ ex alio Filium habebat, in Matrimonium coit Cajo Sejo habenti filiam, tempore Matrimonii conſenſerunt, ut filia Caji Titio deſponderetur, & interpoſitum eſt inſtrumentum & adjecta pœna, ſiquis eorum nuptiis impedimento fuiſſet, poſtea Cajus Sejus conſtante Matrimonio diem ſuum obiit, & filia ejus noluit nubere, quærit Paulus JC. an Caji Seji hæredes teneantur ex ſtipulatione? reſpondit: ex ſtipulatione, quæ proponeretur, agenti obſtaturam exceptionem Doli mali, ex Ratione, *cum non ſecundum bonos mores interpoſita ſit* — hìc aperte provocatur ad mores à Romanis receptos, ſecundum quos repudia licita & ita libera erant, ut nullo modo conſtringi poſſent; additur vero in ſequentibus ſpecialior ratio, quæ omnibus Sponſalibus communis eſt: *quia inboneſtum viſum eſt vinculo pœnæ Matrimonia obſtringi.*

§. IV.

Ejusdem Continuatio.

Duravit praxis iſta apud Romanos ad tempora Diocletiani Imp. qui in *l.* 1. *c. de Sponſ.* diſerte fatetur: Deſponſatos renuntiare conditioni & nubere aliis haud prohiberi, ubi *conditionem* pro *Matrimonio* futuro ſeu ſponſalibus

libus accipi patet *ex l.* 11. *&* 36. *de Ritu nupt.* idque ex ſolemni formula in repudiis uſitata: *Conditione tua non utor*, *l.* 2. *§.* 2. *de repud.* ubi hæc decidendi Ratio ſubjungitur: *cum poſſet filia nuntium remittere etiam præſente illo conſilium mutare voluiſſet.*

§. V.

Quare Jure romano novo repudia hæc coercita per varias pœnas legales.

Ad aliqualiter refrænandam horum repudiorum libertatem tandem per leges ipſas pœnæ ſunt introductæ, ut ſi alteruter ex deſponſatis à fide data temere recederet, ſaltem non maneret impunitus, quare *pœna quadrupli* cum reſtitutione Arrharum (Arrhæ autem nomine veniebant tam res mobiles, quam immobiles in pignus conſtantiæ datæ *a*) jam placuerat Imperatoribus chriſtianis, uti videre eſt ex *Codice Theodoſiano b*) notandum autem bene eſt, hanc pœnam ibi vocari *pœnam juris*, *pœnam ex præcepto legum debitam*, hanc *pœnam quadrupli* vero THEODOSIUS IMP. moderavit *c*) ita ut quandoque puella impune à ſponſalibus recedere poſſet, ſi nondum foret legitimæ ætatis, quandoque vero ſolvere pœnam debeat, ſi jam legitimæ ætatis eſſet; — Suſtulerunt rurſus hanc pœnam legalem an. 469. LEO & ANTHEMIUS IMP. *d*) conſtituentes, ut Mulier Majorennis à ſponſalibus temere recedens, duplicatas Arrhas, Minorennis vero tantum id quod accepit, reddere cogatur; ob juſtam vero cauſam impune recedere liceret.

a) DUFRESNE *in Gloſſ. ad h. vocem.* — *b*) *L.* 6. *c. theod. de Sponſ. l. un. c. th. ſi nuptiæ ex reſcript. pet. l. un. c. th. ſi prov. rector.* — *c*) *Cit. l.* 6. *c. theod.* — *d*) *L.* 5. *c. juſt. de Sponſ.*

§. VI.

Prohibita nihilominus manſit pœna conventionalis.

At vero, an etiam, pœnam ex conventione arbitraria partium adponi poſſe ſponſalibus, per leges citatas ab Imperatoribus permiſſum fuit? minimè; quin potius leges ſupra (§. III. cit.) allegatæ, queis pœna illa conventionalis reprobata extat, denuo fuerint confirmatæ, per LEONEM & ANTHEMIUM Impp. qui aperte ſatis ſtatuunt *a*) *extra Definitionem autem hujus legis, ſi cautio pœnam ſtipulationis continens fuerit interpoſita, ex utraque parte* NULLAS VIRES *habebit*; addita ratione ferè eadem *leg.* 134.

ff. de V. O. cum in contrahendis nuptiis libera poteſtas eſſe debeat, quare ab omni veritate alienum eſt, quod docet Cl. P. RUPPRECHT *b)* videlicet hoc modo per ſtatuitionem Leonis & Anthemii à veteri jure fuiſſe receſſum, in quo pœnæ conventionales in ſponſalibus repudiabantur, quæ Doctrina aperte repugnat verbis finalibus allegatis cit. legis 5. *de Sponſ.* equidem in eadem lege ſtatuitur, pœnam quadrupli eatenus habere locum, *ſi ſpecialiter ex communi conſenſu inter contrahentes de eadem ratione quadrupli placuerit*; ſed quis non videt, hanc ipſam pœnam eſſe legalem & juris permittentis, atque aliam pœnam conventionalem ultra pœnam quadrupli reprobari?

a) L. 5. c. de Sponſ.— b) In ſuis notis hiſtoricis ad L. IV. decret. tit. 1. pag. 88.

§. VII.

Permiſſa tamen conventionalis ex Conſt. Leonis & L.L. longobardorum.

Aliter ac omnes Anteceſſores Impp. ſentiebant, viſum fuit LEONI Imp. qui in ſua conſtitutione *a)* ad STYLIANUM Sacrorum officiorum Magiſtrum data ſtatuit; ut ſponſalibus ſubdi poſſit ſtipulatio pœnalis, & non ſecutis nuptiis ſecundum fidem ſponſaliorum pœna conventa exigi, vel ſi pœna conventa non ſit, agi poſſet, in id quod intereſt parti deſertæ, Matrimonium non fuiſſe ſubſecutum, rationem aliter ita omnino ſentiendi reddit iſtam: ex ARRHÆ SIQUIDEM *perditione faciles ſponſaliorum everſiones, video, ex pœnæ* (conventæ) *perſolutione non item*, quod itaque Prædeceſſores Impp. chriſtiani tanto numero Matrimonii libertati adverſari ſolemni lege conſtituerant, id ſtatui matrimoniali utilius & præſtantius eſſe, quaſi ſibi ſoli ſaperet, credidit & ordinavit LEO PHILOSOPHUS, atque etiam hæc Conſtitutio Leonina recepta fuit LEGIBUS LONGOBARDORUM *b) ut pactum bujusmodi pœnale valeret, & ſtipulatione commiſſa pœna ſponſalibus addita præſtaretur.*

a) Vid. *novella Leonis XVIII.— b) Uti liquet ex tit. 92. Leg. longobardorum.*

§. VIII.

Jure eccleſiaſtico veteri repudia inter ſponſos erant vetita.

Poſtquam hactenus vidimus, qualiter jure civili repudia inter ſponſos fuerint, aut permiſſa, aut pœnis etiam coercita, ad Jus ſacrum nunc faciamus tranſitum, atque ſi diſciplinam Eccleſiæ primævæ attendamus, primo

primo nobis intuitu sese prodit, sponsalia tunc sanctissime fuisse custodita; patet autem hujus rei disciplina ex iis sacris legibus, quas GRATIANUS Decreto suo *a*) inseruit; ex quibus tamen legibus id constantissime semper in Ecclesia observatum fuisse discimus, ut siquis post contracta sponsalia se actu cum alia copulaverit, penes secundam remanere jussus fuerit, atque ad primam redire nullatenus potuerit.

a) *Causa XXVII. Q. II.* hâc quæritur à Gratiano: *an puellæ alteri desponsatæ possint renunciare priori conditioni & transferre sua vota ad alium?* postquam varios super hac quæstione Canones sibi contrariari visos retulit, contrarietatem istam ita dissolvit, si puella sit desponsata alteri per *sponsalia de præsenti* (seu per Matrimonium) transferre sua vota ad alium non posse, quod si verò tantum sit desponsata per *Sponsalia de futuro* posse quidem nubere alteri, ad Effectum ut penes secundum remanere debeat propter Matrimonii indissolubilitatem; inde incidenter nota hac occasione distinctionem inter *Sponsalia de præsenti & de futuro* invaluisse, quæ tantos motus inter protestantes excitavit atque, ut & ego fateor, hac distinctione potuisse carere nostram Ecclesiam.

§. IX.

Si tamen rite fuerint inita, non si clandestine contracta.

Quod autem ita sanctè legibus ecclesiasticis cautum fuerit, ut sponsalia observarentur, de sponsalibus rite initis intelligendum esse, merito adfirmamus, non de iis quæ clandestine sæpius & inconsulto fuerunt conclusa, unde recte ait Cl. P. RUPPRECHT *a*) *causæ speciales firmitatis sponsaliorum in Ecclesia antiqua erant, tum quia fiebant cum Consilio Presbyterorum & viduarum, tum quia ritus Benedictionis apud Judæos cousuetus ad Christianorum sponsalia transierat*; porro ritum in sponsalibus observari solitum idem fusius adducit & demonstrat *b*) quibus addatur *causa XXX. q. V. p. tot.*

a) *L. cit.* — *b*) L. cit. pag. 96 n. 63. ubi ait: in Euchologio græcorum à doctissimo Goario edito & notis illustrato duo extare officia nuptialia, quorum primum inscribitur: *ordo servari solitus in sponsalibus celebrandis*: videlicet *in nuptiarum sub arrhatione* secundum vero: *officium coronationis nuptiarum*, ubi ritus sequentes præscripti leguntur: *Sacerdos tertio capita signat, cereos accensos eisdem tradit, preces deinde varias ac Benedictiones super eos fundat, Crucem super eorum capita annulis facit, eosque Digitis eorum immittit.*

§. X.

§. X.

Adjecta contra violatores pœna canonica & spirituali non pecuniaria, multo minus pœna conventionali permissa.

Quæ vero Ecclesiæ antiquæ disciplina, quis Mos fuit, procedendi cum iis, qui postquam solennem fidem datam in sponsalibus spernerent, atque ad actuale Matrimonium cum altera convolarent? quibus pœnis Patres Ecclesiæ & sanctissimi Episcopi fidem pactionis (Sponsalia) ruptam vindicandam esse judicarunt? nihil de pœnis civilibus & pecuniariis, nihil de pœna conventionali in antiquis sacris Canonibus legimus, id unum compertum habemus: quod Ss. Patrum Canones Pœnitentiam spiritualem, salutarem *pro fide mentita*, *pro peccato* infligendam esse statuant, ait enim *Canon. ult. XXVII. q. II.*: *siquis post contracta sponsalia aliam duxerit pœnitentiam debet agere de fide mentita*, *maneat tamen cum illa quam duxit*; *neque* unquam primis Ecclesiæ Sæculis Episcopis *aliæ* pœnæ quam spirituales usitatæ erant, testante id pluribus Cl. de Riegger *a*) quinimo si sanctos Patres audiamus, ab iis pœnam pecuniariam sponsalibus adponi posse, fuisse penitus improbatum, testis est d. Chrysostomus. *b*)

a) *In suis instit. JC. ad tit. I. L. V. decret. §. CCXLV. & seqq.*

b) *Hom. 31. super caput. 19. in Math.* ubi ait: *nuptias amore non metu pœnæ conciliandas.*

§. XI.

Quare novo decretalium jure pœnæ judiciariæ coercitivæ statutæ in refractarios, & quatenus?

Ab hoc Jure Decreti & modo *vindicandi fidem ruptam* sponsalitiam pœnitentia spirituali, non tantum non recessit Jus decretalium, sed hunc ipsum recepit, & confirmavit, sic *in c. 1. de Sponsa duorum* legitur: partem infidelem pœnitentiam agere debere *pro fide mentita*, idem ait: *c. 5. & 22. de spons. pœnitentiam esse imponendam & recipiendam*, *quia primam fidem irritam fecit*; in eo tamen notabilem *Juris decretalium à Jure decreti* discessum deprehendunt passim interpretes, eo quod *pœnæ Judiciariæ coercitivæ* in decretalibus sint constitutæ, quibus ii ad ineundum Matrimonium compellantur, qui justam de cætero discedendi à sponsalibus causam non habent; at quænam sint illæ pœnæ non est extra controversiam propter duas decisiones, quarum una reperitur in *c. 10. de Sponsalibus*, altera in *c. 17. eod. tit.* in priori ait Papa Alexander III.: *primo sponsum nolentem monendum*

esse,

esse, *& si non adquieverit monitis*, ECCLESIASTICIS CENSURIS, compellendum in posteriori vero ait Papa LUCIUS III.: *cum libera debeant esse Matrimonia monendum esse potius*, *quam cogendum*, cum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere.

§. XII.

CONTINUATIO.

Unde quæritur, an nolentes, si justam in judicio resiliendi causam probare nequeant, CENSURIS compellendi sint ad Matrimonium incundum? ad quod respondemus *negativè;* cujus Ratio datur, quod *c.* 17. *cit.* utpote posterius facit Regulam, non esse cogendos sponsos nolentes, *cum coactiones difficiles soleant* FREQUENTER *habere exitus*; notorium autem in Jure est, potius inhærendum esse constitutioni posteriori quam priori; prorsus vero ineptum est, quod GLOSSA *a)* ut utrumque textum reconciliet, adfert, videlicet, to POTIUS in *c.* 17. interpretandum esse per PRIUS: quam fictitiam solutionem merito præstantissimus CUJACIUS *b)* irridet & solide refutat; quare ut omittamus alios interpretes, adduxisse in præsens sufficiat Franciscum LEONEM Episcopum Thelesanum *c)* qui hanc nostram Sententiam hodierno Romanæ Curiæ Stylo confirmatam testatur, porro celeberrimus Franciscus FLORENS *d)* hanc sententiam veram & verbis Capituli 17. omnino conformem asserit; unde merito ad hanc opinionem reflectere oporteret Judices, ne coactionibus immoderatis utantur contra sponsos renitentes.

a) *ad Cap.* 17. *cit.*— *b*) *In not. ad idem c. cit.* — *c*) In suo Thesauro fori eccles. P. II. de Spons. & Matrim. c. IX. §. 21. ubi ait: *cum libera debeant esse conjugia*, *neque à Judice Metus inferri debeat sponsis*, *ne eorum consensus aufferatur*, *oportet*, *ut hæc sit moderata coactio*, *unde si Judex videat sponsum ita obstinatum esse*, *ut libere consentire conjugio nolit*, *potius monitione uti debet*, *quam exactissima coactione*, *ex qua consensus secutus*, *nec liber esset*, *nec vere consensus dici posset*, *atque difficiles infelicesque exitus à talibus nuptiis evenire solent.* — *d*) *In suis oper. Jurid. tract. ad causam XXVII. q. II. p.* 212. *edit. an.* 1763. *Venetiis.*

§. XIII.

Transitus ad Argumentum.

His ex historia Juris tum sacri, tum profani præmissis ad ipsum thema principale ut progrediamur oportet, quæstionis autem vel maxime controversæ status hic est, cum persæpe eveniat, quod postquam MÆVIUS cum *titia* spon-

ſponſalia contraxit, idem Mævius quacunque de cauſa tranſeat ad matrimonium actuale cum alia, quæritur: an prior *titia* fide rupta agere poſſit *ad pœnam* prioribus ſponſalibus adpoſitam, aut ſi ea non adjecta fuerit, ſaltim *ad id quanti intereſt Titiæ, non nupſiſſe Mævium*, in hac ratione autem indubitatum apud omnes ferè exiſtit, *quodſi Mævius juſtam* à ſponſalibus cum Titia initis reſiliendi cauſam habeat, Mævium neque ad pœnam conventam, neque ad intereſſe obligari, dubium igitur, quod reſtat vertitur in eo, ſi Mævius *nullam in Judicio* diſcedendi *cauſam juſtam probare poſſit*, an ad pœnam conventam aut quanti intereſt obligetur, totam vero hanc controverſiam dependere arbitramur ab ea quæſtione præjudiciali: *an à partibus adjici ſponſalibus queat pœna conventionalis ab eo ſolvenda, qui juſtam in Judicio reſiliendi cauſam adferre & probare nequit*; quodſi enim eam adiici permittat Jus expreſſum & Matrimonii libertas, res in ſalvo eſt, atque Judex partem infidelem *absque cauſa Juris* tuto condemnabit ad ſolvendam pœnam, aut ſi adjecta non fuerit, ad intereſſe parti deſertæ præſtandum, quodſi vero pœnam adponi reprobet & Jus expreſſum, & ſtatus matrimonialis libertas, fides rupta condemnando ad pœnam aut quanti intereſt injuſtè vindicabitur.

§. XIV.

Recenſentur Authores adfirmantes pœnam conventionalem Sponſalibus adjici recte poſſe.

Quanquam in hac quæſtione juris neque Doctorum Authoritate certare velimus, neque etiam nos terreat ingens adverſantium interpretum copia, cum notum ſatis ſit, tantum valere Authoritatem interpretis, quantum valeat ejusdem Ratio, præmittere tamen placuit utriusque Sententiæ patronos, ut inde palam fiat, graviſſima inter interpretes etiam noviſſimos hac in re diſſenſio. Doctores autem pœnam adjici ſponſalibus poſſe adfirmantes ſunt ſequentes: de Riegger *a*) Böhmerus *b*) Oberhauser *c*) Rupprecht *d*) Wolf. Schmid *e*) Engel *f*) Reiffenstuel *g*) Glettle *h*) Aybling *i*) Pontius *k*) Laymann *l*) Godefredus *m*) Perez *n*) quibus etiam ſubſcribit Aleff *o*) demum his quoque acceſſerunt Cl. Zech *p*) & Stryckius *q*) eatenus ſaltem, ut moribus hodiernis, quidquid ſit de Jure communi, ſponſalibus adjicere pœnam licitum eſſet injuſtè reſilienti.

a) *Inſtit. Jurisprud. Eccl. part. IV.* §. *XVI.* — *b*) *In ſuo corp. J. eccleſ. ad c. 29. de ſponſ. atque in ſuo J. E. prot. lib. IV. tit.* 1 — *c*) *In ſuis prælect.*

prælect. canonicis L. IV. T. I. §. XI. — *d*) *In notis historicis ad L. IV. decret. T.* 1. §. 90. — *e*) *Ad tit. de sponsal.* — *f*) *Colleg. un. J. can. L. IV. tit.* 1. §. 2. *n.* 7. — *g*) *Jur. can. univ. L. IV. tit. I. §. VII. à n.* 187. *ad n.* 199. — *h*) *In suis assert. Jurid. assert.* 56. — *i*) *Ad ff. tit. de spons. n.* 43. *& seqq.* — *k*) *De Matrim. lib.* 12. *c.* 19. *n.* 8. — *l*) *Lib.* 5. *tract.* 10. *p.* 1. *c.* 1. *n.* 8. — *m*) *In l.* 134. *ff. de V. O. T. quia inhonestum est.* — *n*) *De Matrim. disput.* 7. *Sect.* 1. *n.* 6. — *o*) *In suis assert. Juris magis controversis, assert. XCV.* — *p*) *De jure rerum eccles. Sect.* 2. *tit.* 8. §. 286. *n.* 27. — *q*) *Ad u. m. lib.* 23. *tit.* 1. §. 4.

§. XV.

Adferuntur Authores negantes.

Inter eos vero, qui prorsus negant pro conservanda status matrimonialis libertate, adjici sponsalibus pœnam posse, sive justa causa in Judicio à sponsalibus discedendi allegari & probari possit, sive ea desit eminent sequentes: eruditissimus D'AVEZAN *a*) J. ANDREAS *b*) BARBOSA *c*) BÖCKHN *d*) BERNARDUS BOTTONUS *e*) J. CAPONIUS *f*) CUJACIUS *g*) FERMOSINUS *h*) EMMANUEL GONZALEZ *i*) HERMANNUS *k*) HOSTIENSIS *l*) KUGLER *m*) KÖNIG *n*) LANCELLOTT. *o*) MAYER *p*) PANORMITANUS *q*) PIRRHING *r*) SANCHETZ *s*) SCHAMBOGEN *t*) SCHMIDT Heidelberg *u*) WEX *w*) WAGNERECK *x*) ZOESIUS *y*) atque his accedit Rituale seu AGENDA *Ecclesiæ Metensis z*) quibus accinunt quoque Civilistæ veteres omnes, atque plures alii recentiores. *aa*)

a) In Univ. Paris. Jurium Antecessor, *Dissert. speciali de spons. & matr.* quæ excusa extat in MEERMANNI *thes. nov. Jur. civ. can. MDCCLII. Tom.* 4. *p.* 317 — *b*) *Ad c.* 29. *de spons.* — *c*) *Ad idem c.* 29. — *d*) *Comment. ad Jus can. u. L. IV. tit. I. n.* 18. *& seqq.* — *e*) *In suis Casibus longis super* 5. *libros decret. c.* 29. *de spons.* — *f*) *Jurisconsultus Neapol. instit. Can. L. II. tit.* 9. *pag.* 334. — *g*) *Ad cit. c. de spons.* — *h*) *Ad c.* 28. *de jurejur. q.* 14. *n.* 19. — *i*) *Comment. perpet. ad c.* 29. *cit.* — *k*) *In concordantia juris tam Just. quam Canon. ed. Jenæ* 1750. *v. pœna & v. sponsalia.* — *l*) *Ad c.* 29. *cit.* — *m*) *Tract. can. de matrimonio c.* 1. *q.* 3. *p.* 13. *seqq.* — *n*) *Ad tit. de donat. inter virum & uxorem n.* 11. *o*) *Instit. J. C. tit. de spons.* — *p*) *Lib.* 4. *tit.* 1. *n.* 130. — *q*) *Ad c.* 29. *cit.* — *r*) *L.* 4. *tit.* 1. *n.* 23. — *s*) *De matrim. l.* 1. *d.* 36. — *t*) *In suis Dissert. Jur. eccles. diss.* 92. — *u*) *Instit. Jur. eccles. T.* 2. *de spons.* — *w*) *Ariadne canonica p.* 5. *tract.* 2. *de spons. & matrim. controv.* 2. — *x*) *Ad c. gemma* 29. *de spons.* — *y*) *Lib.* 4. *tit.* 2. *n.* 82. *& ad ff. lib.* 23.

tit. 1.

tit. 1. *n.* 10. — z) *Sub tit. de ſponſ. & matr.* — aa) Conf. præ omnibus aliis GONZALEZ *l. cit.* & SALICETUS *ad c. de ſponſ. l. 5. ubi plurimi ab iis adſeruntur.*

§. XVI.

Præfertur Sententia negativa & probatur.

Quodſi ipſam Matrimonii naturam & ſubſtantiam, ſi ipſam Eccleſiæ antiquæ imo & hodiernæ diſciplinam, qua coactiones immoderatæ ad Matrimonium ineundum reprobantur, ſi demum leges expreſſas atque fundatam in iis Eccleſiæ romanæ praxin, & potiſſimum ſi Morem quarundam Diœceſium, ubi ſponſalia clandeſtina adhuc ſuſtinentur in utroque foro, quod ſi hæc omnia attentius conſideremus, nihil nos impedire potuit, quo minus ſententiæ negativæ (§. præced.) noſtrum etiam calculum adderemus; atque ut ab ipſa contractus matrimonialis natura ordiamur, ea talis eſt, ut ſecundum omnes Juris naturalis interpretes, *qua individuam vitæ Societatem inducit* a) *debeat eſſe liberrimus*; quare etiam ſacræ leges omnem coactionem immoderatam abeſſe à contractu matrimoniali voluerunt, b) atque notanter pro præſenti quæſtionis ſtatu colligitur diſciplina Eccleſiæ antiquæ apud Gratianum c) ubi dicitur, *quorum unum futurum eſt corpus unus debet eſſe & animus*, *atque ideo nulla eſt invita copulanda alicui*; — Siquis vero à ſponſa ſua averſus juſtam coram Judice diſcedendi cauſam probare nequeat, atque permiſſa & juſta eſſet pœna ſponſalibus adjecta, ut vel ad Matrimonium vel ad pœnam obligetur, ubi erit plena illa & perfectiſſima libertas ex natura ſtatus matrimonialis requiſita?

a) Inde eſt, quod contractui matrimoniali ex ſui natura ſingularia prorſus privilegia præ aliis contractibus attribui neceſſe ſit: e. c. quòd conſenſus in Matrimonium metu datus nullus ſit, ſecus ac in aliis contractibus, quia hi reſciſſioni ſunt obnoxii, Matrimonium non item, quod Sacramentum eſt, adeoque ex natura indiſſolubile vid. *c.* 14. & 15. *de ſponſ.* pariter de ſtatu matrimoniali propter ejus perfectiſſimam in contrahendo libertatem ſtatutum legimus, procuratorem ad contrahendum conſtitutum etiam ignorantem revocatum, nihil agere *c. ult. de proc. in 6.* quare hoc non item de aliis contractibus ſtatuunt Legislatores? alia ſane ratio reddi nequit, niſi quia id omnino exegiſſe naturam contractus matrimonialis, non vero aliorum contractuum viſum fuit, quare itaque pariter aſſeramus, adjectionem pœnæ obſtare perfectiſſimæ libertati Matrimonii, etiam in eo caſu ubi juſta reſiliendi

cauſa

causa non subest, quid enim si justa causa subsit conscientiæ discedentis, hæc vero Judici probari nequeat? si adjici pœna sponsalibus possit, Judex imploratus eo casu, aut jubebit Matrimonium aut pœnam: neque enim Judex in contentiosis credere tenetur alleganti, uti Confessarius: qui in hoc casu Matrimonium manebit liberrimum? ipsi adversarii (§. XIV.) in confesso sunt, pœnam à resiliente ex justa causa, quæ probari potest judici, solvendam, evertere libertatem Statûs matrimonialis; dicant igitur similiter everti libertatem statûs, si justa causa judici probari nequit, ea tamen lateat in conscientia *renitentis & aversi*, atque metu pœnæ adpositæ ob defectum probationis *aversus* & *invitus* cogatur Matrimonium celebrare, quod fusius deducit GONZALEZ *ad c.* 14. *de spons.* de eo adhuc infra §. XXX.

b) *C.* 17. *de spons.* quando nempe prævidet Judex matrimonium habiturum exitus difficiles, uti ipse Cl. de RIEGGER l. supra cit. fatetur; quis autem quæso! hic divinator inspiciens futura judici existet, ut præsagiat malum matrimonii coacti eventum! nonne hi exitus difficiles eo ipso prævidentur & prævideri debent, *si aversus & invitus reluctetur*? ad saniora igitur reversus est GOBAT (qui alias adjectionem pœnæ probat) *tract X de obligat. & officiis sponsalium casu IV. p.* 406. ubi docet: *neque Judicem hoc casu ad pœnam conventam invitum condemnare posse*, si timeantur infausti matrimoniorum exitus, neque ad compensationem aut interesse temporale, quia omnis coactio hoc casu prohibetur; nonne vero semper hi exitus difficiles timeri debent inter *aversos* & *invitos*? ergo adjectionem pœnæ repugnare matrimonii libertati merito adfirmatur; vide infra §. XXXI.

c) *Caus. XXXI. q. II. c.* 1. *&* 3.

§. XVII.
Arg. 1. *ex c.* 29. *de Spons. desumptum.*

Non itaque mirum est, *si in c.* 29. *de spons.* à Papa GREGORIO IX. solemni decisione omnem pœnæ interpositionem ex privatis partium placitis faciendam legamus penitus improbatam; integrum vero Capituli textum, quia non leve nostræ sententiæ fundamentum constituit, huc transcribere placuit, & quidem prout extat in novissima collectione Justi Henningii Bohmeri.

Cap. XXIX.

SUMMARIUM: *in Matrimoniis & Sponsalibus debet esse libertas, unde in eis promissio pœnæ non obligat*

GREGORIUS IX. (an. 1235.)

Gemma mulier nobis exposuit, quod, cum T. Filia ejus, cum. C. contraxit Matrimonium, B. de Alferio ea occasione, quod inter P. Filium suum & prædictam puellam intra septennium constitutos, Sponsalia contracta fuerunt pœnam solvendam à parte, quæ contraveniret, in stipulatione appositam ab ipsa nititur extorquere. CUM ITAQUE LIBERA MATRIMONIA ESSE DEBEANT, ET IDEO TALIS STIPULATIO PROPTER PŒNÆ INTERPOSITIONEM SIT MERITO IMPROBANDA MANDAMUS, QUATENUS SI ITA EST EUNDEM B. UT AB EXTORSIONE PRÆDICTÆ PŒNÆ DESISTAT, ECCLESIASTICA CENSURA COMPELLAS:

Notavit hic Cujacius in principio textus legendum tantum esse G. uti in Codice Gallicano legi ipse testatur, præcipue cum *Gemma* ut proprium nomen Fœminæ non habeatur.

§. XVIII.

Dubia contra hoc Cap. remissivè.

Ex hac allata decisione Gregoriana manifesto sequitur, 1) quod omnino libera esse debeant matrimonia, 2) quod huic libertati obstet pœnæ conventionalis adpositio, 3) si rupta sint sponsalia quacunque de causa (neque enim Papa in parte NB. *decisiva* ullius resiliendi causæ mentionem facit) partem desertam etiam sub pœnis ecclesiasticis compellendam esse ab extorsione pœnæ stipulatæ ut desistat, novimus equidem adversarios nostros variis responsis huic decisioni ire obviam, v. g. decisionem intelligendam tantum esse de sponsalibus infantum, aut impuberum, aut eidem per Conc. Trid. aut ut alii volunt moribus esse derogatum &c. verum de his uberior in §.§. XXIV. XXV. & XXVI. sermo erit.

§. XIX.

Arg. 2. ex Jure civili.

Quodsi in Juris civilis placita inquiramus, disertis verbis, tum Jure digestorum, tum Jure codicis adpositionem pœnæ in contractu sponsalitio penitus reprobatam intelligemus, etenim PAULUS JC. in l. 19. ff. de v. o. ait: *si stipulatio facta fuerit*, si culpa tua divortium factum fuerit, dari? *nulla stipulatio est*, quia contenti esse debemus, pœnis legum comprehensis; *a*) porro idem PAULUS l. 134. de v. o. inquit: *quia inhonestum*

visum

visum est, vinculo pœnæ matrimonia obstringi, unde *stipulationem pœnæ non secundum bonos mores interpositam* pronuntiat; *b*) his omnino consonum est, quod *in l. 2. c. de inut. stipul.* ALEXANDRO Imp. placuit: *libera esse matrimonia antiquitus placuit: ideoque pacta, ne liceret divertere, non valere, & stipulationes, quibus pœnæ irrogarentur ei, qui, quæve divortium fecisset, ratas non haberi constat*; denuo rem omnem conficit, quod *l. 5. c. de spons.* per Impp. LEONEM & ANTHEMIUM sancitum legimus: *extra definitionem autem hujus legis, si cautio pœnam stipulationis continens interposita, ex utraque parte nullas vires habebit, cum in contrahendis nuptiis libera potestas esse debeat.*

a) Ad hanc legem notat HERMANNUS in concordantia Juris. Jenæ edit. 1750. *pœnam conventionalem non posse imponi actui, qui debet pendere à libero nostro arbitrio, sed debemus esse contenti pœnis legalibus*; quis vero actus magis liberum requirit arbitrium, quam matrimonialis?

b) Videantur dicta supra §. III.

§. XX.

CONTINUATIO.

Ratio vero ita statuendi erat duplex; *prima* quod, si etiam post sponsalia injuste quemquam pœniteat, licet omnia opportuna media adhibenda sint, quibus talis ad fidem servandam adducatur, non tamen extremè cogi debeat, quando ex maxima renitentia pernitiosi timentur exitus, utpote quo casu, etiam Judex ecclesiasticus à Censuris abstinere debet, igitur ne quisquam ex immodicis pœnalibus stipulationibus, quas forte nimia facilitate, uti ex æstu amoris facile contingit, in sponsalibus admisit, extremam subeat necessitatem, aut ineundi matrimonium aut decidendi ad inopiam, meta & limites positi sunt iisdem stipulationibus, ut præter eam, quæ legibus permissa foret, alia nulla valeret;— *altera* autem ratio est ista, quod voluerint à contractu sponsalium & matrimonio, tanquam negotio summæ amicitiæ, quod per benevolentiam & amorem conciliari oportet, pœnæ nomen omnino alienum esse.

§. XXI.

Hæ leges civiles non sunt immutatæ imo receptæ J. Can.

Aperta hâc Juris civilis dispositione permotus Cl. BÖCKHN *a*) inquit: cum constitutio Juris civilis hic æqua appareat, non videtur in hac Materia esse respuenda, quia Jus canonicum, licet nullo speciali & expresso textu, suffra-

ſuffragetur, nihilominus neque contrarium definivit, ut adeo locus eſſe poſſit regulæ generali, quæ habetur in *c.* 1. *de n. o. n.* quodſi aliquid uno Jure cautum, & alterum ſaltim non contradicat, utroque obtinere debeat, verum quanquam hæc ipſa ratio ſufficiat, nihilominus tamen non ſolum Jure noſtro eccleſiaſtico leges iſtæ civiles non ſunt immutatæ, ſed potius expreſſe & ſpecialiter receptæ ac approbatæ, videlicet in c. 29. (§. XVII.) allato: ubi Papa interpoſitionem pœnæ reprobat ex hac cauſa, *cum libera Matrimonia eſſe debeant*, nonne hæc eſt ipſa ratio L. L. civ. cit. comprehenſa, quæ Imperatores commovit ad pœnam conventionalem improbandam? *a)* Vid. §. XIX.

a) Quare recte docet GONZALEZ ad c. 29. cit. n. 4. *diſpoſitionem Juris civilis noſtro Jure ſacro diſerte fuiſſe receptam.*

§. XXII.

Arg. 3. deſumptum ex deciſionibus S. Rotæ romanæ.

Quanquam & nobis certum ſit, etiam iteratas ac uniformes S. rom. Rotæ deciſiones Jus conſtitutionis pro tota Eccleſia non facere *a)* id tamen prætendimus ab adverſariis, ut ſi quæſtio ſit ſuper ſtatus matrimonialis, quia Sacramentum eſt, libertate, ſi verſemur in negotio, ubi non agitur de intereſſe cujusdam nationis, ſi in ea controverſia hæreamus, quis ſit verus papalis conſtitutionis intellectus, uniformes S. R. Rotæ deciſiones aliis tribunalibus inferioribus exteris normam præbeant, qua ratione in enata controverſia rectius pronuntient, ne ſi in appellatorio eo devolvantur, ſuas ſententias merito reformandas experiri debeant, ecquæ verò mens eſt horum Reverendiſſimorum Patrum? adpoſitionem pœnæ ſive à juſtè ſive ab injuſtè reſiliente ſolvendæ nullam & irritam ab iis pronunciari conteſtantur eorum deciſiones plurimæ *in recentior: parte 2. deciſ. 377. n. 4. Tom. 2. dec. 493. n. 33. part. 10. dec. 93. n. 11. part. 15. dec. 142. n. 67. & 8. & coram* BENINCASA *in ejusdem deciſionibus dec. 66. n. 1. & dec. 191. n. 1. b)*

a) *Vid. Rdmus P.* RAUTENSTRAUCH in ſuis princip. J. E. G.

b) Adde Cl. BÖCKHN *l. cit. n.* 86.

§. XXIII.

Auth. Cl. BÖCKHN *hæc Sententia merito firmatur.*

Equidem authoritate interpretum nos hac in re niti nequaquam velle, ſupra §. XIV. ediximus, id tamen nobis licitum adhuc eſſe cupimus, ut virum illum glorioſum laudemus, qui, poſtquam à multis retro annis in ſuis

præ-

prælectionibus publicis ſententiam adfirmantem declamaverat, tandem opinioni inficianti victas ſe dediſſe manus, ſcriptis confitetur, atque is eſt laudatus antea Cl. BÖCKHN in univerſitate Salisburgenſi Procancellarius, atque Ss. Canonum Profeſſor emeritus, qui in commentario in Jus canonicum univ. Tom. 3. p. 20. ait: *num pœna poſſit conventione contrahentium ſponſalibus adjici, controverſum eſt* OMNI JURE ID AFFIRMANDUM ESSE ANTEHAC CENSUIMUS; *data ſolum iſta exceptione, quod non poſſit ea lege adjici, ut hæc ab eo quoque præſtanda ſit, qui juſtam habiturus eſt cauſam reſiliendi* DE RELIQUO JAM DICIMUS, *etiam injuſte reſilienti pœnam ſponſalibus adjici non poſſe. a)*

a) Vid. loc. cit. ubi & ſententiam negativam probat, quanquam tamen non in omnibus eidem conſentiamus.

§. XXIV.

Rejiciuntur variæ Sententiæ 1) *Cl. de* RIEGGER.

Reſtat nunc, ut varia diverſorum JCtorum placita diſpiciamus, atque primo quidem ait Cl. JOS. DE RIEGGER, *ex c. 29. cit. ſolidum argumentum peti non poſſe, cum ibi de ſponſalibus infantis aliunde nullis, ſermo ſit*; præterquam quod vir iſte laudatus nihil novi dixerit, cum hæc communis ſit eorum ad textum adlatum reſponſio, qui pœnæ adpoſitionem adfirmant; veruntamen ea facile corruet, ſi *generalia eſſe verba, in parte NB. deciſiva conſideremus*; non enim de ſponſalibus invalidis, non de injuſte reſiliente pars deciſiva loquitur, ſed generatim de omnibus ſponſalibus de quocunque caſu *a)* nec obeſt in parte narrativa quæſtionem eſſe de ſponſalibus infra ſeptennium conſtitutis, neque enim parti narrativæ, aliquid authoritatis ineſſe vel Tironibus notum eſt, quinimo nequidem prudenter aſſeri poteſt, Papam verba ſua intelligenda voluiſſe de ſponſalibus infantum, hæc enim de ſe nulla, adpoſitionem pœnæ neutiquam patiuntur; neque opus fuiſſet Legislatori Canonico verba legis civilis, quibus generaliter ſtipulatio pœnæ improbatur, ſua facere, *cum libera poteſtas eſſe debeat*, ſed ſatis fuiſſet, ſi ſponſalia fuiſſe nulla pronuntiaſſet, adeoque ex hoc capite adpoſitionem pœnæ fuiſſe nullam; porro non de ſponſalibus infantum, ſed de omnibus textum intelligendum eſſe notat ſummarium ejuſdem cap. *in Matrimoniis & Sponſalibus debet eſſe libertas, unde in eis promiſſio pœnæ non obligat*; dices forſan: ſummarium non conſonare cum textu, qui de ſponſalibus infantum loquitur; verum id ipſum in quæſtione eſt, cum itaque ſummarium omnino conveniat cum parte deciſiva, quæ ſola Jus facit, dicendum omnino eſt, Papam de omnibus ſponſalibus explicandum eſſe.

a) Succensuit merito Gratiano Cl. de RIEGGER l. cit. p. 98. quod is impedimentum criminis ad duos tantum casus restrinxisset, dum ait aliquando in Concilio Triburiensi an. 895. duo casus propositi fuere, unus de adulterio, cui junctum fuit Juramentum futurarum nuptiarum inter adulteros, alterum adulterium qualificatum fuit cum conjugicidio, horum criminum reis decrevit Synodus pœnitentiam injungendam, quæ omni spe conjugii eos excluderet, REPETITA GENERALI SANCTIONE: quia non licet, nec christianæ religioni oportet, ut nullus ea utatur in matrimonio, cum qua prius pollutus est adulterio; sed aliter Gratiano, pergit, antiquitatis ignaro placuit, qui non attendens *generalem Sanctionem* Synodi, eam ad casus propositos restrinxit; nonne & Cl. de RIEGGER id Jure merito succensendum erit, quod generalem Papæ Sanctionem ex lege civili desumptam in c. 29. ad casum substratum de infantibus restringat, de quibus nullum potuit esse dubium adeoque nulla necessaria decisio.

§. XXV.

2.) *Cl.* BÖHMERI & *Cl.* OBERHAUSER.

Non de sponsalibus infantum utpote invalidis, sed de sponsalibus impuberum validis intelligendam esse decisionem Papæ, docent Cl. Cl. BÖHMERUS *a*) & OBERHAUSER *b*) ne impuberum resiliendi generalis libertas, si ad annos pubertatis pervenerint, adpositione pœnæ coarctetur.— Hanc excogitatam & arbitrariam prorsus interpretationem textûs, imo textui ipsi adversantem dixerimus merito, cum textus in parte narrativa aperte dicat, filium & puellam *intra septennium constitutos* sponsalia contraxisse, quibus adposita fuisset pœna, qua ratione ergo ad sponsalia impuberum hæc decisio limitari potuit? non itaque miramur, quod hanc singularem textus interpretationem spernant ii ipsi, quos alias BÖHMERUS & OBERHAUSER sibi consentientes habent, id autem prorsus singulare & intolerabile videtur, quod præterea inde concludit cit. Böhmerus videlicet pœnam quoque adponi posse solvendam ab eo qui JUSTAM alias resiliendi CAUSAM habet, verum, cum ipsi Authores adversantes supra §. XIV. citati hanc exorbitantem doctrinam pridem refutando nobis fecerint otium, eadem supersedemus.

a) *Ad cap. 29. de spons. in suo C. J.*
b) *Prælect. can. lib. 4. T. I.*

§. XXVI.

§. XXVI.

3.) *Cl.* Rupprecht.

Equidem C. 29. cit. generaliter loqui de omnibus sponsalibus ingenue fatetur adversarius noster eruditus alias Cl. Rupprecht *a*) ut nihilominus decisionem Papæ declinaret, inquit eidem Cap. per Constitutiones posteriores esse derogatum, videlicet per *C.* 12. *de adult. & S. Conc. Trid. Sess.* 25. *C.* 3. Hoc effugium nihil penitus juvat authorem cit. id quod facile advertere potuisset & debuisset, si modo his legibus posterioribus non de pœna conventionali de qua loquitur C 29. cit. sed de pœna judiciaria sermonem esse attendisset, neque opus est hoc demonstrare, siquidem id manifesto primo intuitu ex iisdem appareat; qui ergo antinomia atque connectio ac derogatio habebit locum? nonne diversissima longè sunt pœna conventionalis, quæ ipsas partes privatas authores habet, & pœna judiciaria, quæ ab Ecclesia ipsa statuta & permissa est, conventionali ècontra improbata? hæc itaque responsio omnium minime admitti potest.

a) *In not. hist. L. IV. p.* 90.

§. XXVII.

4.) *Refutatur opinio Cl.* Zech.

Eandem considerationem meretur id, quod hac in re docet Zech Professor Jurium Ingolstadiensis *a*) dum ait: legibus expressis, quibus pœna conventionalis improbatur, moribus & consuetudine esse derogatum; quæritur: aut ratio Impp. & Pontificis à libertate statûs matrimonialis desumpta & quod matrimonia non pœnis sed & amore sint concilianda, aut ratio hæc valida & efficax existit pro improbanda pœna conventionali? & consuetudo contra eam non prævalebit, aut nulla est & inefficax? qua ratione legislatores movere potuit, ut lege publica interpositionem pœnæ bonis moribus adversam dicerent & prohiberent? audiamus quid de his moribus pronuntiet Cl. d'Avezan *b*) *id visum est*, ait: *moribus civitatis*, *quibus inconstantius aut mutabilius nihil*, *licitum*, *quod inhonestum esse ajunt leges*, *nimirum pœnæ vinculo sponsalia obstringi posse*, QUOD ALIENUM EST BONIS MORIBUS CIVITATIS BENE CONSTITUTÆ; ecce Judicium tanti viri de moribus & consuetudine contraria nostræ sententiæ; — denique notum satis est, attendendum esse, non, quid fiat, sed quid fieri debere, leges dicant.

a) *De Jure rerum eccles. Sect. II. Tit. de spons.*

b) *In Dissert. de spons. excusa apud* Meermannum *Th. nov. J. can. & civ. pag.* 321.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Dubium ex novella Leonis removetur.

At verba Constitutionis LEONIS Imp. manifesta esse clamitant: quibus ea consuetudo ac mores populi, de conventionali pœna sponsalibus adponenda, firmantur, atque in legem deducuntur (§. V.) miramur sanè à quibusdam adversariis nostris adeo laudari hac in controversia Authoritatem novellæ Leoninæ, cum tamen iis, qui vix prima Juris romani gustàrunt elementa, notum sit, eam novellis his novitiis authoritatem non inesse, quæ iis attribuitur, demonstrante id erudite Cl. CUJACIO *a*) hâc de causa neque Cl. BÖHMERO, qui ad *C. 29. de spons.* sententiam contrariam propugnat, neque Cl. de RIEGGER utut sententiæ contrariæ Patrono incidit, ut ad novellam hanc provocarent, nempe quia nullam illi inesse authoritatem publicam crederent: deinde sinamus ita à Leone fuisse constitutum, anne hujus Legi potius deferendum, quam tot Impp. Constitutionibus & JCtorum placitis, qui pridem uno ore omnes pœnas conventionales justissimis de causis improbabant? quas leges GREGORIUS IX., non autem novellam Leonis recepit & approbavit. *b*)

a) *L.* I. *obs.* 3. — *b*) Vide KUGLER *Tract. can. de Matrim. T.* I. *p.* 13. ubi de hoc dubio fusius discurrit. Vid. ZEPERNICK *conjecturæ quibus ex causis novellæ Leonis sapientis in germania receptæ dici nequeant.* Ed. Halæ, 1779.

§. XXIX.

Satisfit dubio de arrhis.

Ulterius sententiæ suæ vim ac fundamentum adversarii quærunt in eo, quod arrha ad quadruplum usque aucta sponsalibus adjici queat, quare ergo non pœna? unde Cl. de RIEGGER ait: *qui longè aliam rationem arrbæ atque pœnæ esse tradunt, bi in vocabulis malitiam quærunt.* — Itane in vocabulis malitiam posuisse, tot Imperatores & JCti dicendi sunt, dum arrhas ad quadruplum usque auctas approbarunt, pœnam autem conventionalem improbarunt? nonne & nos Jure ut omnino diversa considerabimus, quæ per leges ipsas penitus discreta legimus? arrha videlicet legibus permissa, pœna autem iisdem prohibita? præsertim cum diversissima utriusque sit ratio: arrhæ quantitatem legibus determinatam reperimus, non ita quantitatem pœnæ, jam vero sponsi in æstu amoris constituti, se nunquam recessuros aut pœnitudine tangendos esse putant, unde non raro montes aureos, vitam & sanguinem pro data fide interponunt; quid si sponsalibus contractis alteruter justam causam in conscientia NB resiliendi habeat (quod autem reluctans eam in foro poli non habeat, unde hoc advertet Judex?) eam

autem aut non probare aut difficulter possit Judici, nonne illaqueatus erit, ut vel reluctans ducat, vel exsolvat pœnam utut gravem? sane tunc nimium coarctaretur libertas Matrimonii sacramentalis; non autem solutione arrhæ utpote legibus determinatæ, atque arrha minoris semper quantitatis & pretii quam pœna existit, deinde notum est arrham dari ut pignus ad confirmandum Matrimonium, & ut veritas contractûs evidentius probari queat, pœna autem adjicitur ad vindictam non impletæ promissionis. *b*)

a) L. L. civ. sæpe allegatis. — *b*) Vide GONZALEZ & SCHAMBOGEN *l. sup.* §. *XV. cit.*

§. XXX.

Respondetur ad Argumentum desumptum ex aliis contractibus.

Quare ex his etiam patet, quid respondendum sit ad eam Juris analogiam, quam inter sponsalia & alios contractus intercedere adferunt: etenim quare sponsalibus & matrimoniis præ cæteris contractibus tot favores & privilegia concessa existunt? (§. XVI.) ex nulla alia causa, quam quod contractus matrimonialis utpote sacramentalis & indissolubilis etiam liberrimus esse debeat; porro an tanta incommoda ex coacta emptione & venditione metu pœnæ conventionalis oriuntur, quàm coactis matrimoniis? sane qui contrarium tuentur, neque dignitatem & libertatem status matrimonialis, neque periculum agentium satis considerant; hæc motiva erant, cur LLatores tum civilis tum canonicus pœnam sponsalibus adjici vetuerint, aliis contractibus eam indulgentes — en rationem omnino disparem!

§. XXXI.

Removetur dubium de pœna judiciaria.

Quod autem alii interpretes vehementer urgent, est quod coactio pœnalis judiciaria non obstet libertati statûs matrimonialis, ergo neque metus pœnæ conventionalis; — quanquam hoc dubium ex dictis §§. XI. XII. & XVI. satis corruat, attendendum tamen præterea adhuc venit, legibus expressis id permissum est judici, ut tentare possit coactionibus moderatis sponsi aut sponsæ renitentiam; quod si vero coactiones difficilem habituras sint exitum, uti testante ipso Pontifice frequenter habere solent, monendos potius esse, quam cogendos ob libertatem status *ex c.* 17. *de spons. & mat.* recte docet Cl. de RIEGGER *a*) ast pœnam conventionalem non tantum non permissam, sed diserte reprobatam esse, L. L. sæpe citatæ testes sunt; argumentum vero ex analogia desumptum sanis interpretandi regulis repugnare

nemo non videt, *quando lex unum expressè permittit*, *alterum expresse reprobat.*

a) L. cit. p. 16. cui hac in re adversarii fere omnes consentiunt. Adde VAN ESPEN *J. E. U. T. de sponſ.* ubi in Gallia receptum esse testatur; si sponsus absolute recuset, imponendam ei esse pœnitentiam aut erogationem eleemosynæ propter fidem violatam, non autem absolute cogendum.

§. XXXII.

Sententia negativa vel maxime tenenda in Archidiœcesi Colon. & aliis ubi vigent ſponſalia clandeſtina & quare.

Quodsi argumenta adversariorum quidpiam urgerent (quod tamen constanter diffitemur) nihilominus de sponsalibus clandestine initis, si loquamur, nullius prorsus roboris existunt; quanquam enim in Archidiœcesi nostra sponsalia clandestina pro utroque foro adhuc valeant, nemini tamen ignotum esse potest, quæ sententia Reverendissimorum Archiep. Colon. pridem fuerit de his sponsalibus clandestinis: SIFRIDUS Archiep Sæc. XIII. sponsalia clandestina sub pœna excommunicationis prohibuit, *a*) dum ait: *prohibeant frequenter Sacerdotes omnibus ſubditis ſuis ſub pœna excommunicationis, ne fidem ſibi dent mutuò clandeſtinè & in occultò ſuper matrimonio contrahendo ſed publicè coram Presbytero & pluribus hoc fiat: ſi aliter fidem dederint de contrahendo ipſi (quos in his ſcriptis excommunicamus) denuntientur excommunicati.* Maximilianus Henricus in Statutis suis antiquis *b*) quia per sponsalia clandestina in mala sæpe inextricabilia & infinitas laberentur difficultates sponsi, ordinavit, *ut ſponſalia majore cum deliberatione & Judicio celebrentur, ut coram proprio alterutrius contrahentium Parocho ſeu Vice-Parocho & duobus teſtibus contrahantur ... ſub pœna trium Florenorum aureorum Rhenenſium.*

a) Cod. Stat. Col. antiquo p. 44.— *b*) Tit. XI. de matr.

§. XXXIII.

CONTINUATIO.

Neque aliud judicium plurimorum in Germania Archi- & Episcoporum de hisce sponsalibus clandestinis extat, unde in plerisque Diœcesibus nulla ex iisdem amplius actio conceditur, uti *pro Diœceſi Pragenſi* Cl. RUPPRECHT *a*) pro *Fuldenſi* Wolf. SCHMID *b*) pro *Conſtantienſi & Lauſanenſi* P. GOBAT *c*) testantur, sic etiam in Archidiœcesi Moguntina annullata existunt pro foro externo, ita ut paucissimæ hodie Diœceses extra Italiam supersint,

in

in quibus ex ſponſalibus clandeſtinis in Tribunalibus actio admittatur, quin imo habemus ipſum magnum BENEDICTUM XIV. teſtem, qui INST. 46. *conſtitutiones contra ſponſalia clandeſtina juſtas ac ſanctas eſſe*, ait: *atque ad graves eliminandos abuſus quodammodo neceſſarias.*

a) *L. IV. T.* 1. *p.* 99. ubi legem Guſtavi Mauritii Archiep. Prag. refert.— *b*) *Inſtit. J. E. L. III. p.* 149. adducens legem Fuldæ editam 1730.— *c*) *Tom.* 1. *P. II. p.* 366.— ubi refert decretum Epiſcopi Lauſanenſis de an. 1673.— ubi notanda ſunt verba initialia, *conformiter ad mentem Concilii Tridentini ſponſalia clandeſtina nulla declaramus* — & *p.* 370. addit conſtit. Synodalem Conſtantienſem.

§. XXXIV.

CONTINUATIO.

In ipſa adeo Archidiœceſi TREVIRENSI an. 1757. ita annullata eſſe novimus ſponſalia clandeſtina, ut nequidem in foro poli pariant effectum, etſi jurata ſint, qualiter in Archidiœceſi quoque SALISBURGENSI irrita ſunt, ſane non alia de cauſa, quam ad præcavendas varias fraudes, dolos, non raro etiam perjuria, circumventiones, aliaque tam ipſarum partium ad depauperationem usque litigantium, quam aliorum incommoda, ac optimorum ſæpe parentum triſtitiam & tædia, quæ occaſione ſponſaliorum clandeſtinorum nimis ſæpe eveniunt, *a*) ex quibus tandem patet, quod non ſit opus diſputare, an Epiſcopus ſuæ Diœceſi queat ferre legem omnino irritantem ſponſalia clandeſtina? *b*)

a) Ita ſonat decretum Archiep. Prag. ſupra cit.— *b*) Vid. P. Wolf, SCHMID Ord. S. Franc. Recoll. *l. c.* ubi id ſolide oſtendit.

§. XXXV.

CONTINUATIO.

His præmiſſis ad noſtrum quæſtionis redeamus ſtatum, & *an ſaltem valeat pœna conventionalis* SPONSALIBUS CLANDESTINIS *adpoſita*? videamus: quod ſi in ipſa Archidiœceſi noſtra, ſponſalia clandeſtina tam graviter fuerint & ſint prohibita, ſi in plurimis Diœceſibus nequidem actione digna exiſtimentur, imo reſpectivè pro foro poli annullata exiſtant, ſi demum ipſe BENEDICTUS XIV. leges contra illa velit eſſe juſtas & ſanctas, qua ratione, quæſo! pœna conventionalis iisdem valida adhuc adponi poterit? cum ordinata particularia, omnia evidenter ſupponant ſponſalia clandeſtina ſæpiſſimè inconſultò fieri & graviſſimorum malorum cauſam eſſe *a*) anne hæc adhuc digna ſunt, ut eorum fides pœna conventionali muniatur?

a) Quemadmodum loquitur LLator Fuldensis in decreto sup. cit., da wir nicht ohne sonderbares Mißfallen vernehmen müßen, daß zeithero verschiedentliche durch heimliche Winkel-Ehe-Versprechungen sich zusammen verlobt haben, wodurch der höchste Gott beleidiget, die Elteren betrübet, das gemeine Wesen geärgert, und denen also Verlobten selbst Schand und Spott über den Hals gewelzet worden ꝛc.

§. XXXVI.

Transitus ad interesse an præstandum & quale?

Huc usque de pœna conventionali: quæstio nunc est, an si pœna contractui sponsalitio adposita non fuerit, an saltem fide pactionis ruptæ per fidem consensus, sponsus juste condemnetur ad id, quanti interest eundem, parti desertæ non nupsisse? præprimis autem obiter notamus, quod in præsentiarum, omissis aliis divisionibus, nobis *interesse* duplex sit: *extrinsecum*, & *intrinsecum*. *a*) *Extrinsecum* constituunt omnes intuitu sponsalium facti sumptus & expensæ. *Intrinsecum* ècontra in ipsa persona jactura versatur, atque hoc laudant, dum clamant: mea interest te accepisse in maritum, jam debebo manere inupta, aut non nubam æquè diviti, aut potuissem nubere ditiori &c. Nullum autem dubium existit, quod desertor obligetur sponsæ desertæ ad præstandum *interesse extrinsecum*, quæstio igitur solùm est de *interesse intrinseco*.

a) Vid. à Beyma *Diss. de eo quod interest*.

§. XXXVII.

Variæ Sententiæ adferuntur.

Quoad interesse intrinsecum variæ denuo sunt interpretum opiniones: ii ferè omnes, qui contractui sponsalitio pœnam adponi posse, adfirmant, etiam docent, agi posse ad id, quanti interest, si pœna adposita non fuerit *a*) quemadmodum etiam Authores illi *b*) qui pœnam à sponsalibus rejiciunt, facultatem agendi ad id quanti interest omnino denegant, solus Gonzalez cum quibusdam paucis à se allegatis, utut pœnam in sponsalibus conventionalem respuat, nihilominus hic ab initio videtur dubius *c*) qui, nulla arrha in sponsalibus constituta & matrimonio non secuto inquit, agi posse ad id quod interest, vel quia in aliquod damnum incidit, vel lucrum amisit, qui tamen mox se magis explicat, id intelligens de interesse extrinseco: pone: impensas aliquas fecisse sponsum vel sponsam.

a) Vid. supra §. XIV.— *b*) Vide §. XV.— *c*) *Ad c. 29. de sponf. n. 5.*

§. XXXVIII.

§. XXXVIII.

Sententia negativa præfertur.

Quo Jure nos pœnam adjici sponsalibus posse negavimus, eodem pariter inficiamur, agi posse ad præstandum interesse intrinsecum; — Etenim stipulatio, quæ *quanti interest*, promissionem admittit, pœnam quoque recipit, definiente *leg. ult. ff. de præt. stipul.* quod si igitur verum sit, uti sane verissimum est, quod à contractu sponsalitio omnis pœna conventionalis abesse debeat, etiam *promissio quanti interest* (intellige interesse intrinsecum) merito rejicitur; quare hac ratione ductus erud. D'AVEZAN *a*) ait: ex legibus & moribus populi romani Jure canonico quoque approbatis, neque in id, quod interest, agi potest, neque ex stipulatione pœnali pœna adposita peti potest matrimonio non secuto.

a) Diss. supra *cit. de spons. & matrim.*

§. XXXIX.

Et probatur.

Dein intrinsecum interesse consistit in *jactura personæ sponsi*, quam deserta per fidem ruptam amisit, sed quis non videt personam ipsam prorsus inæstimabilem esse, atque præstita etiam qualicunque summa pecuniaria irreparabilem; unde eadem de ratione in casu mutilationis, quia membrum perditum est inæstimabile, atque irreparabile qualicunque etiam pretio, ideo interesse intrinsecum eo in casu non venit præstandum, unde etiam, imo potiori Jure ad interesse intrinsecum desertor non obligatur, quod nequidem determinari potest.

§. XL.

CONTINUATIO.

Quod eo certius esse videtur, quia Concilium Provinciale nostrum Coloniense de an. 1536 *a*) monendos esse, præcipit, *illos qui matrimonium contrahere affectant, ne divitiarum aut opum nanciscendarum gratia matrimonium contrahatur, alias perperam agi & graviter peccari in tantum Sacramentum*, ex quibus verbis aperte satis liquet, non interesse temporale, non bona aut divitias à contrahere volentibus affectari posse, sed personam, qua ratione itaque deserta agere poterit ad interesse temporale intrinsecum? quod nullatenus intendi posse & debere ait Synodus Coloniensis, quomodo Judices ad interesse temporale præstandum partem desertam Jure condemnabunt? quare recte Curiam Constantiensem non admittere ejusmodi

modi querelas, testis est GOBAT *b*) neque aliam esse S. Nuntiaturæ praxin, testatur judicatum, quo inferioris cujusdam Consistorii sententiam ibi reformatam fuisse novimus.

a) Stat. Col. p. 385. — *b*) L. cit. p. 406.

§. XLI.

Removentur contraria.

Sed æquitati omnino convenire ajunt adversarii, quòd desertor teneatur parti desertæ ad *interesse intrinsecum*, *eo quòd deserta jam debebit manere innupta*, *aut potuisset nubere alteri ditiori*; *adeoque ipsius fortuna fuit impedita:* verum hæc omnia nihil evincunt; neque enim cum fundamento dici potest; quod fortuna fuerit impedita, nonne enim sæpissime infortunata fuerant matrimonia, quæ ab initio videbantur optima? numquid etiam dicit Apostolus: *melius est*, *si sic permaneant*? deinde turpissimum omnino est, si à contrahere volentibus interesse, aut bona temporalia affectentur (§. XL.) ergo interesse hoc intrinsecum neque probari, imo nequidem à sponsa intendi poterit.

§. XLII.

CONTINUATIO.

Verum adhuc aliud est, in quo præsidium quærunt adversarii: potest pars deserta instare apud Judicem, ut pœna etiam pecuniaria mulctet partem resilientem, quare ergo agere non poterit, ad id quanti interest? ita REIFFENSTUEL *a*) id facile largimur, si de Jure hodierno sermo sit, ast bene ponderanda sunt verba Conc. Trid. Sess. 25. c. 3. ubi decernit, *Judicem ecclesiasticum contra refractarios per mulctas pecuniarias procedere posse*, ast cui mulctæ istæ pecuniariæ ex mente Conc. Trid. applicandæ veniunt? non partibus sed NB. locis piis ibi in loco existentibus.

a) L. 4. t. 1. §. à n. 167. ad 175.

§. XLIII.

Dissertationis Conclusio.

Hæc sunt, quæ quantum nobis otium superfuit, de isto themate selecto specialiter delibanda esse visa sunt, aliâ autem de causa hæc nullatenus prolata sunt, quam pro vindicanda matrimoniorum libertate, ne coactio condemnando ad pœnam stipulatam, aut id quanti interest sponsos renitentes in mala inextricabilia & difficultates gravissimas præcipites agat, quam coactionem & natura contractus matrimonialis & L. L. expressæ disertis verbis reprobant.

VI. DIS-

VI.
DISSERTATIO JURIDICA
DE EO:
SI PARES ARBITRI FUERINT ADSUMPTI CUM CLAUSULA: UT IN CASU DISSENSUS TERTIUM ELIGANT:
QUID JURIS?

DEFENDENTIBUS D. BARTHOLOMÆO CRUMBACH, ET D. FERD. JOS. ARNDTS.

§. I.

Ne partes, quibus eſt litigium ſuper re dubia, teneantur ſemper ſubire graviſſimos litium ſumptus, moroſos judiciorum ſtrepitus, aliosque labores multos & onera ac tædia incertum litis eventum inter ſpem & metum diutiſſimè expectando, indulgetur iis, jure tum naturali *a*) gentium *b*) & poſitivo *c*) gratia judicii evitandi & facultas adeundi unum aut plures arbitros, mediante Compromiſſo, ſe ſubmittendo eorum arbitrio.

a) Videantur Juris naturalis Interpretes; & præprimis celeb. de MARTINI in Poſitionibus de L. N. Poſ. DXCVI. p. 176. atque ejusdem Diſſ. IV. de L. N.

b) Ceu plurimis exemplis oſtendit Hugo GROTIUS L. II. de J. B. & P. C. 23. §. 8. n. 1. 2. 3. & 4.

c) *Tot. Tit ff. & C. de Recept.* & X. *de arbitris.*

§. II.

Arbiter inde ex Compromiſſo conſtitutus, *Compromiſſarius* nuncupatur, ad differentiam ab arbitris *legalibus*, *neceſſariis*, *ex teſtamento aut contractu conſtitutis*, de quibus videantur Commentatores ad tit. de *recept.* & *de arbitris*; *a*) poteſt autem compromitti in unum aut plures, eosque vel pari aut impari numero; neque enim ullo juris textu neceſſitas imponitur, ut partes in impari ſemper numero arbitros compromittant; *b*) quamvis conſultum ſit in arbitros impari ſemper numero compromittere, ne res ferè ſinè exitu futura ſit. *c*)

a) Dif-

a) Differentias illas eruditè examinat Cl. NELLERUS, *in suâ Collectione Method. Ss. Can. & leg. de arbitris.*

b) Quod ex c. I. h. t. quidam eruere conantur cum SAMUELE de COCCEJIS in *Jur. civil. controv. L. 4. tit. 8. Q. 3.* nempe imparem numerum arbitrorum compromissariorum de jure canonico requiri, non subsistit; etenim de arbitris juris in eodem textu sermo est, atque potiùs textus vim consilii, quàm præcepti habet.

c) Monente JCto Ulpiano *l. 17. ff. h. tit.*

§. III.

Quoniam verò in arbitros *pari numero* compromittere non sit vetitum, atque arbitri pari numero constituti in unam facilè sententiam convenire nequeant, & finis litium, qui tamen scopus est arbitrii, ità difficulter posset obtineri; usitatissimum est, constituere *tertium* ortâ dissensione arbitrorum suâ sententiâ litem terminaturum — Tertium istum constitutum placuit vocari *superarbitrum*, vocabulo, *usu*, potissimùm autem moribus germanicis, recepto. *a*)

a) Inde in Diplomatibus apud KREMER akademische Beyträge zur Gülich und Bergischen Geschichten T. II. p. 156. ad an. 1366. Obmann, obmanschaftlicher Ausspruche ꝛc. & alibi passim.

§. IV.

Superarbiter iste vel ab ipsis partibus, vel earum nomine ab electis jam arbitris constitui poterit; atque tum *conventione expressâ* superarbitrum constitui intelligimus; quodsi verò in compromisso de assumendo superarbitro nihil actum fuerit, ipsis arbitris *in vim recepti* concessa facultas tacitè censetur illum constituendi; *a*) quod ipsum agnovit Prætor Romanus, arbitros numero pares in ferendâ sententia dissentientes, ad adsumendum superarbitrum cogens: *usitatum enim est*, ait ULPIANUS *b*) *etiam in duos compromitti, debet prætor cogere arbitros, si non consentiant, tertiam certam eligere personam, cujus authoritati pareatur*; Quinimo jure nostro canonico tacitam hanc in casu dissensus adsumendi superarbitrum facultatem *recepto* inesse apertè satis deciditur ab INNOCENTIO III. *c*) & GREGORIO IX. *d*)

a) Hanc enim facultatem *recepto tacitè* inesse, suadet æquitas, & finis compromissi, *ne res ferè sinè exitu futura sit.* — *b*) *L. 12. §. 6. ff. h. t.* — *c*) *C. 61. de appellat.* quodsi in unam nequeant concordare sententiam, advocent tertium, ut, quod duo ex his decreverint robur obtineat firmitatis. — *d*) *C. 39. de off. & pot. jud. deleg.*

§. V.

§. V.

Expressa superarbitrum constituendi facultas à litigantibus duplici modo arbitris pari numero concedi poterit: ut, vel in casu dissensûs, *tertium* adsumant *Sempronium*, vel ipsis, nullà nominatâ personâ, generatim facultas eligendi superarbitrum relinquatur; quodsi eâ lege in arbitros pari numero sit compromissum, ut in casu dissensûs tertium adsumant sempronium, ait ULPIANUS *a*) *valere compromissum*, quia in assumendo superarbitrum dissentire non possunt; tota igitur difficultas est, *si pares arbitri fuerint adsumpti cum clausula, ut in casu dissensûs tertiam in compromisso non expressam personam eligant*, an valeat tale compromissum?

a) *L.* 17. *cit.* §. 5. *fin.*

§. VI.

Extra dubium est, quodsi decisioni nostri Juris ecclesiastici sit inhærendum, tale Compromissum, de adsumenda persona incerta in casu dissensûs omni suo valore destitui; Etenim GREGORIUS IX. *c.* 12. *de arbitris* tale Compromissum non tenere, in terminis agnovit, dum ait: *cùm legali provisione sit statutum, ut Compromissum de incerta persona in arbitrum adsumenda non teneat*, atque propterea sententiam latam penitùs nullam esse declarandam mandavit, etsi duo arbitri in adsumendo superarbitro non dissenserint.— Dubium itaque, quod restat, est, *utrum reverâ, & ubi* LEGALI PROVISIONE, *compromissum ità formatum; nullum esse, sit statutum?* An Papa reipsa mentem legis civilis fuerit assecutus? atque super hoc in diversissimas Ss. Canonum & Legum interpretes abeunt sententias.

§. VII.

Legalis hæc provisio, in quâ se fundavit Pontifex, absque dubio residet in *l.* 17. §. 5. *de receptis* ubi ULPIANUS ait: SI IN DUOS FUERIT SIC COMPROMISSUM, UT, SI DISSENTIRENT, TERTIUM ADSUMANT, PUTO TALE COMPROMISSUM NON VALERE, *nam in adsumendo tertio possunt dissentire, sed si ità sit, ut eis tertius adsumeretur Sempronius, valet Compromissum, quoniam in adsumendo dissentire non possunt.*— Ad hanc Legem provocâsse Papam, ajunt omnes illi interpretes, quos nobis hâc de re videre licuit.— Emmanuel GONZALEZ *a*) ZECH *b*) OBERHAUSER *c*) BÖCKHN *d*) REIFFENSTUEL *e*) VALLENSIS *f*) Wolf. SCHMIDT *g*) ZOESIUS *h*) STRYCKIUS *i*) LAUTERBACH *k*) COCCEJUS *l*) BÖHMERUS *m*) quibus accedit quoque Cl. NELLERUS *n*) præter legem 17. citatam ait quidem ZOESIUS *o*)

eandem legalem provisionem reperiri in *l. 32. §. 16. ff. eod.* Verùm manifestò satìs liquet loco citato ne mentionem quidem fieri de Compromisso in duos, ut, si dissentirent, tertium adsumant, quare hàc lege examinanda ulteriùs supersedemus.

a) Comment. perpet. ad Decretales, ad c. 1. de arbitris n. 17. in fine.— *b*) De Jud. eccles. Sect. I. Tit. XI. §. 137.— *c*) Prælect. Can. ad Tit. de arb.— *d*) Commentar. ad Jus can. univ. h. t. n. 9.— *e*) Jur. can. univ. h. t. §. 2. n. 54.— *f*) In Paratit. Decret. L. I. h. t. §. 4. n. 2. & 3.— *g*) Instit. J. E. univ. L. IV. Tit. XI. §. V. lit. O.— *h*) Lib. 4. Tit. 8. n. 18.— *i*) Ad u. m. Pandect. h. t. §. 9.— *k*) Diss. de arb. Compromiss. §. 24.— *l*) Jur. civ. controv. h. t. q. 3.— *m*) Ad Pandect. L. 4. Tit. 8. §. 9.— *n*) *Collect. methód. cit.*— *o*) L. cit.

§. VIII.

Quodsi reverà dictà lege 17. §. 5. ea ULPIANI mens fuerit, ut, si ea forma Compromissum fieret, omni suo prorsus robore destitutum esse censeret, salva res esset, atque nullum prorsus superesset dubium, quin perfectam Cap. 12. h. t. cum jure civili concordiam, atque Pontificem JCti mentem fuisse assecutum, adfirmaremus; verùm aliam fuisse ULPIANI mentem notat Celeb. JCtus JUSTUS HENNINGIUS BÖHMERUS in Jure eccles. Protest. *a*) ubi ait: "Pontifex rationem JCti non perpendit, quæ hæc est: *quòd in* „*eligendo tertio possint dissentire*, quo facto Compromissum exitum haud ha- „beret, & ità Compromissum re adhuc integrâ non valet; at verò in supposita „specie (nempe in casu C. 12. de arbitris) arbitri non dissenserant, sed ter- „tium superarbitrum concordantibus elegerant votis, adeòque vitium nullum „in compromisso aderat, nec sententiam annullandi Pontifex ullam causam ha- „buit". Idem ferè ait in suo C. J. T. II. in notis ad C. 12. cit. n. 76. in eandem pariter sententiam abiit Georg. Lud. BÖHMERUS *b*).

a) Ad hunc tit. §. VII.— *b*) In elect. Jur. civ. exercit. 14. c. 3.

§. IX.

Hæc BÖHMERI opinio non placuit P. Wolffgango SCHMIDT Ord. S. Francisci R R. Recoll. *a*) atque hanc ipsam BÖHMERI doctrinam Juri civili contrariam perstringit inquiens: "Per hanc interpretationem BÖHMERUS se ostendit non „solùm legum civilium, sed adeò regularum Grammatices ignarum: vult „enim illa verba legis: sed si ità sit: hùnc habere sensum: sed si ità sit ab arbi- „tris processum &c. Cùm tamen juxta præcedentia sic intelligenda veniant, „*sed si ità in duos fuerit compromissum, ut eis tertius adsumeretur Semprò-*

nius

„*nius &c.*" Ità ille de famoſo illo Juris utriusque interprete; verùm utrum Böhmerus aſſecutus fuerit potiùs mentem JCti, quàm *Author cit.* mentem Böhmeri, ex dicendis infra patebit.

a) Inſt. J. C. l. cit.

§. X.

Aliud omnino de mente Ulpiani ſtatuendum eſſe viſum fuit LEYSERO *a*) "nempe ſimile Compromiſſum etiam ab Ulpiano veluti validum fuiſſe „agnitum, *non* quidem *Vi* §. 5. *cit.* eò quòd ibidem valorem compromiſſi „ità concepti apertè ſatis neget ex hâc ratione, quòd in adſumendo tertium „poſſint diſſentire; ſed *Vi* §. 6. *ſubſeq. citatæ legis*, addit enim ibi "*debet* „*Prætor cogere arbitros, ſi non conſentiant, tertiam certam eligere perſo-* „*nam, cujus authoritati pareatur*; ubi Ulpianus priorem ſententiam emen„dat, probátque tale compromiſſum; quapropter certum erit, etiam in in„certum ſuperarbitrum ab arbitris ipſis eligendum compromitti poſſe".— Hucusque ille — ex hujus igitur ſententia Ulpianum contraria ſenſiſſe, atque verbis poſterioribus *ut validum* pronuntiâſſe compromiſſum, quod brevì ante *non valere* edixerat, credendum eſſet.

a) In Medit. ad Pandect. Tom. I. ſpecim. 65. med. 8. p. 708.

§. XI.

E contra, nec unquam Ulpianum compromiſſum de adſumendo tertio incerto, ùt invalidum, putâſſe, neque ſibi contradixiſſe, aut ſe emendâſſe ſtatuit BACHOVIUS *a*) qui legem illam à Triboniano, turbatam eſſe docet, demum aliud placuit HENRICO LINCKIO *b*) qui compromiſſum iſtud ex mente Ulpiani nullius eſſe roboris adfirmat, atque dum §. 6. ſubſequente idem JCtus ſtatuit, arbitros in caſu diſſenſûs à Prætore cogendos eſſe, tertiam adſumere perſonam, ſupponendum eſſet, modo illam ipſam tertiam perſonam in compromiſſo à partibus fuiſſe nominatam; verùm hæc opinio omnium minimè ſubſiſtit: quì enim coactio prætoris in arbitros habebit locum, ut ii eligant tertiam perſonam, ſi ea ipſa à partibus, ut aſſumeretur, modò fuerit determinata? quomodo arbitri ex coactione prætoris tertium ſuperarbitrum *eligere* dici poſſunt, quem modò nominatum ex compromiſſo adſumere tenentur? ſanè iſta non cohærent.

a) In Comment. ad princ. Pandect. T. I. p. 1242.
b) In Comment. ad X, p. 238.

§. XII.

§. XII.

Recensitis hactenus diversissimis Interpretum de valore hujus compromissi & verâ mente Ulpiani placitis, superest, ut, quam ex his omnibus selegimus, sententiam aperiamus; quodsi verò in mentem Ulpiani curatiùs inquiramus, haud deprehendimus, eam, quam plurimi eidem affingunt, inconstantiam; Juvat verò integrum tenorem §. 5ti & 6ti tanquam Sedem controversiæ adscribere: *Si in duos fuerit sic compromissum*, inquit Ulpianus, *ut si dissentirent tertium adsumant*, *puto tale compromissum non valere*, *nam in adsumendo tertio possunt dissentire*, *sed si ità sit*, *ut eis tertius adsumeretur Sempronius valet compromissum*, *quoniam in adsumendo dissentire non possunt.* — *Principaliter tamen quæramus*, *si in duos arbitros sit compromissum*, *an cogere eos Prætor debeat sententiam dicere*, *quia res ferè sinè exitu futura est propter naturalem hominum ad dissentiendum facilitatem. In impari enim numero idcirco compromissum admittitur*, *non quia consentire omnes facile est*, *sed quia etsi dissentiant*, *invenitur pars major*, *cujus arbitrio stabitur. Sed usitatum est etiam in duos compromitti*, *& debet Prætor cogere arbitros*, *si non consentiant*, *tertiam certam eligere personam*, *cujus authoritati pareatur.*

§. XIII.

Quodsi hanc legis dispositionem consideremus, inde manifesto consequitur: *valere compromissum in duos factum*, *etsi in ferenda sententia possint dissentire*, *tunc verò illud compromissum suum effectum sortiri*, *si duo electi arbitri in ferenda sententia non dissentiant* — atque hoc ipsum est, quod unanimi ore interpretes profitentur, etiam ii, qui contrariam planè mentem Ulpiano imponunt. Quodsi verò JCtus validum pronunciaverit compromissum in duos factum, etsi in ferendâ sententia possint dissentire, propter naturalem hominum ad dissentiendum facilitatem, quis sibi persuadeat, Ulpianum invalidum declarâsse compromissum, in duos factum, ut, si dissentiant, tertium adsumant superarbitrum, ex hàc ipsâ ratione, quia in adsumendo tertio possint dissentire? hæc ipsa ratio, nempe: naturalis hominum ad dissentiendum facilitas, sufficiens visa non fuit, ut invalidum diceret compromissum in duos factum, *etsi illi duo in arbitrando facilè dissentire queant*; quis igitur credat hanc ipsam rationem *Ulpianum* induxisse, ut invalidum diceret compromissum in duos, ut in casu dissensûs tertium adsumant, *quia in adsumendo tertium possent dissentire?* cùm tamen hoc ipsum compromissum æquè, imò facilius, quàm illud, suum exitum

exitum sortiri queat, atque duo arbitri in adsumendo tertio faciliùs convenire, quàm in ferendâ sententia concordare possint.

§. XIV.

Ex ejusdem porro legis dispositione manifestum fit, quodsi duo arbitri electi in ferenda sententia non conveniant, *eosdem à Prætore cogendos esse, ut tertiam certam personam eligant, cujus authoritati pareatur*; igitur ex mente JCti ad officium Prætoris pertinet coactio, ut arbitri pari numero electi in casu dissensûs tertium superarbitrum adsumant. Quid est nunc absonum magìs, quàm valere compromissum, quando arbitri ex officio Prætoris in casu dissensûs tertium eligunt, nullum verò & irritum esse, dum in vim compromissi de adsumendo superarbitro in casu dissensûs sponte id faciunt? an coactio Prætoris superarbitrum magìs determinat, quàm spontanea electio?— Valet compromissum in arbitros pari numero, ut, si in arbitrando dissentiant, ex dispositione legis, Prætore cogente, superarbitrum eligant, etsi is superarbiter neque in compromisso, neque à Prætore individualiter determinetur, etsi, ùtùt Prætore cogente, in eligendo tertio possint dissentire; valebit igitur quoque compromissum in arbitros pari numero, ut in eventu dissensûs tertium adsumant, etsi in compromisso superarbiter in individuo determinatus non fuerit, etsi quoque in adsumendo tertio possint dissentire.

§. XV.

Illud porro omnino consideratione dignum existimamus, quod omni compromisso in arbitros pari numero facto, etsi iis expressa de adsumendo tertio facultas concessa haud fuerit, superarbitrum eligendi potestas in casu dissensûs, *tacitè*, lege ità disponente, iis concessa præsumatur; hoc enim ipse ULPIANUS manifestò supponit, dum à Prætore ad superarbitrum eligendum, arbitros, si in arbitrando dissentirent, cogendos esse voluit; jus nempe ipsis arbitris ex recepto *tacitè* competere agnovit, communi consensu, ipsam coactionem prætoriam præcedente, tertium superarbitrum adsumendi; hanc quoque recepto tacitè inesse facultatem etiam ipsi Pontifices agnoverunt, ceu suprà notatum fuit *a*). Quodsi igitur validum sit compromissum, in arbitros pari numero factum, facultate adsumendi tertium incertum *tacitè* ex naturà & fine recepti, iisdem concessâ, atque valori compromissi non obstet, etsi in eligendo tertio valeant dissentire; valebit pariter compromissum, si id, quod tacitè recepto inest, à partibus expressis verbis fuerit deductum in compromissum, nec obstabit ratio, quòd in adsumen-

ſumendo tertio valeant diſſentire; anne verò partibus prohibítum eſt, in id expreſſis verbis compromittere, quod lege diſponente omni recepto & compromiſſo in arbitros pari numero *tacitè* ſemper ineſt?

a) Addi hic omnino meretur, quòd notat BÖHMERUS ad C. 39. de off. & pot. jud. del. (ubi arbitris pari numero conſtitutis hanc facultatem tacitè conceſſam eſſe decidit Papa Gregorius IX.) videlicet: "hoc etiam „jure civili eſſe conſtitutum *l.* 17. §. 6. *D. de recept.* adeòque ſi in „duos compromiſſum, hoc tacitè in Compromiſſo latitare videtur, ut „in caſu diſſensûs tertium eligant — & tamen Pontifex in *Cap.* 12. *de* „*arbitris*, in quo generaliter & indefinitè cautum erat, ut in caſu „diſſensûs tertium eligerent eſſe nullum decernit, licet arbitri concor- „diter tertium elegiſſent: quæ malè cohærent."

§. XVI.

Atque hanc fuiſſe veriſſimam *Ulpiani* mentem ſtatuit Henning. BÖHMERUS loc. ſuprà cit. atque clarius ſuam deſuper ſententiam profitetur in corpore juris à ſe edito *ad Cap.* 12. *de arbitris*, ubi hanc noſtram opinionem in terminis probat & confirmat: ait autem: "JCtus aſſerit: *puto tale* „*compromiſſum non valere*, h. e. *effectu & exitu deſtitui*; quia addit JCtus: „*nam in adſumendo poſſunt diſſentire*, & ſi diſſentiunt, compromiſſum exi- „tum non habet — ex poſt quærit: quid ergo, ſi Compromiſſarii judices „mox conſenſerint in tertium, & ita effectum habere potuerit compromiſ- „ſum, ùt in caſu Pontifici oblato? Sanè ſi ULPIANUS de hoc caſu Con- „ſultus fuiſſet: non eſt dubium, quin eo caſu compromiſſum valere aſſe- „ruiſſet, quòd tunc exitum habere potuiſſet: Etenim eadem ferè verba de- „clarat in cit. l. 17. §. 6. in caſu ſi in duos compromiſſum fuerat, ubi „eleganter aſſerit: *quia res fere ſinè exitu futura eſt*, *propter naturalem* „*hominum ad diſſentiendum facilitatem.* Quæ ergo difficilem & impedi- „tum habent exitum, in effectu *non valere* dicuntur, adeòque Pontifex ve- „ram mentem JCti aſſecutus non videtur. Accedit, quòd in hoc pacto in- „definito id exprimatur, quod in omni compromiſſo tacitè & per ſe lati- „tat, videlicet, ut in caſu diſſensûs debeant eligere tertium Compromiſſarii" *a*) En genuinam Ulpiani mentem, atque ſententiam noſtram apertè confirmatam!

a) Æquo igitur animo ferendum non eſt, quod de Cl. BÖHMERO l. ſup. cit. ſcribit P. Wolffgangus SCHMIDT, nempe eundem legum civilium atque regularum grammatices fuiſſe ignarum; Imo idem Author ſe prorſus ignarum genuinæ mentis tum ULPIANI, tum BÖHMERI profitetur,

fitetur, falsissimum enim est, quod Cl. BÖHMERO ibidem affingit, quasi verba legis: *sed si ità sit*, ità intelligenda esse vellet: *sed si ità sit ab arbitris processum*, neque enim de hac sinistra interpretatione legis somniavit unquam BÖHMERUS; nihilominus tamen indulgendum est eidem, qui ex horto non suo, utì ipse in fine ejusdem tituli de arbitris profitetur, hanc contra Böhmerum animadversionem transumpsit.

§. XVII.

Ex his facilè patebit, quì intelligendus sit ULPIANUS lege & §. controverso, dum ait: *si in duos fuerit sic compromissum, ut si dissentirent; tertium adsumant, puto tale compromissum* NON VALERE, *nam in adsumendo tertio possunt dissentire*: Rectè enim ait BÖHMERUS l. cit. verba ista *non valere*, hic idem esse, atque tale *compromissum* in eventum dissensûs in tertium superarbitrum *effectu suo destitui*, minimè verò ità intelligenda esse, (prout tamen ea intellexit Cap. 12. *de arbit.*) consensu arbitrorum in electionem tertii interveniente, *obligationem non produci* — Accipe igitur veram legis controversæ interpretationem: *si in duos fuerit sic compromissum, ut si dissentirent, tertium adsumant, puto, tale compromissum* NON VALERE, h. e. SUO EFFECTU DESTITUI, ratio est, *quia in assumendo tertio possunt dissentire, sed si ità sit* (compromissum, *non*: si ità sit ab arbitris processum, utì malè imposuit BÖHMERO P. SCHMIDT l. cit.) *ut eis tertius adsumeretur Sempronius*, VALET COMPROMISSUM h. e. SUO EFFECTU NON DESTITUITUR, *quoniam in assumendo dissentire non possunt*: neque arbitrariam hanc interpretationem dicas, hanc enim exigit sana ratio, suadet finis & scopus compromissi, atque ipsémet ULPIANUS mentem suam aliàs dubiam explicat: §. seq. dum quærit, si in duos fuerit compromissum, an cogere eos debeat Prætor sententiam dicere, *quia* RES FERE SINE EXITU FUTURA EST, *propter naturalem hominum ad dissentiendum facilitatem*, ubi *sine exitu futurum esse*, inquit, quod mox ante *non valere* dixerat *a*).

a) Ità quoque intelligendum esse Ulpiani textum advertit Author Dissert. quæ a. 1774. prodiit, *de differentiis inter jus Canonicum & civile romanum circa arbitros*, dum inter alias plures juris utriusque differentias circa arbitros, notat quoque circa nostrum statum quæstionis, jus canonicum recedere à jure civili, dum hoc valorem Compromissi controversi adfirmaret, illoècontrà tale Compromissum annullante. In hanc ipsam quoque sententiam inclinare potiùs videtur Cl. Antonius SCHMIDT in suis Inst. J. E. G. T. II. p. 249. ed. I. — Consentientem quoque nobis habemus

Georg.

Georg. Lud. BÖHMER *de superarbitris in suis electis Juris civilis Exercit.* 14. — Ità quoque citatam legem intelligit DECIANUS in suis Consiliis Consil. 112. Volum. 3. dum ait: *Valet Compromissum ut à duobus tertius eligatur, dummodo in eo eligendo consentiant, & sinè dubio arbitris ea facultas concedi potest, quodsi ipsi arbitri dissentiant, judex eos ad consentiendum cogere, vel ipse tertium eligere potest.* — Idem docet Cl. SCHRODT Professor Ss. Canonum in Univers. Pragensi *Instit. J. E. ad tit. de arbitris* §. 135.

§. XVIII.

At verò, inquies, quodsi ità intelligenda sint verba legis, atque *non valere* idem sit, ac compromissum *suo effectu destitui*, quâ ratione nihilominus in textu subsequente dici potuit: *arbitros in eventum dissensûs à Prætore cogendos esse ad superarbitrum eligendum?* si coactioni Prætoriæ locus sit ad adsumendum tertium, quomodo tale compromissum *suo effectu destitui*, adfirmari poterit? ℞. Coactioni Prætoriæ tunc demum locum esse, si partes litigantes rem urgeant, ad Prætorem causam deferant, ejusque auxilium implorent: quodsi verò litigantes in eo adquiescant, eveniente dissensu in eligendo superarbitro, compromissum *non valebit*, hoc est, *sine exitu futurum erit*, quodsi verò in compromisso cautum sit, ut in eventum dissensûs ei tertius adsumeretur Sempronius, *valebit Compromissum*, hoc est, etiam, coactione non interveniente (utpote tum non necessariâ) *felicem sortietur exitum*.

§. XIX.

Hanc ipsam sententiam de valore compromissi de adsumendo tertio in casu dissensûs generaliter & indefinitè concepti, eò magis sustinendam esse arbitramur, eò quòd eadem compromittendi forma in superarbitrum incertum *jure nostro germanico* certè valida & firma subsistat; Etenim Germania nostra sicut in observandis pactis & quàcunque Conventione, non attenta juris peregrini subtilitate, nunquam non fuit sanctissima, ità etiam à germanâ sua simplicitate decisione Juris ecclesiastici communis, quoad valorem compromissi controversi, dimoveri nunquam potuit, sed juris naturalis hâc in re semper extitit tenacissima.

§. XX.

Quare etiam plurimi, qui, ceteroquin hujusmodi Compromissa jure utroque communi utì invalida pronunciant, nihilominùs contrarium *usu fori in Germania* obtinere, contestantur, velutì STRYCKIUS *a*) LEYSERUS *b*)

ESPE-

Espenius *c)* Voetius *d)* Zecchius *e)* imò neque diplomata desunt, in quibus, ità generaliter & indefinitè de assumendo tertio fuisse compromissum legimus teste diplomate apud Albertum Crantzium *f)* qui an. MCCCLXXXVIII. refert, *quòd Comites Holsatiæ de Ducatu Sleswicensi constituerint, ut si aliquid natum fuerit quæstionis, Dani ex Holsatis & vicissim illi ex Danis, binos eligant, qui rem in controversia positam dirimant, quodsi non poterunt, habeant facultatem quintum assumendi, cujus votum alteri parti accedens, rem omnem absolvat,* quibus omnino addi meretur C. J. Kremer *g)*— Neque tantùm in Germania, sed & in aliis locis Gallia & Belgio eadem compromissa obtinere, testantur Grænwegen *h)* & van Wassenaer *i)* ceteríque.

a) U. M. L. 4. T. 8. §. 9. dum ait: *nec alia germaniæ praxis est, ob vim generalem Conventionis.*

b) L. cit. ubi ait: *Quapropter certum erit, etiam in incertum superarbitrum, ab arbitris ipsis eligendum compromitti posse.*

c) J. E. U. P. 3. T. V. §. 15. inquiens: *At hac juris civilis subtilitate explosa* (nempe contrarium jure civili obtinere docuit) *hodie contrarium servatur, súntque hæc Compromissa usitatissima.*

d) Ad tit. ff. de arbit. n. 13.

e) L. sup. cit.— *Reperiuntur tamen exempla, ubi arbitris numero paribus tributa est potestas alium incertum eligendi.*

f) In Hist. Saxon. l. 10. c. 9.

g) Academische Urkund zur Geschichte der Herrn von Heinsberg— l. cit.

h) Ad l. 17. n. 2.

i) Instructie op de forme van procederen voor hoven ende Rechtbancken— "Van reductie, Cap. XXVI. art. 17."— Ibi "*Ende worden gemeenliik twee Arbiters verkoren met macht, dat indien sy malkanderen niet en konten verstaan, sy ende tot superarbiter mogen aan nemen, ende al ist dat haar die macht by Compromisse niet is gegeven, so word evenwel verstaan dat haar stylschwygens de macht gegeven is, als sy met malkanderen niet overeen komen*; & infra "*ende dit word by ons geobserveert.*

§. XXI.

Vehementer itaque miramur, quòd Interpretes Ss Canonum etiam Recentiores *a)* ùtùt verissimum sit, jure germanico hujusmodi compromissa esse valida, & usu fori recepta, nihilominus tamen in suis Institutionibus Jurisprudentiæ ecclesiasticæ, quas ad statum germaniæ adcommodatas esse cupiunt, illis compromissis valorem suum disputent; atque inde quoque perspicuum

ſpicuum ſit, quanta utilitas imo neceſſitas ſit, in interpretando textu juris communis ſollicitè advertere, an hoc juri etiam germanico conveniat; integrâ & prolixa Diſſertatione hoc demonſtrante nuper J. A. Leonardo SCHMIDT Profeſſore Juris publico & extraordinario Trevirenſi *b*).

a) Veluti P. Wolffg. SCHMIDT l. c. Cui facilè praxis hæc germaniæ ipſi juri germanico conformis nota eſſe potuiſſet, dum eo ipſo loco BÖHMERUS eruditè advertit, ſententiam noſtram moribus germaniæ eſſe receptam.

b) Diſſ. inaugurali *de juris germanici neceſſaria ampliandáque in Univerſitatibus Cultura*, quæ hoc ipſo anno 1777. Moguntiæ prodiit.

§. XXII.

Supereſt pro coronide, ut quâ ratione Gregorius IX. permotus fuerit, ut in C. 12. de arbitris, ſimile compromiſſum ùt invalidum pronuntiaverit, ad ipſam etiam *legalem proviſionem provocando?* oſtendamus; atque hoc ipſum dubium ex hiſtoria illorum temporum Sæc. XII. & XIII. decidendum eſſe arbitramur; conſtat autem illâ ætate Gloſſatores Juris civilis, in legum interpretatione in diverſas planè ſententias, dicamus quoque errores, fuiſſe prolapſos, dum pro ſuo quisque ſenſu legem interpretaretur; quod vitium iis vel maximè contigit, qui neglecta ratione legum externo earum cortici inhærentes à vero planè ſenſu deviarunt, facillimè igitur fieri potuit (utì etiam ſubin eruditiſſimis contigit) quod eorum Gloſſatorum ſenſa ſecutus fuerit Legislator Canonicus, qui ex verbis legis exterioribus compromiſſum eſſe *nullum* opinabantur *a*).

a) Quod ſæpiùs contigiſſe veriſimile eſt, utì elapſo anno in Exercitio Canonico altero de examine teſtium ad perpetuam rei memoriam, ad *C. 4. de Conf. ut. vel inut.* oſtendimus.

§. XXIII.

His itaque concludimus, atque talè compromiſſum, ùtùt reluctetur jus noſtrum eccleſiaſticum, utì validum omnino agnoſcendum eſſe, ſivè jus civile romanum ſpectes, ſivè jus noſtrum germanicum; neque enim Legislator Canonicus voluit, neque potuit hâc in re jus civile romanum in jure naturali fundatum, cum quo ex integro conſonat, jus noſtrum germanicum, immutare.

Quia verò huic Diſſertationi valde adfinis eſt ſequens obſervatio, eandem hìc ſubjungendam eſſe duximus.

OBSER-

OBSERVATIO
ad Can. 33. & 34. II. Q. VI.

TEXTUS I.

Canon. 33. II. Q. VI. apud Gratianum ex Concilio Milevitano desumptus ità habet: *A Judicibus, quos communis consensus elegerit*, NON LICEAT PROVOCARE. — Econtra

TEXTUS II.

Canon. 34. eâd. caus. & quæst. ex Concilio Carthaginensi III. desumptus ità ait: *Sanè si ex consensu partium judices electi fuerint, etiam à pauciore numero, quàm constitutum est*, LICEAT PROVOCARI

ità lectio vulgata communis.

§ I. Utrumque Canonem istum intelligendum esse *de arbitris*, agnoscit Compilator Decreti, GRATIANUS ipse, atque colligitur ex verbis: *de consensu partium, quos communis consensus elegerit &c.* Quod itaque in priore negatur, videlicet: *à sententia Arbitrorum seu laudo* NON POSSE PROVOCARI. — Per posteriorem contradicitur, scilicet: *a sententia Arbitrorum* LICEAT PROVOCARI.

§. II. Ambo Fratres PITHOEI in Corpore Juris à se edito T. I. ad Canonem posteriorem notant, ità legendum esse: *non liceat prævaricari.*

§. III. Justus Henning. BÖHMERUS in novo suo Corpore juris (qui tres Codices Manuscriptos Decreti Gratianæi ex Bibliotheca Regia Berolinensi, indulgentia Regis pro adornanda nova editione Corporis juris obtinuerat) in notis ad Can. 34. ità inquit: *in Codice Mss. Regio primo & quidem in textu sequentia leguntur* post verbum: LICEAT: *quidam libri habent*, NON LICEAT PROVOCARI. Nota hinc 1) quòd duo alii Codices regii Mss. quorum unus est de Sæc. XIII. alius de Sæc. XIV. consonent cum lectione vulgata: retinendo sensum affirmativum: *liceat provocari. Vid. Diss. Bœhmeri præfixa T. 1. C. J. p. XXXIX. lit. u.* Nota 2.) quòd pleraque Exemplaria Mss. Decreti Gratianæi habent textum posteriorem *affirmativè*, imò ipse Codex Mss. Reg. primus potiùs favere videtur sensui textus affirmativo, quàm negativo.

§. IV.

§. IV. Harduinus quoque Celeb. Collector Conciliorum, utrumque textum sibi perfectè consonantem cum sensu negativo refert: & quidem priorem T. 1. CC. p. 1221.— Posteriorem verò p. 962. atque in utroque legitur *non liceat provocare.*

§. V. Ante Harduinum Sæc. XVI medio Correctores modò Romani, Theologi & Canonistæ, quibus Authoritate Papali commissa fuit emendatio Decreti, notàrunt: utrique textui tribuendum esse sensum negativum, atque in posteriori quoque legendum esse: *à sententia Arbitrorum non liceat provocari.*

§. VI. Quid in dubio isto statuemus? ℞. Utrumque textum retinendum esse cum sensu *negativo*, non obstante lectione vulgatà communi. Ità enim certo certius eruitur ex pristino Codice antiquissimo Ecclesiæ Africanæ edito Parisiis Curâ Christ. Justelli a. 1615. in quo uterque Canon ità legitur: Canon prior in eodem Codice Canone CXXII. refertur his verbis: *à judicibus autem quos communis consensus elegerit* NON *liceat provocare.*— Posteriorem idem Codex Can. XV. ità exhibet: *sanè si ex consensu partium electi fuerint judices etiam à pauciore numero, quam constitutum est*, NON *liceat provocari.*— Consonat verò utrique textui Canon XCVI. ejusdem Codicis — ut ab electis judicibus provocare NON LICEAT.

§. VII. Ex his igitur convincitur, falsissimam esse illorum opinionem, qui *Jure Decreti* à sententia seu laudo Arbitri Compromissarii provocationem admittunt, etiam viâ reductionis ad arbitrium boni viri: uterque enim textus, prout in Originali jacet, omnimodè vetat à judicibus consensu partium electis provocari. — Neque dicas prohiberi tantùm *appellationem*, non *reductionem*; sic enim apertè impingis contra Reg. 84. J. in 6. *Cùm quid unâ viâ prohibetur alieni, ad id aliâ non debet admitti.* —Eosdem autem effectus interpretes & pragmatici tribuunt *reductioni*, quos appellationi, uti pridem eruditè observavit Nellerus *Collect. method. S. Can. leg. de arbitris.*

§. VIII. An ergo saltem *jure Decretalium* provocatio à sententia Arbitri Compromissarii, seu reductio ad arbitrium boni viri non est fundata? Ità nuperrimè visum fuit Authori Dissertationis de differentiis inter Jus Can. & Civ. circa Arbitros, quæ an. 1774 prodiit. Qui §. XLIV. ait: *in Cap. 2. de arbitris* hanc reductionem apertè satìs stabiliri.

§. IX.

§. IX. Verùm reductionem ad arbitrium boni viri quoad ſententiam arbitri jure etiam Decretalium fundatam eſſe optimo fundamento negamus; Equidem in Cap. 2. cit. Alexander III. in fine decreviſſe legitur, arbitrium demum ſervandum eſſe, *ſi æquitate ſubnixum fuerit*; illud etiam non diffitemur, illud ipſum arbitrium ab arbitris in caſu Cap. cit. fuiſſe non tantùm reductioni, ſed appellationi obnoxium, ſi haud æquum fuiſſet; verùm fallitur vehementer Author cit., ſi inde generatim Jure Canonico omne arbitrium ex compromiſſo, ex cauſa iniquitatis reductioni obnoxium eſſe inferat: in illo enim textu ſermo fuit de arbitrio, quod *peccatum ac dolum continebat*, atque contra ſimile arbitrium non tantùm reductionem ſed appellationem idem Author §. XL. præcedente admiſit non absque gravi fundamento deſumpto ex *l.* 21. §. 7. *ff. de recept.*— Ità igitur conſormiter Juri eccleſiaſtico concludendum eſt: Sententia arbitri ex compromiſſo ſervanda eſt, ſive æqua, ſive iniqua fuerit remotà omni provocatione ad judicem ordinarium; ſive *via reductionis*, ſive *appellationis*, nisì *contineat dolum & peccatum*, ubi reductioni locus erit ex *c.* 2. *de arbitris.*—

§. X. Num igitur jure naturali ſaltem nititur praxis illa, quâ indulgent reductionem ad arbitrium boni viri? ℞. Neque hoc: æquitatem iſtam Cerebrinam meritò vocamus — in Statu naturali, inter remedia perſequendi jus ſuum dubium, præſtantiſſimum illud juris naturalis interpretes dicunt, quo conſenſu mutuo in arbitros compromittunt partes litigantes vid. *cel.* de MARTINI *Jur. nat. Poſit. DXCVI.* Hug. GROTIUS *de J. B. & P. L.* 2. *C. XXIII.* §. 8. atqui reductio in eodem ſtatu nec datur, nec dari poteſt.— Quis enim reducet ad arbitrium boni viri? pragmatici ajunt, judex ſuperior: verùm ſtatus naturalis eſt ſtatus æqualitatis, in quo judex ſuperior non agnoſcitur. Porrò jure naturali viâ compromiſſi indulta eſt veluti remedium finiendarum litium.— Hic autem finis non obtinebitur, conceſsà reductione ad arbitrium boni viri.

VII.

VII.

DISSERTATIO
JURIS ECCLESIASTICI PUBICI
DE
Poteſtate Domini Territorialis Proteſtantici Subditos Catholicos in impedimentis matrimonium Jure eccleſiaſtico dirimentibus diſpenſandi

Ex Transactione Religioſa inter Fridericum Wilhelmum Electorem Brandenburgicum & Philippum Wilhelmum Ducem Palatino-Neoburgicum pro Ducatibus Juliacenſi, Montenſi, Clivenſi &c. a. 1672. concluſa

haud evincenda.

DEFENDENTE D. ARNOLDO IPP, BONNENSI.

§. I.

Inter graviſſimas Juris eccleſiaſtici germaniæ publici controverſias pertinet iſta: *An Dominus territorialis Auguſtanæ Confeſſionis Subditis Catholicis, Diſpenſationem in impedimentis matrimonium jure eccleſiaſtico dirimentibus validè elargiri poſſit?* — Quæſtionem hanc dum in favorem Domini territorialis A. C. adfirmare non dubitavit Joan. Frid. EISENHARD *Jurium Profeſſor in Univ. Helmſtad.* in ſeinen Erzählungen von beſonderen Rechtsfällen *Tom. I. Cauſa 19na: a) p.* 402. "In wie fern ein evangeliſcher Landesherr ſeinen katholiſchen Unterthanen in Eheſachen Diſpenſation ertheilen könne?— Nactus is mox anno 1769. fuit ex Catholicis Adverſarium Celeb. Franciſcum Antonium DÜRR Profeſſorem Jurium Moguntiæ, qui in eruditiſſimâ Diſſertatione *de Domino territoriali Proteſtantico ſuis Subditis Catholicis in impedimentis Matrimonium jure eccleſiaſtico dirimentibus nulliter diſpenſante* invictis adeò argumentis falſitatem opinionis Eiſenhardianæ oſtendit, ut Proteſtantes ipſos eruditiores in illius ſententiam conceſſerint *b*).

a) Caſus, quem ibidem refert eſt iſte: Sempronius Catholicus cum Caja Auguſtanæ Confeſſioni addicta Sponſalia iniit, qui ambo ſunt ejusdem

Do-

Domini territorialis Protestantici Subditi: Sponsalibus initis apparet, desponsatos in tertio Consanguinitatis gradu esse conjunctos: Sempronius matrimonium inire renuit ante obtentam eatenus dispensationem: Caja à suo Domino territoriali Protestantico ratione impedimenti dispensationem impetrat, urgétque matrimonium, à Sponso esse contrahendum; excipit Sempronius dispensationem illam à Laico in causa ecclesiastica impertitam respectu catholici esse invalidam, nec se posse prius salva Conscientia inire matrimonium, donec dispensationem à Legitimo in Ecclesia Romana superiore ecclesiastico impetrarit. Quærebatur igitur: num Sempronius ob inita Sponsalia à suo Domino territoriali protestantico, qui dispensationem ratione impedimenti concessit, cogi possit ad matrimonium cum Caja contrahendum, antequam à Superiore ecclesiastico catholico dispensationem impetravit?

b) Extat Dissertatio ista excusa in *Tomo VI. Thesauri Schmittiani N. XVII. p. 638. — Ed. 1777.*

§. II.

Præ ceteris autem Protestantibus Erud. SCHOTT, dum in sua Critica *a*) Dissertationem citatam recensuit, in hunc modum ingenuè fatetur: "Die Frage: ob ein deutscher Landesherr seinen zu einer andern als zu der im Lande herrschenden Religion sich bekennenden Unterthanen zu Vollziehung einer im geistlichen Rechte wegen naher Verwandschaft verbotenen Ehe eine gültige Dispensation ertheilen könne? gehört unter die Zankäpfel, welche Partheylichkeit und unrecht angewandter Religionseifer in unserm Kirchenstaatsrechte so häufig ausgestreuet haben, dass ein unpartheyischer Patriot, aller Verordnungen der Reichsgesetze ohnerachtet, nicht selten die gröste Mühe hat, sich durch die widersprechenden Erklärungen, Grundsätze und Scheingründe der mehr das Interesse ihrer Religionsparthey, als das wirkliche Recht vor Augen habenden Schriftsteller bis zur Wahrheit hindurch zu drängen. Da ich die letztere, ohne alle Nebenabsichten, zu meiner einzigen Führerinn erwählt habe, und meine auf rechtmäsige und ungezwungener Erklärungen der Gesetze gebauete Ueberzeugung nie zu verbergen gewohnt bin, so trage ich gar kein Bedenken, aufrichtig zu gestehen, als ob ein protestantischer Landesherr seine katholischen Unterthanen von den Eheverboten des kanonischen Rechts wegen naher Verwandschaft gültiger Weise dispensiren könne, zur Zeit weder in den ausdrücklichen Worten der Reichsgesetze, noch in der Analogie des deutschen Kirchenstaatsrechts habe gegründet finden können. Aus dieser Ursache kann

ich

ich dem gelehrten Herrn Verfaſſer dieſer Abhandlung, was die *Hauptfrage* betrifft, unmöglich meinen Beyfall verſagen &c."

a) 48. *Stück n. XXVI. p.* 759.

§. III.

Non itaque operæ pretium exiſtimaſſem, novam lucubrationem de argumento iſthoc meditandi niſi ex Proteſtantibus forent, qui nihil omnino intentatum reliquendum eſſe ſibi cenſent, quo in ejusmodi controverſiis cauſam Catholicorum deteriorem reddere poſſint; atque hoc ipſum in præſenti controverſia evenit, dum Cl. Joan. Jac. MOSERUS in Tractatu von der Landeshoheit im Geiſtlichen nach denen Reichsgeſetzen und dem Reichsherkommen &c. ed. Francofurti & Lipſiæ an. 1773. litem hanc ferè ſopitam eatenus reſuſcitare voluit, ut ſaltem ſubditi catholici, quibus ex beneficio anni normalis quidem non debetur religionis exercitium, ſed ex mera gratia Principis tolerati ad ejusmodi diſpenſationes Dominorum territorialium validas agnoſcendas cogi poſſint; eò magis verò, ut argumentum hoc pertractandum ſuſciperem, monebar, eò quòd 1) idem MOSERUS in Tract. cit. *a*) opinionem ſuam fundet in transactione religioſa an. 1672. inter Fridericum Wilhelmum Electorem Brandenburgicum & Philippum Wilhelmum Ducem Palatino-Neoburgicum pro terris Juliacenſi, Montenſi, Clivenſi, *b*) concluſâ, in quibus Eminentiſſimo noſtro Archiepiſcopo Colonienſi Jus Diœceſanum competit; præterea 2) quòd Authoritas Moſeri tanta Proteſtantibus ipſis videatur, ut Cl. Schott *in ſua Critica c*) tractatum iſtum recenſens, Moſerum veluti Patrem Jurisprudentiæ germaniæ publicæ veneretur.

a) *à p.* 889. *ſeq.*

b) Erecta eſt hæc transactio 26. Aprilis 1672. ſub titulo: "Religions-Vergleich &c. über das Religions- und Kirchenweſen in denen Herzogthümern Gülich, Cleve und Berg, auch Grafſchaften Mark und Ravensberg &c.

c) 55ſtes *Stück n. VII. p.* 421. ubi in fine ait, ſe datà occaſione dubia obmoturum fore, "nicht aus Rechthaberey, ſondern blos aus Begierde von dem Vater der heutiger Staatsrechtslehre immer mehr zu lernen &c.

§. IV.

Transactio autem religioſa cit. *art. III.* §. 2. ſub rubrica: "*über Eheſachen*" ità habet: "ſo ſollen die Officiales mit Zuziehung zweyer ihnen gefälliger einheimiſcher Rechtsgelehrten und zwar in denen Diſtricten und Sachen, in welchen ſie von Alters bis hieher ihr Officialat exercirt die Gebühr Rech-

tens

tens erkennen, als wann eine Person auf eine Römisch-Katholische die Ehe prætendiret, und zu erkennen, ob die Eheversprechung denen Rechten nach gültig seye oder nicht? und dann ob und wie weit dieselbe ratione graduum oder sonsten zuläsig, oder nicht? *jedoch dergestalt, daß dem Landsfürsten die Dispensation vorbehalten bleibe*, wie auch der Officialis zu erkennen, ob die Ehe quoad mensam & thorum oder sonsten beständig? das übrige bleibt Ihrer kurfürstlichen Durchlaucht als Landsfürsten, wie es bishero observiret worden &c. Atque hic est textus illius pacti quæstionis, quoad exercitium religionis initi, quem, cùm de matrimoniis Subditorum catholicorum ratione graduum prohibitis disponat, solidum præbere fundamentum existimat MOSERUS opinioni: Dominum territorialem A. C. Subditis catholicis dispensationem in gradibus prohibitis validè elargiri posse, saltem illis, qui post annum regulativum ex gratia Principis tolerantur.

§. V.

Et quidem primo hujus transactionis intuitu de potestate ecclesiastica Catholicorum dispensandi cum subditis R. C. in territoriis Protestantium conclamatum esse penitus videbitur: exercitium jurisdictionis ecclesiasticæ Officialium Eminentissimi nostri Archiepiscopi Coloniensis, quousque sese extendere queat, ibi determinatur: an Matrimonii promissio valeat nec ne? cognitio potestati ecclesiasticæ reservatur: in negotio dispensationis impertiendæ, id solum jurisdictioni Episcopali competere placuit, ut cognoscat Episcopus, an, & quando ratione graduum dispensatio sit concedenda? *ipsa verò dispensatio Domino territoriali reservata manet*; ex quibus omnibus colligitur, quæ tempore transactionis illius haud diu post pacem Osnabrugensem erectæ fuerit opinio de potestate dispensandi Catholicos in impedimentis matrimonium jure ecclesiastico dirimentibus, videlicet: Dominos territoriales etiam A. C. in subditos suos catholicos ejusdem potestatis haud incapaces fore. Quibus si accedat, pergit MOSERUS, quod Catholicis subditis, quibus post annum demum normalem beneficium exercitii Religionis à Principe A. C. est concessum, multa placere debeant, quæ quoad alios, quibus favet annus normalis, locum non habeant, extra omnem dubitationis aleam versatur, illos in impetranda dispensationis gratia, à potestate Principis sui A. C. solùm dependere.

§. VI.

Verùm hæc ne in minimo quidem Potestatem Episcopalem dispensandi Subditos catholicos Magistratuum A. C. in impedimentis matrimonialibus infringunt: priusquam autem ad ipsum transactionis textum progrediar,

díar, oportet, ut fundamentale hâc in controversia Catholicorum principium, ab ipsis etiam Protestantibus JCtis probatum, præmittam: reperitur illud *in J. P. O. art. V. §.* 48. vi cujus jurisdictio Episcoporum antiqua & *Jus Diœcesanum cum omnibus suis speciebus contra A. C. Electores, Principes, Status, comprehensa libera Imperii nobilitate, eorúmque Subditos, tam inter Catholicos & Aug. Conf. addictos, quàm inter ipsos solos Aug. Conf. Status usque ad compositionem christianam dissidii Religionis suspensa esto, & intra terminos territorii cujusque Jus Diœcesanum & Jurisdictio ecclesiastica se contineat:* suspensa hìc quidem fuit jurisdictio Episcoporum ecclesiastica antiqua, atque quoad exercitium Dominis territorialibus attributa; verùm duæ mox limitationes suspensionem illam exceperunt: 1) *Catholicorum A. C. addicti Status provinciales & subditi, qui anno* 1624. *ecclesiasticam jurisdictionem agnoverunt, in iis casibus modò dictæ jurisdictioni* (Catholicorum) *subsint, qui Augustanam Confessionem nullatenus concernunt, modò illis ratione Processus nihil injungatur Aug. Confessioni aut Conscientiæ repugnans.* Altera exceptio, quæ subditos catholicos Magistratuum Aug. C. concernit, hæc est: EODEM JURE *Aug. Conf Magistratuum catholici subditi censeantur, inque hos, qui an.* 1624 *publicum Religionis catholicæ exercitium habuerunt, Jus Diœcesanum, quatenus Episcopi illud dicto anno quietè exercuerunt, salvum esto.*

§. VII.

Ex adlatis hisce J. O. verbis patet *primò*: Jus Diœcesanum *in regula* de facto adnexum esse jurisdictioni territoriali, suspensa interim jurisdictione ecclesiastica Episcoporum; *secundò*: in Protestantes jurisdictionem antiquam Episcoporum catholicorum, si illam agnoverint in anno normali, eatenus manere salvam, ut illi subsint in omnibus iis casibus qui Aug. Conf. nullatenus concernunt, dummodo illis ratione Processûs nihil injungatur, quod Aug. Confessioni aut Conscientiæ repugnat: demum *tertiò*: EODEM JURE etiam censeantur subditi catholici Magistratuum Augustanæ Confessionis &c. manifestò hìc stabilitur æqualitas inter utramque religionem eâ quidem ratione, ut, sicuti nihil Augustanæ Confessioni repugnans ex parte Catholicorum est injungendum Protestantibus, ita etiam ex parte Dominorum territorialium Protestantium nihil sit obtrudendum subditis catholicis, quod Religioni catholicæ, & R. C. conscientiis foret contrarium; quidquid igitur contra Religionis Catholicorum principia eorúmque conscientiam impingit, id omne in Processibus Dominorum territorialium A. C. contra suos subditos

catho-

catholicos aperta Pacis litera inhibetur *a*). Id enim Proteſtantes ſubditi à Dominis territorialibus catholicis jure prætendunt, cur non ex EODEM JURE, & principio mutuæ & exactæ æqualitatis ſervandæ id prætendant viciſſim ſubditi catholici à Magiſtratibus A. Confeſſionis?

a) Cf. cit. DÜRR *Diſſ. cit.* & ex Proteſtantibus SCHOTT *l. cit.*

§. VIII.

Præmiſſum hoc generale principium in P. O. ſtabilitum ſi ad facultatem diſpenſandi controverſam applicetur, quis non videt, ſi jus illam elargiendi ſubditis catholicis ab eorum Domino territoriali A. C. vindicetur, manifeſtam vim inferri conſcientiis Catholicorum, lædique eorum Religionis principia in hunc usque diem à Catholicis conſtanter agnita? His enim *Matrimonium eſt verum novæ legis Sacramentum à Chriſto Eccleſiæ noſtræ fundatore inſtitutum*: Catholici omnes profitentur, quòd Eccleſia ſola catholica habeat ſibi conceſſam & quidem immediatè à Chriſto *omnium Sacramentorum curam*, adjuncta ſimul poteſtate legislatoria, vi cujus omnia, quæ partim Sacramentorum ſuſcipiendorum honori, partim eorum validitati forent minus convenientia inhibere, vel ea quæ commune ovium bonum, tranquillitas aut animarum ſalus poſtulaverit, præcipere poſſit & ſtabilire, adeo ut *in cauſis ſpiritualibus & ſacramentalibus* vi principiorum ſuæ Religionis catholici nullam aliam poteſtatem legislatoriam agnoſcant, nec aliam ſalvis ſuis conſcientiis agnoſcere valeant, quàm Epiſcopalem; itâ porro in negotio diſpenſationis elargiendæ in impedimentis matrimonium dirimentibus, à quâ dependet valor *Sacramenti matrimonii* alium ſuperiorem non recognoſcunt quàm eccleſiaſticum *a*). Quodſi igitur Dominus territorialis A. C à ſubdito catholico, ut diſpenſationes à ſe datas circa Sacramentum matrimonii ceu validas recognoſcat, prætenderet, urgerétque, principia Religionis C. vulneraret, atque catholici ſubditi conſcientiæ vim inferret, quod Inſtrumentum Pacis Osnabrugenſis (§. VI. præc.) diſertè prohibet.

a) Cf. de RIEGGER *Inſtit. Jurisprud. eccleſ. P. IV.* §. *CXC.* DÜRR *Diſſ. cit. à* §. *XI. ſeq.* SCHOTT *in ſua Critica l. cit.*

§. IX.

Ad Transactionem religioſam memoratam ceu præcipuum doctrinæ Moſerianæ fundamentum nunc progredior: Pax illa non diu poſt ſolennem & univerſalem Pacem Osnabrugenſem inter Fridericum Wilhelmum Electorem Brandenburgicum & Philippum Wilhelmum Ducem Palatino-Neoburgicum

gicum

gicum a. 1673. conclusa fuit, atque determinat Religionis exercitium subditorum pro Ducatibus Juliacensi, Montensi, Clivensi &c. de valore ejusmodi Pactorum P. W. posteriorum non est cur dubitetur *a*); verùm utrum transactio Pace Osnabrugensi recentior eatenus iniri possit, ut hinc inde subditorum catholicorum Religionis principia ad nihilum redigantur, Catholicorum conscientiæ quàm maximè graventur, atque ab his quidquam prætendatur, quod principia suæ Religionis & conscientia illicitum invalidúmque esse docent? hoc est, quòd Catholici constanter diffitentur, atque ipsi Paci Osnabrugensi, quâ omnia conscientiarum gravamina inhibentur, atque principia Religionis catholicæ quoad exercitium salva esse jubentur, è diametro adversatur; quodsi igitur Mosero concedendum foret transactione istà speciali *jus dispensandi* in impedimentis matrimonium dirimentibus solùm & unicè *Domino territoriali* reservari: cùm tamen jus dispensandi circa matrimonii Sacramentum spirituale sit, atque illud potestati Episcopali adimi atque in Dominum territorialem transferri quoad subditos catholicos, horum conscientiæ & Religionis principiis repugnet, eatenus pactum illud haud subsistere meritò prætenditur.

a) De pactis hujusmodi Cf. BARTHEL *Diss. de justis pactorum inter Dominos territoriales eorúmque Status provinciales & subditos limitibus* ed. Wirceburgi 1771. *recusa in Thesauro J. E. germ. T. IV. n. X.* atque MOSERUS *cit. tractatu von der Landeshoheit im Geistlichen p. 337. seq.*

§. X.

Verum absit, ut ambo paciscentes pacto isto speciali catholicorum principiis eorumque conscientiis vim inferre, atque circa subditos catholicos sibi jus dispensandi privativè reservare voluerint, quin potiùs finita pace illa mox potestatem ecclesiasticam quoad jus dispensandi in impedimentis matrimonialibus omnino integram conservandam esse ipsis placuerit, ceu testis est Recessus eodem anno & die conditus, qui ita habet: "Nachdem auch bey Verlesung des heut dato unterschriebenen Religions-Recess, noch ein und anderes von Chur-Brandenburgs Liebden und unseren Räthen erinneret, und darüber gleichfalls sichere Abred getroffen worden, wie von Puncten zu Puncten hernach folget: §. 9. Obwohl seiner churfürstl. Durchl. als Landesfürst bey dem Recess die Dispensation in Matrimonialibus vorbehalten, weilen sie dannoch den catholischen Unterthanen NB. die Gewissensfreyheit in allem gnädigst gern gönnen, so ist verglichen, dass obgedachten catholischen Unterthanen freystehen solle, nach Anweisung der catho-

lischen

lischen geistlichen Rechten bey ihrer Geistlichkeit in gradibus prohibitis die Beruhigung ihres Gewissens gehörigen Orths zu suchen und zu erhalten, und daſs ehe und bevor solches geschehen, die Pastores solche Personen wider ihr Gewissen zu copuliren keineswegs angehalten werden sollen." En redintegrata rursus Catholicorum principia! ut in impedimentis matrimonialibus dispensationem à superiore suo catholico petere eorum conscientiis relinquatur, neque ad matrimonium, sinè præhabita illâ dispensatione, ineundum cogi queant: Igitur ne umbram quidem præsidii suæ opinionis in Transactione illa speciali reperit MOSERUS *a*).

a) Mirandum porro est, MOSERO incidisse, quòd ex Transactione quæstionata in favorem Domini territorialis protestantici dispensandi potestatem elicere haud erubuerit, cùm ex Recessu recentiori, qui eum latere vix potuit, sinè dispensatione superioris ecclesiastici nullum esse matrimonium satis pateat.

§. XI.

Imo, quodsi ambo paciscentes mentem suam, qua principia Catholicorum salva esse vellent, Recessu isthoc recentiori non manifestâssent, nihilominus ex textu pacis hujus specialis erui haud posset, quod pro Dominis territorialibus A. C. inde deducere conatur MOSERUS, videlicet, ut illi saltem subditi catholici eorum potestatem dispensandi revereantur, quibus Dominus territorialis ex mera gratia beneficium tolerantia elargitur: Etenim Pax illa religiosa, ubi dispensationem ipsam Domino territoriali reservat, generaliter disponit haud distinguens, inter subditos catholicos, quorum exercitio Religionis favet annus regulativus, atque inter eos, qui ex sola Principis gratia ad exercitium Religionis suæ post annum normalem in territorio admittuntur, igitur tam de his, quàm de illis pactum intelligendum foret; aut igitur ad omnes omnino Religionis catholicæ Subditos universaliter hæc dispositio pacis pertinet, quod MOSERUS diffitetur, aut si de Subditis ex anno normali in possessione sui exercitii existentibus non disponat, neque de aliis post annum regulativum admissis vel admittendis intelligenda venit, præcipuè quia utrobique eadem omnino subest ratio, videlicet: ne principia Religionis catholicæ subvertantur, atque Catholicorum Conscientiæ prægraventur, quod tamen ambo paciscentes ut averterent, in fata transactione maximè fuerunt solliciti: e. g. *Articulo XI.* §. 4. ibi "In denen Fällen aber, wann zwischen Römischen Catholischen und Evangelischen Unterthanen Ehestreit vorfället, folget der Actor das Forum rei, und wird der

Evan-

Evangelische nach deren von den Evangelischen angenommenen, der Römisch-Catholische aber NB. nach den Römisch-Catholischen geistlichen Rechten insonderheit in puncto divortii & repudii gerichtet." *a*)

a) *Adde Artic. VIII.* §. 10. ibi "Es bleibet oftgedachten Reformirten und Lutherischen bevor, in der Fasten auch am Freytag und anderen Römisch-Catholischen Abstinentstägen in ihren Häusern Fleisch zu speisen, wann sie nur ihr Römisch-Catholisches Hausgesinde wider ihren Willen solches zu essen nicht anhalten;" ex quibus manifesta redditur sollicitudo paciscentium, qua principia & conscientiæ Catholicorum ut illæsa servarentur, præcavebant? quis igitur credat in materia dispensationis in impedimentis matrimonialibus potestatem ecclesiasticam contra principia & conscientias Catholicorum in eadem pace mansisse exclusam?

§. XII.

Verùm id saltem de catholicis Subditis post annum normalem ad territorium admissis adfirmandum esse censet MOSERUS ex eâ ratione; quòd ejusmodi Catholicis, si tolerari velint, multa placere debeant, quæ quoad alios locum non habeant; quibus beneficium tolerantiæ eâ sub conditione ex Principis gratia cessit, ut potestatem territorialem A. C. in dispensando recognoscere teneantur, quæ enim repugnantia in eo, quòd Subditi catholici illi cogantur, ut aut renuntient beneficio tolerantiæ, aut conditionem sub quâ adimpleant *a*)? Sed eadem semper urget Ratio, quod Dominus territorialis A. C. Subditis catholicis imponere nihil possit, quod eorum conscientiæ & principiis adversatur: quod ipsum nequidem Ratione Judæorum locum habet, qui si tolerantur utut ex mera gratia, tolerandi sunt secundùm Principia Religionis suæ, nisi in hac tolerantia sub conditione eorum principiis & conscientiæ repugnante data Contradictionem admittere velis; ita quoque nemini Catholicorum, etsi post annum normalem territorium A. C. ingressi imponi potest, ut Dispensationem suam territorialem exclusâ Ecclesiæ potestate tanquam validam agnoscat, quam invalidam & irritam esse ipsum sua conscientia ex principiis Catholicorum docet *b*).

a) Videat. Ant. SCHMIDT *in suo Thesauro J. E. G. T. IV. p.* 673.

b) Dico: *exclusa Ecclesiæ potestate:* aliud enim est, si Dominus territorialis velit à se quoque præter potestatem ecclesiasticam dispensationem peti, quoad effectus civiles, quod principiis Catholicorum non obstat.

§. XIII.

§. XIII.

Atque id ipsum professus fuit REX BORUSSIÆ in rescripto, quod in simili casu dedit ad Regimen Principatus Halberstadiensis die 1ma Aprilis 1749. quod exhibet Joan. Hen. von JUSTI in der Anweisung zu einer guten deutschen Schreibart p. 264. n. 4. ibi "*Wir hätten nichts weniger von euch erwartet, als dergleichen Fragen und Vorstellungen, die ihr uns in euerem Schreiben vom 12ten Febr. zu Ohren bringet, und welche die Beschwerden des Catholischen Innwohners &c. betreffen: da doch die Entscheidung dieses Vorfalls in dem Westphälischen Frieden mit deutlichen Worten enthalten ist. Wir weisen euch daher einzig und allein aufm 48. §. Art. V. dieses Tractats, damit er euch sowohl in diesem als andern ähnlichen Fällen zur Richtschnur diene. Dann obgleich die geistliche Gerichtbarkeit des Pabst und seiner Bischöfe in den protestantischen Staaten des deutschen Reichs aufgehoben, und mit der landesherrlichen Gewalt vereiniget ist, so ist doch zugleich in diesem Tractat verordnet, daß er einem protestantischen Fürsten eben so wenig vergönnet sey kraft seiner geistlichen Gerichtsbarkeit, einem Römisch-Catholischen Untertbanen zu einer Handlung zu zwingen, welcher sein Glaub und sein Gewissen widerstreitet, so wenig als einem Catholischen Fürsten erlaubt ist, einen Untertbanen, der sich zur augsburgischen Confession bekennet, mit diesem Zwang zu belegen. Ihr würdet daher einen offenen Friedensbruch begehen, wann ihr die Dominicaner mit Gewalt zu einem Bezeigen zwingen wolltet, welches sowohl den Concilien, worauf sie sich gründen, als den Grundgesetzen der römischen Kirche zuwider ist: denn indeme sie gedachtem N. die Absolution und das Abendmahl versagen, so geschiebet ja dadurch kein Eingriff in unsere Rechte, welche uns in Ansehung der Dispensation in Ehesachen zustehen, sondern sie thuen anderst nichts, als daß sie den Supplicanten von einem Genuß ausschliessen, dessen er sich durch seine in der Römischen Kirche verbothene Heirath selbst verlustig gemacht, und den er nicht verlangen kann, so lang er ein Mitglied dieser Kirche ist, wenn ihme anderst diese Grundsätze seiner Kirche und NB. die Nothwendigkeit der päbstlichen Dispensation nicht unbekannt gewesen sind.*" Quid in favorem Catholicorum Subditorum in negotio dispensationis pro controversia præsente clarius adferri potest? Non igitur credendum est, Dominos territoriales A. C. ut Subditis catholicis ex mera etiam gratia toleratis dispensationis suæ valorem agnoscendum imperent, hac Moseri doctrina unquam persuaderi.

§. XIV.

§. XIV.

Ostensâ necessitate Dispensationis à Superiore ecclesiastico impetrandæ, atque insufficientiâ Dispensationis territorialis A. C. quoad Subditos catholicos: alia & quidem gravis sese prodit quæstio: quis sit ille superior ecclesiasticus inter Catholicos, qui dispensationem largiatur, si contractis sponsalibus inter sponsam catholicam & sponsum A. C. detegatur impedimentum matrimonium jure ecclesiastico dirimens, atque causæ justæ tales subsint, ex quibus inter Catholicos in ejusmodi impedimentis dispensari solet? difficultas inde oritur, quòd Catholicis matrimonia cum hæreticis sint graviter prohibita, atque Summus Pontifex in ejusmodi casibus dispensat nunquam, nisi cum clausula: *abjurata priùs hæresi*, eò quod hæretici indigni sint, qui ab Ecclesia catholica, à quâ sponte discessum fecerunt, cujus obedientiam & jurisdictionem detrectant, gratiam dispensationis impetrent; quare cûm Episcopi dispensandi potestatem in impedimentis dirimentibus habeant à Pontifice, neque illi dispensare possunt in illis casibus, ubi in Curia Romana negatur dispensatio, igitur, in casu adlato sponsi, utut causæ justæ dispensationem exigant, omni spe dispensationis destituti esse videntur.

§. XV.

Hac in re docet Celeberrimus BARTHELIUS *a*) sequentem in modum: *Romæ non solet dispensari quoad impedimentum, si una pars sit catholica & altera hæretica, vel si dispensatur, additur clausula*: ABJURATA PRIUS HÆRESI. *Hinc quæritur*: An in præfato hoc casu saltem Episcopus dispensare posset? *Resp. affirmativè.* Sed quomodo poterit Episcopus, cûm non dispenset Pontifex? *Resp. Papa non dispensat ex ratione status, ne unquam pacto religioni præjudicioso consentire videatur, Episcopi autem vivere debent ad normam statûs imperii, & juxta systema hujus status in imperium introducti dispensare possunt, quia ex duobus malis minus est eligendum.*— BARTHELIUM sequitur P. SCHMITT in suis Institutionibus J. E. U. L. III. Tit. XIV. §. XXXV. l. q. in notis: ibi "sed quid in casu, ubi una pars est catholica & altera Acatholica? Respondetur: quamvis in tali casu Romæ non aliter dispensetur ac cum clausula: ABJURATA PRIUS HÆRESI, in germania tamen ob rationem status in imperium introducti hæc facultas Episcopis competere videtur.

a) L. IV. Decret. p. 318.

§. XVI.

§. XVI.

Quodsi adsint tales causæ justæ, quæ Dispensationem urgerent, inter Catholicos, extra dubium omne versari arbitror, opinionem erudit. Barthelii sustinendam esse, ut gratia Dispensationis ab Episcopo Germaniæ indulgeri queat; Etenim Ecclesia nostra, Mater indulgentissima succurrere semper consuevit illis, quibus aliud remedium non superest famam suam integram conservandi, atque in illum finem unicè intendit, ut animarum periculum evitetur, ne è sinu illius cum æternæ salutis suæ discrimine oves aliò divagentur, paucis: ut periculum præsentissimum perversionis præcaveatur. Quodsi igitur casus eveniat, sponsam catholicam de corporis sui integritate à sponso A. C. sibi in tertio gradu consanguineo ex infirmitate vulnerata conqueri, atque ingemiscere pro matrimonio ceu unico contra infamiam, atque periculum, ne ad sacra A. C. transvolet, sese tuendi remedio, cur Ecclesiam hìc adeò immisericordem dicam, ut sponsam illam diffamandam, innuptam, æternæ damnationis, & perversionis discrimini præsentissimo expositam potiùs relinquere malit, quàm impedimentum hoc dispensari solitum eatenus tollere, ut matrimonium illud, ad evitanda mala hæc gravissima indulgeatur?

§. XVII.

Eò magis autem hæc momenta urgent pro Germania, in qua Matrimonia inter Professores Religionis inæqualis, Legibus tamen Imperii fundamentalibus receptæ & toleratæ, non sunt inaudita, in qua Leges ecclesiasticæ communes de hæresi, & hæreticis disponentes ad A. C. asseclas non tantum applicari nequeunt, sed & ut applicentur per expressas Imperii Constitutiones est prohibitum; adeo ut clausula illa: *abjurata priùs hæresi*: non solùm pro Germania quoad Religiones toleratas sit impracticabilis; sed etiam Legibus Imperii adversetur; *a*) Is igitur est nostræ Germaniæ Status, ut ex causa trium in Imperio receptarum ac toleratarum Religionum vi Pacis Osnabrugensis multa fieri, ac tolerari queant, imò debeant, quæ Pace illa non conclusa indulgeri haud potuissent.

a) Cf. *art. V. P. O.* — *Capit. noviss. art.* 2. in fine & *edictum* ab Augustissimo Imperatore Carolo VI. a. 1715. hàc in materia emanatum, quod extat apud Schmaus in *Corp. jur. publ. acad. p.* 1510.

VIII.

DISSERTATIO

JURIS ECCLESIASTICI PUBLICI

DE EO:

Quod circa Recursum ad Celsissimum Judicium Imperiale aulicum in ecclesiasticis ex legibus germaniæ speciatim obtinet.

Occasione Provisionis Archiepiscopalis ex Jure devoluto in Ecclesia San-Severiniana Coloniensi Anno 1771. *factæ, in Curia Romana contradictæ atque in eodem Celsissimo Judicio* 1776. *vindicatæ edita.*

Unà cum

Responso Juris in eadem Causa dato à Celeberr. Facultate Juridica Wirceburgensi.

§. PRÆLIMINARIS.

Recursûs ad Celsissimum Judicium Imperiale in Ecclesiasticis fundamentum, atque scribendi occasio.

Quòd Natio nostra germanica specialibus gaudeat Prærogativis, Juribus, & Privilegiis ac Libertatibus, hodie est inter Eruditos nemo, qui ignoret; neque desunt, qui singularis prorsus eruditionis elucubrationibus particularia Germanorum jura contra eorum impetitores solidè vindicârunt *a*); ast, cùm non infrequens esse historiæ monumenta prodant, quòd Nationem germanicam in suis juribus fuisse læsam contigerit *b*), Libertatibus Ecclesiarum germaniæ non satis consultum foret, nisì efficacissimum superesset remedium illas in casu læsionis sartas tectásque conservandi; Remedium autem istud est famosus ille, ad Augustissimum illiúsque Celsissimum Judicium RECURSUS, quo Imperator, ut jura Ecclesiarum germaniæ protegat, læsiones avertat, gravamina illata è medio tollat, imploratur.

Ut itaque securior Natio germanica in suis juribus evaderet, in Capitulatione Cæsarea Articulo XIV. §. 1. & 3. *c*) solennis ab Augustissimo spondetur Protectio, cujus ea vis est & effectus, ut liber ad Imperatorem pateat Re-

Recursus, quoties de protegendis Ecclesiarum germanicarum juribus & amoliendis præjudiciis agitur; quare non immerito hujus Recursûs remedium in Capitulatione Cæsarea ceu Lege fundamentali Imperii contineri asserimus, quanquam nobis ignotum haud sit, eam summi in Republica Imperantis Protectionem suarum Ecclesiarum ex Jure, quod is circa sacra obtinet, quoque derivari *d*).

Is Recursus quòd à multis retrò temporibus in hodiernum usque diem frequentatus fuerit, plurimis exemplis judicatísque constat, ut inutilis labor prorsus foret, si ejus rei veritatem probandam ulterius susciperemus, quippe quod ab aliis abunde satis fuisse præstitum, nobis compertum sit *e*) utut autem notissimus sit Recursus iste veluti medium efficacissimum jura nostra germanica illæsa conservandi, læsáque vindicandi; non adeò tamen satis notum esse comperimus, in quibus causis individualibus hìc Recursus pateat, atque Celsissimi Judicii Imperialis Aulici Jurisdictio fundata sit; cùm 1) Remedium isthoc etiam ab iis adhuc negligi experientia testis sit, qui certo certius justitiam, suisque in juribus manutenentiam in eodem judicio sperare jure optimo possint; ex alterâ verò parte, Judicium illud quandoque frequentatum fuisse referat MOSERUS *f*) in causis, quæ ab eodem admissæ haud fuere. Atque hæc est occasio, cur præsentem elucubrationem, de eo, quod circa Recursum ad Celsissimum Judicium Imperiale Aulicum ex Legibus germaniæ in ecclesiasticis speciatim obtinet, aggressi simus; ad quatuor autem potissimum Capita Dissertationem istam revocamus; I. *quoad Collationes & Resignationes beneficiorum simpliciter*, II. *quoad Dispensationes*; III. *quoad Leges ecclesiasticas particulares Diœcesium*; IV. *quoad Collationes beneficiorum ex jure devoluto*. Sit itaque

a) ENDRES Diss. *de vero & genuino Libertatis ecclesiarum germaniæ fundamento*, ed. Wirceb. 1774. recusa *in Thes. J. E. G. Schmittiano T. V. N. XI.* THIERY *de Libertate Ecclesiarum germaniæ Concordatis vindicata*, quæ extat in Fascic. III. ad Conc. germ. N. XVI.— ZALLWEIN *Princip. J. eccles. T. IV.* STECK *Vindic. libertat. eccles. germaniæ.* ESTOR Freyheit der deutschen Kirchen, 1766.

b) Vid. *Concord. Nat. germ. integra T. II. p.* 90. Atque tot jurium germaniæ læsorum exempla adferri possunt, quot adsunt Celsissimi Senatûs Imperialis judicata, quibus ejusmodi contraventiones fuerunt impeditæ; Conf. *Literæ Collegii Electoralis ad Augustissimum de* 19. *Martii* 1764. *in Concord. N. G. T. I. p.* 343.

c) Extat

c) Extat in Corpore Juris publici & ecclesiastici germaniæ Academico-Rieggeriano p. 817. ed. 1764.

d) Profectò in jure, quod circa sacra Ecclesiarum jura Imperanti in Republica competit, continetur quoque Recursus ad eundem, si Ecclesiarum juribus damnum inferatur.

e) Multi profectò hoc argumentum pertractârunt, ex quibus Cf. ANT. SCHMITT Diatribe *de Imperatore Concordatorum protectore in Thes. J. E. T. I.* — EJUSDEM Diss. *de Imperatore Statutorum in Ecclesiis germanicis protectore in eod. Thes. T. II. p.* 340. DISS. nostra *ad Concordata germaniæ quæ extat in Fasciculo III. ad Conc. germaniæ p* 205.

f) In seinem Reichs-Staats-Handbuch auf die Jahr 1769, -75. Erstes Buch, p. 425. — In Sachen *Goyens* contra *Præpositum* & *Capitulum* Ecclesiæ Collegiatæ B. M. V. Moræci, nec non Ægid. *la Peye* Mandati puncto Infractionis Concordatorum Nationis germanicæ wurde vom Reichs-Hofrath erkannt den 10. Jun. 1771. *Casum Concordatorum hic non subesse*; dahero die Sache ad Judicem ecclesiasticum ordinarium remittiret wurde. — *Martini* contra *Walthour* ibid. p. 427. "*petitis partis impetrantis pro nunc locus non est, sed incumbit ipsi præprimis exceptiones sub- & obreptionis Collationi Papali oppositas in Curia Romana deducere salvo ad S. Cæsaream Maj. recursu in casu, quo per decisionem dictæ Curiæ Romanæ se contra Concordata Leodiensia gravatum putet.*— &c.

CAPUT I.

De fundato ex Legibus germaniæ Recursu ad Judicium Imperiale Aulicum quoad Collationes & Resignationes Beneficiorum simpliciter.

§. I.

Cùm non in quibuslibet Causis Ecclesias germaniæ concernentibus huic Recursui locus sit, neque omnes à Consilio Imperiali admittantur, ceu ex antedictis §. prælim. (l. f.) liquet, oportet, ut principium quoddam generale præmittamus, ex quo manifestum fiat, num in hac aliáve causa eidem recursui locus detur; igitur præprimis probè dispiciendum erit, an ejusdem Consilii jurisdictio in causa enata fundata sit? Neque enim unquam illæ controversiæ dijudicandæ ibidem assumentur, quæ extra jurisdictionis illius limites versantur; Principium autem fundatæ ejusdem jurisdictionis ex Capitulatione Cæsarea supra citatâ erui posse arbitramur: *quoties scilicet*

Ju-

Juribus Ecclesiarum germaniæ, quæ vel in Concordatis pactisque legitimè initis, Privilegiis concessis, Legibus ecclesiasticis specialissimis, Statutis Ecclesiarum Collegiatarum justis, atque *consuetudine legitimè obtenta continentur, vis infertur, gratias concedendo, rescribendo, dijudicando, providendo, Resignationes admittendo, dispensando*, cet. *a*) *totidem in Casibus eidem Recursui patere locum existimamus*; Neque autem omnes omnino casus individuales ut adferamus, cùm sit possibile, quatuor ex his modis selegimus (§. præelim.) quibus Ecclesiarum germaniæ jura infringi queant, ad effectum fundari ad Augustissimum Recursus.

a) Cf. *Capit. Cæs. Art.* 14. §. 1.

§. II.

Primus, quo jurium germaniæ læsio evenire potest, ex parte *Resignationum Beneficiorum*, quæ *in favorem* dici consueverunt, atque in Curia Romana admitti solent, versatur; idque demum varia ratione evenire potest, aut Resignationes *admittendo*, aut eas, prout LL. germaniæ exigunt, tempore statuto, *non publicando*; Porro in illarum admissione jura germaniæ variis modis violari possunt, dum vel beneficiorum quæ resignationi haud sunt obnoxia, si contra Statuta Ecclesiarum Collegiatarum prohibitiva, si modo indebito Resignationes fieri admittique contigerit.

§. III.

Quodsi *Resignationum in favorem* natura curatius perpendatur, ea talis est, ut Juribus Collatorum ordinariorum germaniæ è diametro obstare, atque Nationis nostræ *Concordatis* adversari videatur: ajunt enim Concordata §. *De ceteris — Idem Sanctissimus Dominus noster per quamcunque aliam Reservationem, gratiam exspectativam aut quamvis aliam Dispositionem sub quacunque verborum forma per eum aut ejus auctoritate factam vel fiendam non impediet quominus de illis* in alternativa *liberè disponatur per illos, ad quos Collatio provisio præsentatio electio, aut alia quævis dispositio pertinebit.* Quis ex adlato Concordatorum textu primo statim intuitu non videt Resignationes in favorem reprobari? quotidiana enim praxis est, quà admissis Resignationibus in favorem de Beneficiis resignatis disponens Sanctissimus impedit, quominus ordinarii Collatores de Beneficiis, dum in suis mensibus vacant per obitum, providere queant *a*); Equidem non ignoramus, in Concordatis Sedi apostolicæ reservari beneficia, quorum facta renuntiatio & Authoritate ejusdem admissa extiterit: verùm restringenda esse

verba

verba Concordatorum ad casum renuntiationis ob electionem vel postulationem pridem monuit AUTHOR Libelli *Concord. Nat. germ. T. I. p.* 149. Et si resignationes in favorem in Concordatis probarentur, ordinarii Collatores, dum alternativa iis conceditur, in suo jure providendi facilè turbari imo penitus impediri possent; extra omne itaque dubium versari credimus, quòd Augustissimus suam Protectionem interpositurus sit, si contra ejusmodi resignationes in favorem imploretur *b*).

a) De RIEGGER *Inst. J. E. P. II. p.* 205. — Diss. NOSTRA *de non vulneranda Regula Cancell.* &c. 1777. SCHMIDT *Inst. J. E. T. II. p.* 30. ut nonnemini mirum prorsus videri debeat, quòd Resignationes in favorem Concordatis stabilitas esse voluerit SCHLOER *Discept. de Reservat. benef. ex qualitate vacationis per Resignationem ad textum Concordatorum &c.* 1777.

b) Cap. Cæs. Art. 14. §. 1. Wir sollen und wollen auch ... unser beßtes Vermögen anwenden, daß ... die Concordata beobachtet ... und dagegen durch unförmliche Gratien ... und sonderlich RESIGNATION dann darauf unternehmende Collation ... in keine Weise gehandlet.

§. IV.

Alia dum Resignationes in favorem admittuntur, praxis est, quâ emissum de non resignando in favorem juramentum aut penitus non attenditur, aut prævié relaxatur; frequentissima autem sunt ejusmodi juramenta, quibus Ecclesiæ sibi cavent contra Resignationes in favorem; quarum nonnullas adfert WÜRDTWEIN in suis Subsidiis diplomaticis *a*). In Ecclesia Collegiata S. Gereonis Coloniæ in vim Statutorum Canonici jurare tenentur: *Præbendam meam in Ecclesia S. Gereonis non permutabo aut Successorem in eadem procurabo, nec permutationes seu successiones aliquas hujusmodi ibidem ab aliquo fieri consentiam præter voluntatem & Consensum totius Capituli Ecclesiæ S. Gereonis b*). Ejusmodi tamen juramentis inattentis aut relaxatis Resignationes in favorem quandoque admittuntur; ast nonne jure merito Collatores ordinarii hisce Resignationibus contradicent, beneficia isthæc conferent, atque si Collisio inter provisum jure ordinario, & resignatarium oriatur, fundatus erit Recursus ad Augustissimum Statutorum Protectorem? siquidem disertis verbis Cap. Cæs. §. 3. habeat: auch darob und daran seye, daß die ... Concordata und ... Statuta gehalten, gehandhabet ꝛc. Disputare autem inpræsens nolumus, an Summo Pontifici relaxandi ejusmodi juramenta facultas competat: cùm certum sit & satis, Augustissimum, ut statuta jurata conserventur, & ne juribus ordinariorum vis inferatur, curaturum esse, si imploretur.

a) *T. II. p. 368.* Item *in Comment. Archidiaconat. T. I. p. 155.*

b) Simile eſt juramentum Vicariorum ejusdem Eccleſiæ; tale quoque juramentum extat in Statutis Canonicorum Eccleſiæ Villicenſis.

§. V.

At major videtur ſupereſſe difficultas in Eccleſiis quibusdam Collegiatis mixtis, ubi *Canonicorum* Præbendæ omnes ad Collationem Abbatiſſæ pertinent, atque Statuta illorum expreſſis verbis quidem jubent, ut Canonici, ſe ſine illius conſenſu non reſignaturos fore jurent, ſed juramentum iſtud hactenus omiſſum neglectúmve fuit, an ejusmodi Reſignationes in favorem recognoſcere Collatrix teneatur? an verò contradicere, atque beneficium ſi vacet per obitum reſignantis jure ordinario conferre, & ſi Reſignatarius jus ſuum urgere pergeret, Proviſus à Collatrice in Celſiſſimo Judicio Imp. aulico Manutenentiam ſperare queat a)? nobis extra omne dubium eſſe poſitum videtur, eo etiam in Caſu Recursui iſti locum eſſe, etenim licet juramentum de non reſignando, ùtùt id exigant ſtatuta, non emittatur, ejusmodi tamen Reſignationes in favorem Statutis adverſantur, quorum litera, etſi non juretur, ſemper loquitur, quæ violari nunquam ſinet Augustissimus ejusmodi Statutorum Protector; neque obeſt, ſtatutis iſtis, frequentatis hactenus Reſignationibus in favorem, pedetentim eſſe derogatum, jura enim expreſſo Statutorum tenore Dignitati quæſita in Præjudicium Succeſſorum abdicari haud poſſunt, atque quòd unà alterâve vice ejusmodi Reſignationibus non fuerit contradictum, tacitus eorum, quorum intereſt, conſenſus acceſſiſſe præſumitur, ex quo ſtatutis, atque juri Collatorum ordinariorum hisce Reſignationibus contradicendi nullum præjudicium generatur.

a) Scimus ejusmodi Eccleſiam Collegiatam exiſtere, ubi Statuta præſcribunt juramentum de non reſignando ſine Conſenſu Abbatiſſæ, quod tamen non exigitur, frequentatis interim ſecurè Reſignationibus in favorem.

§. VI.

Præterea noviſſimè dubitabatur: quatenus in Beneficiis juris patronatûs reſignatio in favorem locum habeat, atque ubi Reſignatio perperam facta, admiſsáque fuerit Romæ, Recurſus ad Celſiſſimum Judicium Imp. aulicum locum habeat? in dubio iſto certum expeditúmque eſt, ſi Beneficium fuerit juris patronatûs laici, atque Patronus in Reſignationem conſentire recuſet, ejusmodi Beneficiorum Reſignationes aut non admitti, aut admiſſas veluti ſub- aut obreptitiè obtentas in ipſa Curia Romana haberi, in quà juris patronatûs laici ſum-

ſummus ſemper favor habetur: quodſi verò juris patronatûs eccleſiaſtici Beneficium fuerit, conſuetudo paſſim atque opinio vulgaris hactenus obtinuit ejusmodi Beneficia indiſcriminatim Romæ, ùtùt Patronus eccleſiaſticus diſſentiat, in favorem reſignari poſſe, impetrato prævié teſtimonio idoneitatis; aſt res aliter omnino ſe habet, ſi Art. XIV. §. 1. Cap. Cæſareæ attentiùs percurramus: promittit ibi Imperator ſe curaturum; *ne in Curia Romanâ admittantur Reſignationes illorum Beneficiorum, quæ aliàs per obitum nunquam ad Curiam Romanam devolvuntur*, quare omnia illa Beneficia, quæ non ſubſunt alternativæ Menſium in Concordatis definitæ, qualia ſunt omnia curata in Germania atque plura alia Beneficia ſimplicia, de quibus Patronus eccleſiaſticus ſemper ac omni tempore providit, ſi vacent; &c. ſine Conſenſu patroni perperam âc nulliter reſignantur, atque contra Reſignationes ejusmodi vi Cap. Cæſareæ Manutenentia Auguſtiſſimi juſtè imploratur; opus igitur non fuiſſet, dum vacabat Beneficium quoddam ſimplex in Eccleſia A. ab alternativa Menſium ſemper exceptum, tam anxiè inquirere: an fuerit Beneficium juris patronatûs laici an eccleſiaſtici *a*)? cùm ex Cauſis adlatis reſignari ſine Conſenſu patroni non potuerit; neque conſuetudinem reſignandi nobis opponas: Legi enim fundamentali Imperii ſeu Cap. Cæſ. ubi ejusmodi Reſignationes manifeſtò improbantur, actus moréſque privatorum non valent derogare; atque hæc omnia firmantur Reſcripto Caroli VI. ad Epiſcopum Hildeſienſem a 1740. 19. Julii; quo Proviſus à Patrono eccleſiaſtico contra Reſignatarium Romæ Proviſum de Beneficio per obitum ad Curiam Romanam nunquam devolvendo manutebatur *b*).

a) In dubio an ſit Jus Patronatûs laicum an eccleſiaſticum potiùs laicum cenſetur, præſertim ſi ex origine ſuâ laicum exiſtat, atque pleno jure Collegio eccleſiaſtico incorporatum nondum fuerit.

b) Verba reſcripti ſunt ſequentia: Wann nun wir alſo als ſupremus Advocatus & Protector Eccleſiarum & Capitulorum Germaniæ dergleichen Eingriffe keineswegs geſtatten können noch wollen: ſo begehren wir von Euer Liebden als Biſchofen zu Hildesheim hiemit freund-vetter-und gnädiglich ſo wohl obbeſagten Domdechant bey ſeinem Collations-Recht (Juris Patronatus eccleſiaſtici) auch deſſen Proviſum Joannem Walldorff in dem ruhigen Beſitze von jenem erhaltenen Præbend ad S. Joannem (contra Reſignatarium) kräftigſt zu ſchützen, und beyde darinnen von niemand beeinträchtigen zu laßen ꝛc. — Pariter dum nuper in Curia reſignaverat Moguntiæ Beneficium Altaris S. Sebaſtiani in equeſtri ad S. Albanum Juris Patronatûs eccleſiaſtici

Poſſeſſor

Possessor ejusdem D. NIEBERGER; D. Promotor Fiscalis eidem Resignationi sese opposuit, atque Resignatio vel uti Legibus Germaniæ contraria perperam facta judicata fuit; ità sanctè custodiuntur Leges & jura Nationis germanicæ in illis terris, dum interim alibi etiam Judices, qui tanquam jurium germanicorum vindices tales Violatores juris Patronatûs ecclesiastici coercere pœnis meritò deberent, Executores ejusmodi gratiarum informium potiùs esse amant. — Porrò: quem effectum habebit clausula illa, quam Curialistæ Resignationum bullis & stylo inserunt: *dummodo ejus Beneficii dispositio hâc vice ad nos pertineat*: sane nullum alium, quàm ut pateret summum Pontificem neque Concordatis vel Collatoribus inferioribus, Patronis etiam ecclesiasticis in juribus sibi quæsitis præjudicare velle. Plura alia quoad Patronos ecclesiasticos præjudicia adfert cl. SCHLOER Diss. *de Beneficiis per Resignationem in Curia vacantibus &c.* 1777. §. ult. Ubi disertis verbis tradit: *Beneficia omnia quæ alternativæ non subjacent sed quæ omni & quovis Mense vacant Patronis etiam ecclesiasticis, ope Permutationis vel Resignationis ad Curiam Romanam trahi nequeunt.* Quid non ità pridem in præjudicium adeò juris patronatus laici attentatum fuerit in Curia Romana, donec Rescriptum cassatorium J. I. aul. in Sachen zu Olpe Bürgermeister und Rath contra *Engelart* puncto juris patronatus laici 20. Aug. 1770. Kaiserliche Maj. hätten mißfälligst vernommen, daß derselbe wegen einer zu Rom erhaltenen Bullæ Subrogationis in jura litigiosa des vorgewesten Beneficiati *Ostebler* bey der sogenannten Kreuzkapelle unsern der im Erzstift Cölln gelegenen Stadt Olpe zu Rom die Sache zu bringen gewust, daß der nominirt und constituirte Beneficiat Schrage des nutzbar erlangten Genusses gedachten Beneficii nicht nur entsetzet, sondern wohl gar auch ermeldter Schrage annebst Bürgermeister und Rath zu Olpe in die erloffene Romanische Proceß-Kösten à 172. Ducaten verfället, und darüber exequirt werden sollen. Kais. Maj. könnten dergleichen zu Bedruckung der deutschen Kirchen-Freyheit abzweckendes Beginnen ihres höchsten Amts wegen nimmermehr zu ihrer Würklichkeit gelangen lassen, sondern erklärten vielmehr alles, was hierunter geschehen, für null und nichtig, und befehleten ihme Beklagten, sofort alles Ernstes sich sothaner päbstlicher Provision und der darüber ergangenen Sententiæ rotalis auch endlich gar erlangten Executorialien im geringsten nicht

zu gebrauchen, sondern vielmehr die Bullam prætensæ Subrogationis, nebst denen hierüber ergangenen ferneren Römischen Erkenntnissen einzusenden, auch von allem Recurs nacher Rom hierwegen abzustehen ꝛc. Porro addi merentur sequentia:

Den 13ten Novemb. 1761. in Sachen zu Thorn Abtißin contra Reüten erlassene Reichs-Hofraths-Conclusum.

1) Fiant Decreta Cæsarea gegen dem Impetratum sowohl als dessen Resignatarium Carl Reüten jedoch in separato dahin Ihro kais. Majestät hätten mißfälligst zu vernehmen gehabt, was maßen sich beyde hätten beygehen lassen zum grösten Abbruch und Præjuditz der Frau Impetrantin wohl hergebrachte Pfarrlehns-Gerechtigkeit nach Rom zu recurriren, mittels einer vermeintlichen Resignation in favorem daselbsten eine päbstliche Provision auszuwirken, und gar das Pfarr-Beneficium mit einer jährlichen Pension beschweren zu laßen: gleichwie nun Allerhöchstdieselbe dergleichen zum Bedruck der Freyheit der deutschen Kirchen gereichendes Beginnen von kaiserl. Amtswegen gar nicht genehmigen noch zu seiner Wirklichkeit gelangen laßen könnten, also wäre Ihro kaiserl. Majestät, wie hiemit ex officio geschehe, solches für null und nichtig zu erklären veranlaßet worden, befehlen solchemnach ihren beeden, nämlich dem Resignanti & Resignatario hiemit allergnädigst jedoch ernstlich sich sothaner päbstlichen Provision im geringsten nicht zu gebrauchen, sondern vielmehr selbige in Originali an kais. Majestät einzuschicken, fort dessen allerunterthänigste Befolgung binnen zwey Monaten so gewiß anzuzeigen, als sonsten auf fernere Anzeige schärferes kaiserl. Einsehen nicht ausbleiben würde.

2) Fiat Rescriptum Cæsareum an die Dechantin und das Capitul zu Thorn nachdem Ihro kaiserl. Majestät als Beschützer der deutschen Kirchen-Freyheit das ganze Resignations-Geschäft, welches der dasige Pfarrer J. M. Reüten mit seines Bruders Sohn vorgehabt, als sothaner Freyheit und dem juri patronatûs zuwiderlaufend auf beschehene allerunterthänigste Anzeige ex officio für null und nichtig zu erklären sich veranlaßet gesehen hätten, so ergehe hiemit kais. Majestät ernstlicher und gemessener Befehl an dieselbe, den vermeintlichen Resignatarium nicht zu installiren noch auf solche nulliter impetrirte Provision die geringste Rucksicht zu nehmen, vielweniger

aber

aber demselben einigen Genuß noch dem prætenso resignanti einige Pension von denen Pfarrey-Einkünften zukommen zu laßen.

3) Rescribatur der Frau Fürstin und Abtißin zu Thorn. Es wäre ganz wohl auch ihrer Schuldigkeit gemäß daran geschehen, daß kaiserl. Majestät dieselbe den Resignations-Vorgang des dasigen Pfarrer allerunterthänigst angezeiget hätten, gleichwie nun die Anschlüsse dieselbe des weitern belehren würden, was Allerhöchstdieselbe von kaiserl. Amtswegen darauf zu verordnen für recht und billig befunden hätten, also sollten Sie Frau Fürstin die Originalien deren Anschlüssen an ihre Aufschriften behörig insinuiren laßen, und auf deren Erfüllung von Obrigkeitswegen die Hand halten, fort für das zukünftige dergleichen Resignationen nicht geduldén, sondern so fern Ihr der Frau Fürstin dergleichen und sonstige andere der Freyheit deren deutschen Kirchen und dem juri patronatûs auf einigerley Weis præjudicirlich und anstößig scheinende päbstliche Bullen zugehen sollten, oder in ihrem Gebiet anmaßlich publiciret werden wollten, davon die Originalien oder doch beglaubte Abschriften zur Einholung kaiserl. Majestät allergnädigster Willensmeinung jedesmalen ohnverweilt einsenden, und so lang solche nicht erfolgt seyn würde, weder solche selbsten verkünden, noch daß es von andern geschehe, gestatten.

§. VII.

Ex historia quoque satis manifestum redditur, quòd post Concordata etiam Germaniæ, quibus collationi beneficiorum pro Germaniæ Ecclesiis norma est præscripta, Curia Romana cessaverit nondum patronos tum laicos, tum ecclesiasticos in suo jure patronatus turbare eidem variis modis derogando: quare pridem in famosis illis Comitiis Norimbergensibus de an. 1522. inter centum gravamina *a*) à laicis Principibus & Imperii Primatibus exhibita *de jure patronatus ecclesiastico* tria gravamina singulariter continentur: quorum primum est grav. XIV. *de attenuatione juris, quod vocant, patronatus. Item ... quorum beneficiorum jus patronatus ad laicos spectat seu* ECCLESIASTICOS, *tum conantur & Papalis Sanctitas & ejus Oratores, vel Legati juri huic derogare... Quapropter S. R. Imperii Status Sanctitatem apostolicam rogitant, ut talia gravamina atque onera aboleantur, & posthac beneficia vacatura, suo Patrono relinquantur, atque Statuto irrevocabili sanciendum, siquid à quopiam contra Patronos beneficiorum ordi-*

narios

narios... fuerit attentatum, *quod omne id nullius sit momenti*, *viribus careat*, *sitque ipso jure nullum*, *cassum & irritum*; statutum istud, quod Natio germanica tum à Pontifice non impetraverat, ex post Cæsar cum Imperio inter se pacti sunt, & statuerunt, vigore Capitulationis Cæsareæ sup. cit. se nunquam permissuros, ullam Romæ fieri Permutationem, aut Resignationem illorum beneficiorum cum præjudicio juris patronatûs etiam ecclesiastici, quæ nunquam per obitum vacant sanctæ Sedi. Alterum de eadem re gravamen est, *vigesimum*, quod *de Regulis Cancellariæ Papàlis super casibus futuris* ità habet... *Aliæ subinde novæ artes excogitari cœperunt*, *quibus beneficia ecclesiastica ex Germania Romam faciliùs pertraherentur... tum ad supremam opem... confugiunt*, *permutationum... atque alia id genus*, *quibus jus ordinarium Collatorum*, *ita exhauritur*, *& attenuatur*, *ut aut nunquam*, *aut vix tandem post multorum annorum curricula Patroni ac Collatores ordinarii ad jus suum patronatus pervenire possint.*—Demum in gravamine nonagesimo septimo *de Romanorum Pontificum Legatis* conqueruntur in modum sequentem: *conantur insuper beneficia*, *quæ patronatus juri subsunt conferre*, *& sic Patronis tàm ecclesiasticis*, *quàm sæcularibus in juribus suis derogare*, *penitusque eos privare*, *quod etiam merito aboletur.*

a) Occasione ista de famoso illo libello centum gravaminum Norimbergensium nonnulla adjiciamus. Notum passim est, quàm diversas in opiniones quoad gravamina illa divisi sint Catholicorum plurimi; quorum alii illa à solis protestantibus in odium Catholicorum composita fuisse asserunt: imò illa catholicis statibus imputari neutiquam posse, quia lutheranizare, doctrinas catholicas manifestè rejicere illa nemo non videt. DAHM *de jure Imperii Comit. circa sacra.* Mog. 1742. §. 18. Extat in Tom. V. Thes. Schmitt. p. 45. Cui accedit *Thesauri editor* in notis, alii quidem gravamina illa in Comitiis fuisse proposita, sed non tanto numero; viginti septem in iisdem Comitiis fuisse exhibita adfert ANONYMUS *Tom. III. Concord. germ.* p. 66.—De illis nostram sententiam habe istam: ex antiquissimo impresso de an. 1524 adeoque coævo, Coloniæ ad Rhenum *typis Quentellianis* cui titulus: *Gravàmina germanicæ Nationis centum à laicis principibus & Imperii Primatibus literis mandata ac summo Pontifici transmissa*: Eruitur 1) ea numero centum in Comitiis Norimbergensibus fuisse exhibita; 2) Illa non solum à statibus Imperii protestantibus esse composita, sed & à statibus catholicis laicis, quemadmodum ex peroratione constat in verbis:

se

ſe ſanctitati Pontificiæ tanquam obſequentes morigerosque filios, ceteris quoque-ſtatibus eccleſiaſticis ut in Chriſto Fratres & Commenbra Capitis ſe devoventes, obligantesque 3) illa quoque numero *centum* romano Pontifici ADRIANO VI. fuiſſe transmiſſa; verba enim finalia ità babent, *ne Germanorum, Principum Procerum atque romani Imperii ſtatuum conſultatio & concluſio ſanctitatem pontificiam fugere vel latere poſſent, placuit Gravamina per Capita centum ac ſigillatim ità ſcripta ſanctitati pontificiæ transmittere, eandemque bumillimè ac ſuppliciter pro abrogandis bisce oneribus rogare, obſecrareque.* 3) In Comitiis Wormatientibus à. 1521 potiorem partem Gravaminum illorum fuiſſe exhibitam Cæſareæ Majeſtati, ceu teſtis eſt idem libellus Gravamine 99, atque Gravamina in his Comitiis exhibita eſſe eadem illa, quæ adferuntur in *T. III. l. cit.* 5) Quæ verò in iis minùs æquè ſcripta, prolataque reperiuntur, eadem Proteſtantibus deberi non diffitemur.

§. VIII.

Indubitata prorſus Doctrina Canoniſtarum Germaniæ eſt, receptam à Natione noſtra eſſe regulam Cancellariæ *de viginti*, ſeu *infirmis*, non quidem quà talem, ſed velutì Legem particularem Germaniæ; *a*) qua eatenus conſervatur Collatoribus ordinariis jus integrum, ut ſi reſignans infra viginti dies à die præſtiti conſenſus in Curiâ computandos obierit, beneficium vacet *per obitum, non per Reſignationem*, atque juri ordinariorum ſubſit, duplici nihilominus modo regula iſta, quæ in legem Germaniæ tranſiit, violari ſolet: aut eidem ſimpliciter derogando, per clauſulam: *non obſtante Regula Cancellariæ de viginti*, vel *per antedatationem*, ùt inquiunt, dum data rejicitur in diem anteriorem, ut hac ratione dies illi viginti, quibus reſignans adhuc vivere debet, emergant; Eo in caſu Collatoribus ordinariis, atque ab iis proviſo Recurſum ſupereſſe ad AUGUSTISSIMUM dubitari non ſinunt aperta ſatis verba *Capit. Cæſ. cit. art. XIV.* neque deſunt reſcripta & judicata celſiſſimi Senatûs Imperii aulici, quibus ejusmodi derogationes veluti juribus Germaniæ contrariæ caſſabantur, atque ab ordinariis proviſi in ſuo jure manutenebantur. *b*)

a) Vid. SCHLOER *Diſſ. cit.* §. 33. Diſſ. cit. *de non vulneranda Regula Cancellariæ de viginti* — BARTHELIUS.

b) Unum Exemplum proſtat in Eccleſia Paderbornenſi a. 1748. inter L. B. de Fürſtenberg, reſignatarium, & L. B. de Wenge proviſum à Tur-

Turnario; resignante intra XX. dies mortuo apparuit resignatarius cum Bulla, expedita cum antedatatione; sed provisus ab ordinario obtinuit rescripta cassatoria: cf. MOSER Tract. von der deutschen Religions-Verfassung p. 679. seqq. notanter ibi Imperator: Ihro kaiserliche Majestät wollten solchemnach Capitulum Reichsväterlich ermahnet haben, für das künftige in dergleichen Fällen mit mehrerer Behutsamkeit zu Werk zu gehen... und durch Annehmung eines so irrig- als der Folge halber nachtheiligen Principii, ob könne der Regulæ Cancell. de viginti in præjudicium ordinariorum Collatorum zum größten Präjudiz deren Concordaten auf einigerley Weise derogiret werden, nicht selbsten zu ferneren gefährlichen Weiterungen Anlaß zu geben; alterum Exemplum habemus in causa L. B. de Guttenberg contra L. B. de Ulm puncto Præbendæ Augustanæ 1733. ubi similia rescripta & decreta cassatoria à Senatu Imperii aulico prodierunt.

§. IX.

Ut Beneficia ecclesiastica conferantur verè dignis, ex Ss. Canonibus & Decreto Concilii Tridentini plus quam notum est; inde à consuetudine longissima obtinet in Germania, ut, quousque toleratur usus Resignationum in favorem, hæ non fiant, nisi præhabita attestatione Episcopi proprii *de idoneitate resignatarii*; sub postremis quoque annis ALEXANDRI Papæ VII. inconcussè observatum fuit, ut provisiones Resignationum in forma gratiosa non fiant in dataria, nisi ad Episcoporum commendatitias literas, ceu testatur Episcopus Thomas à ROSA *a)* præmittens motivum: *quia quandoque Beneficia conferebantur minùs idoneis... quod alienum esse debet ab Ecclesia Dei & à Ministris Christi Domini nostri, qui est Caput Ecclesiæ*; porro CLEMENS Papa XI. ordinavit *Parochias, Dignitates, Canonicatus, ceteráque Beneficia residentialia coram se resignari non posse absque testimonio idoneitatis à proprio Episcopo impetrati*; ast alia demum praxis est, quâ resignatarii, spretâ, aut negatâ hâc attestatione Ordinarii, impetrant provisiones *in formâ dignum* seu gratiæ faciendæ per Episcopum nomine sanctæ Sedis, ubi primum cum Examinatoribus Synodalibus repererit provisum esse habilem; quodsi is decernat gratias non esse exequendas, ab hoc Decreto refutatorio datur appellatio ad Metropolitanum vel Legatum Summi Pontificis *b)*; ex quo sequitur, provisos ab ordinariis Collatoribus & Episcopis æquè dignos aut digniores in jure sibi quæsito molestari; verùm nonne pariter hìc Recursum ad AUGUSTISSIMUM

jurium

jurium, ac consuetudinum germaniæ Protectorem fundatum esse asseramus? quòd in *Cap. Cæs. l. cit.* statuatur, consuetudines rationabiles ceu leges germaniæ observandas esse, atque læsiones illarum avertendas *c*)? Et si Resignationes in favorem universim Concordatis germaniæ non cohæreant, (§. 4.) qui iisdem conveniet resignatio facta, absque attestatione ordinarii? nonne hæ Resignationes absque testimonio idoneitatis ad gratias illas *informes* pertinent, quæ in *Cap. Cæs. l. cit.* §. 1. reprobantur? præterea Episcopis germaniæ nulla sit potestas inhibendi sub pœna nullitatis, ne quis resignet in favorem non præhabita attestatione sua, quod sit idoneus?

a) Lib. *De Executoribus lit. apostolic. Part. I. Cap.* 2. *n.* 87. id ipsum quoque servatum fuit sub Clemente IX.

b) Vid. Bulla Pii V. quæ incipit: *Cogit nos* de an. 1567. 13. Martii.

c) Ecquis autem consuetudines illas non esse rationabiles dicet? Conf. Diss. cl. Nelleri, de Statu resignat. ad favorem apud Germanos recusa in Thesauro J. E. germ. T. VI. p. 318. seqq.

§. X.

Universitati Coloniensi per diversos Summos Pontifices concessa esse indulta *primæ* & *secundæ* gratiæ passim notum est; ex quo enim fundatio Universitatis generalis Studii Coloniensis inchoari cœperat A. MCCCLXXXVIII. per URBANUM Papam VI. *a*) Successor ejus BONIFACIUS IX. a. 1394 perpetua & irrefragabili Constitutione ordinavit, *quod unus cum una Sacerdotali in Majori, & unus cum una etiam Sacerdotali in sancti Gereonis, & unus Canonicatus cum una Præbenda in qualibet ex Collegiatis Ecclesiis Civitatis Coloniensis, quos, postquam literæ Pontificis in eodem studio fuerint publicatæ, vacare contigerit, singulis personis idoneis dicti studii conferantur b*); primæ huic gratiæ EUGENIUS Papa IV. a. 1437. secundam superaddidit, *pro repellendis ignorantiæ tenebris & orthodoxæ stipando fidei cultu*; *c*) de præbendis istis controversia non levis existit, an resignari possint in favorem? dum reipsa resignatio ejusmodi præbendarum attentata paucis ab hinc annis fuit in Curia romana, absque præscitu & consensu Rectoris & Provisorum Universitatis Coloniensis, implorato AUGUSTISSIMO studiorum Germaniæ Protectore à celsissimo Senatu Imperiali aulico judicatum rescriptumque fuit, beneficia illa resignationi obnoxia non esse. *d*)

a) Literæ fundationis extant *in statutis ejusdem Universitatis p.* 1.

b) Verba sunt Bullæ ejusdem Pontificis, quæ extat *ibidem p.* 37.

c) Ceu loquitur Bulla, quæ incipit: *à supremo Patrefamilias*; excusa ibidem p. 78.

d) Rescripta adfert MOSER Reichs-Staats-Handbuch dritten Theil ed. 1777. p. 656. tenoris sequentis: In Sachen: zu Cölln Rector und Provisores der dasigen Universität contra die Professores Schönemann (resignantem) und Stiertz (resignatarium) puncto resignationis præbendæ primæ gratiæ resolvirt der Reichs-Hofrath den 30. Aug. 1774. mit Verweisung der von dem Professore Stiertz præoccupative übergebenen Einwendungen und darauf gestellten Petitorum werde — gegen die beyde Præbendatos primæ gratiæ... ein Decret erkannt: Es hätten kaiserliche Majestät mißfälligst ersehen, wie sich dieselbe unterfangen hätten gegen den klaren Innhalt der von kaiserlichen Majestät confirmirten zum Aufnahm der Cöllnischen Universität ertheilten päbstlichen Bullen eine anmaßliche Resignation...ohne Vorwissen und Genehmigung des Rectoris und Provisorum der Universität bey dem päbstlichen Stuhl nachzusuchen, und andurch gegen ihm geleistete Pflichten den wahren Entzweck dieser confirmirten Indulten auf eine höchst strafbare Weise zu untergraben, und gänzlich zu vereitelen... Es wollten demnach Ihro kaiserliche Majestät denenselben und jeden insbesondere...alles Ernstes auferlegen, daß sie ohne Verzug von ihrem in dem Resignations-Gesuch gestellten Petito abstehen, und solches daselbst gänzlich einziehen rc. — In eben dieser Sache wurde den 4. Jul. 1775. vom Reichs-Hofrath der beklagten Paritions-Anzeige, so weit dieselbe die Renunciation ihres Resignations-Gesuchs in Rom betreffe, vor hinlänglich angenommen rc.

§. XI.

Utrum, præsente Precista, in Ecclesia collegiata Beneficium resignari possit in favorem tertii? quæstio esse potest: dum hoc Sæculo a. 1707. in Capitulo Hamburgensi resignatio ejusmodi attentata fuit, in præjudicium Precistæ, duo prodierunt Responsa Juris, ubi pro Resignatario contra Precistam responderunt facultates juridicæ; *a*) ast, si inter Catholicos resignatio in favorem in Curia romana fieret, & admitteretur, eidem merito sese opponeret Precista, atque si collisio fieret inter Resignatarium & Precistam, hic manuteneretur jure à Consilio Imperiali aulico, quemadmodum idem Senatus aulicus a. 1751. declaravit invalidas denominationes Coadjutorum cum jure succedendi in Ecclesia S. Joannis Evangelistæ Leodii; *b*) quas denominationes inter & Resignationes in favorem maxima analogia intercedit,

cedit, si consideretur detrimentum Precistæ; imo contra permutationem adeò beneficiorum præsente Precista extat Conclusum ejusdem Senatus de anno 1753. *c*).

a) Cf. STAPHORSTII *Histor. Eccles. Hamburg. P. I. T. II. p.* 537.

b) Vid. MOSERI deutsches Staats-*Archiv. P. I. p.* 60. *seq.* Imò delatis ab Imperatore ad Pontificem BENEDICTUM XIV. querelis, quod per ejusmodi Resignationes in Curia Romana acceptatas evertatur jus primariarum Precum, hic declaravit Imperatori, quod nolit imposterum acceptare Resignationes in favorem factas extante adhuc Precista Imperiali, necdum proviso. Cf. DÜRR Diss. *de Benef. Eccles. authoritate Episcopi legitimè permutato &c.* Mog. 1773. recusa in *Thes. Schmitt. T. V. p.* 273.

c) In Causa *von der Driesche* contra MOREAU & *de Sluse* puncto primariarum Precum cf. MOSER *l. cit. P. XI. Cap. VI. p.* 863.— Ne itaque mireris, si in aliis quoque primariarum Precum materiis Precistæ manuteneantur à Consil. Imp. aulico veluti ab eodem a. 1770. judicatum fuit: in Sachen *Gallhausen* contra Capitulum Ecclesiæ Collegiatæ ad S. Severinum Coloniæ: daß die von dem beklagtem Kollegiatstifte zum Nachtheile der kaiserlichen primariarum Precum nach dem Absterben des Canonici REG. dem mitbeklagten Canonico Hages gestattete optimo Ferculi aufzuheben, somit derselben seines bisherigen widerrechtlichen Besitzes zu entsetzen, zu Erstattung aller dieserthalben von dem Tage der von dem kaiserlichen Precisten geschehenen Option genossenen Einkünften und Nutzbarkeiten anzuhalten, solche dem Kläger (jedoch gegen Abzug der inzwischen titulo Pastoratus erhobenen und dem Capitul zu restituirenden 24 Fl.) einzuhändigen, und derselbe nunmehr allsofort in den Besitz gedachten Ferculi zu immitiren, und darinn fernerhin ungestört zu belaßen sey. Cf. MOSER Reichs-Staats-Handbuch, 1ster Theil, p. 31.

§. XII.

Cùm, frequentatis Resignationibus in favorem in Curia Romana, contigerit persæpè quod resignantes vel cedentes dimissionem factam occultarent, atque fructus ex beneficiis provenientes perciperent, aut, quod gravius dolendum, tanquam veri beneficiati Sacramenta administrare pergerent, pro avertendis hisce malis Summi Pontifices Regulam Cancellariæ condiderunt *de publicandis Resignationibus*, vi cujus resignatio facta in Curia publi-

canda eſt intra ſex menſes à die datæ ſupplicationis; ſecus, ſi reſignantes poſtmodum in eorundem reſignatorum poſſeſſione deceſſerint, non per Reſignationem ſed per obitum illa vacare cenſeantur *a*); regula hæc, quatenus Collatoribus ordinariis eſt favorabilis, conſervátque illis aliquo modo ſaltem jus ex Concordatis quæſitum, quousque ſecuræ adhuc transeunt Reſignationes in favorem, à Natione noſtra eſt acceptata, atque ità tranſiit in legem germaniæ *b*); verùm praxis eſt, quà huic regulæ derogatur, atque Bulla temporis prorogatoria impetratur: praxin hanc adverſari Concordatis, legibúsque Nationis noſtræ germaniæ nemo non videt; quodſi igitur eveniret, reſignantem, publicatione non facta, è vivis diſceſſurum eſſe, beneficium hoc vacaret per *obitum*, non per Reſignationem, non obſtante Bulla derogatoria; atque ab ordinario Proviſus contra Reſignatarium Manutenentiam ab Auguſtiſſimo jure ſperare poſſet.

a) Vid. ESPEN *J. E. U. P. II. T. XXVII. Cap. VI.*

b) Cf. BARTHELIUS ad *Tit. de Præb.* p. 205. SCHLŒR *Diſſ. cit. p.* 41. *ſeq.* ESPEN Tom. III. in Supplem. ad Jus Eccleſ. Univ. p. 125. ubi examinat: *an huic regulæ valeat derogari?*

§. XIII.

Quòd occaſione Reſervationum Papalium Curia Romana in graviſſimum detrimentum Nationis noſtræ germanicæ beneficia prætensè reſervata contulerit non germanis, res eſt plusquam notoria; quare in Aviſamentis Moguntinis Natio noſtra deſuper inter alios plures abuſus & Gravamina in uno Faſciculo exhibita conqueſta fuit; Inde in S. Concilio Baſileenſi decretum fuit editum, vi cujus Papa obligatur, ut in beneficiis, quæ ceu ſibi vacantia in germania confert, TEUTONICUS *non teutonico* PRÆFERATUR; quod Decretum poſtea inter Concordata Principum relatum atque ab Eugenio IV. confirmatum fuit; quodſi igitur Papa aut ejus Indultarius non teutonico beneficium conferret in menſe papali vacans, Capitulis patet Recurſus ad Auguſtiſſimum Concordatorum germaniæ Protectorem, qui noviſſimè in caſu ſpecifico Capitulum Auguſtanum hoc ſuo in jure manutenebat *a*).

a) Veneris 26. Nov. 779. BECK contra das Domkapitul zu Augsburg puncto Præbendæ

Nachdem aber

3) Impetrant ſeine deutſche Geburt nicht dargethan, mithin vor ſich einigen Anſpruch auf die quæſtionirte Præbendæ zu machen nicht befugt iſt, als wird derſelbe mit ſeinem ſämtlichen Geſuch abgewieſen.

CAPUT

CAPUT II.

De fundato ex Legibus germaniæ Recursu ad Judicium Imperiale aulicum quoad Dispensationes.

§. I.

Alter, quo libertates ac jura Nationis germanicæ infringi facilè possunt, est *Dispensationum modus*; quare cavetur in *Capitulatione Cæsar. Art. XIV.* §. 1. Wir sollen und wollen auch . . . unser beßtes Vermögen anwenden, daß . . . die Concordata Principum . . . absonderliche Privilegia, hergebrachte Statuta und Gewohnheiten allerdings beobachtet, und dagegen durch unförmliche Gratien . . . DISPENSATION . . . in keine Weis gehandlet. Jura autem Ecclesiarum germaniæ *Dispensationibus ejusmodi* lædi possunt, duobus potissimum modis, dum vel observantia Canonum Conciliorum œcumenicorum dispensando perimitur, vel Statutis Ecclesiarum Collegiatarum legitimè conditis, vis infertur.

§. II.

Atque primum quidem quod attinet, inter ceteras Nationis nostræ libertates ac jura, præcipuum illud est, quòd à quocunque etiam ipso Summo Pontifice observantiam Legum Conciliorum œcumenicorum justè prætendat, neque quidquam attentetur in præjudicium Nationis, quod Canonibus Conciliorum generalium adversetur; ex quo enim, inita famosa illa neutralitate, tempore dissidii, quod Sec. XV. Patres Basileenses intercessit, Imperator & Status Imperii tum Ecclesiastici tum Seculares in Conventu Moguntiæ a. 1430. habito inter plura alia Decreta S. Concilii Basileensis acceptarunt Decretum per sacrum Constantiense Concilium factum & per S. Basileense renovatum *de auctoritate & potestate sacrorum generalium Conciliorum a)*; atque a. 1446. legatione ad Eugenium P. IV. destinata ea conditione obedientiam illi promiserunt, *si professio potestatis, & auctoritatis Conciliorum generalium militantem Ecclesiam repræsentantium literis apostolicis firmaretur b)*, idem Papa 1447. BREVI *solemni* quod incipit: *ad ea c)*. Nationi nostræ sanctè promisit §. 4. se *suscipere, amplecti, & venerari Concilium generale Constantiense, Decretum* FREQUENS, *ac alia ejus Decreta sicut alia Concilia catholicam militantem Ecclesiam repræsentantia, ipsorum potestatem, auctoritatem honorem & eminentiam d)* adeo, ut exinde certum fiat, Summum Pontificem *in vim pacti* ad observantiam Conciliorum œcumenicorum teneri *e)*.

a) Cf. *Concord. Nat. germ. T. I. p.* 42.

b) Hæc inter conditiones quatuor ſecunda erat, ſub quibus germania Eugenium IV. ſe pro legitimo Pontifice agnituram eſſe ſpopondit. Cf. l. cit. p. 135. ſeqq.

c) Breve hoc vide ibid. p. 138.

d) Exulat jam pridem ex Cathedris germaniæ opinio Concordata eſſe *Privilegia* à Romano Pontifice conceſſa.

e) Non erat novum hoc, quod petebant Germani, etenim olim in Romanum Pontificem promotus hanc fidei profeſſionem emiſit: *Sancta octo univerſalia Concilia id eſt: primum Nicænum, ſecundum Conſtantinopolitanum, tertium Ephesinum, quartum Chalcedonenſe, item V. Conſtantinopolitanum, & VI. item Nicænum VII. octavum quoque Conſtantinopolitanum usque ad unum apicem immutilata ſervare, & pari honore & veneratione digna habere, & quæ prædicaverunt & ſtatuerunt modis omnibus ſequi & prædicare, quæque condemnaverunt, ore & corde condemnare profiteor*; extat apud *Gratianum C. 8. D.* 16.— ZOSIMUS Papa apud Gratianum C. 7. XXV. Q. 1. ait: *Contra Statuta Patrum concedere aliquid vel mutare, nec hujus quidem Sedis poteſt Authoritas. Apud nos enim inconvulſis radicibus vivit Antiquitas, cui Decreta Patrum ſanxere reverentiam &c.* Juſta igitur petitio erat Germanorum; quare vituperans admodum eſt calamus BROWERI in *Annal. Trevir. L.* 9. *n.* 50. factum hoc Imperatoris Archiepiſcoporum & Statuum Imperii ſic carpentis: *variè certatum, donec poſtremo*, CUPIDINE, METUQUE, PESSIMIS CONSULTORIBUS, *ordini* SEPTEMVIRALI *placuit*, *Concilii Baſileenſis decreta ſuſcipere Germaniæque populis obſervanda colendaque præcipere.*

§. III.

Ex eo, quòd Decretum illud in pactum tranſierit, atque partem Concordatorum Principum conſtituat, Celeb. HORIX in *Concord. germ. T. I. p.* 162. inter Caſus Concordatorum germaniæ, in quibus Recurſus ad AUGUSTISSIMUM vi *Cap. Cæſ. cit.* fundatur, duos refert ſequentes: I.) *Si Superioritas Concilii in Papam diſputata repræſumitur*; II.) *Quotiescunque derogatur Canoni alicujus generalis Concilii*; *primum* quod attinet, is præſentium pagellarum objectum non eſt *a*); alterum verò, ſi jura Nationi noſtræ quæſita per Canones Conciliorum generalium diſpenſando infringerentur non in leve Nationis diſpendium, conſiderabimus.

a)

a) Id tamen prӕterire haud possumus, quòd, ceu relatum nobis est, atque ex Declaratione quadam an. 1715. edita constat, in Academia antiqua germaniӕ conditum sit Statutum *de propugnanda Superioritate Pontificis supra Concilia generalia, de Decretorum illius irreformabilitate &c.* & quidem contra Statuta Majorum suorum an. 1438. apud BULÆUM *in Hist. univ. Parisiensis, Tom. V.*— Hoc quâ ratione cum Concordatis nostris germaniæ conciliari queat, non videmus; an, si adfirmaretur: *hoc Statutum utpote Concordatis germaniæ repugnans, nullius esse roboris*: assertum hoc bonum foret, aliis probandum relinquimus. Vid. BOSSUET Defens. declarat. Cleri Gallic. in Appendice p. 259. ed. 1776.

§. IV.

Duo autem potissimum circa *Dispensationes* quoad Canones Concil. œcumenicorum examinabimus, quæ facilè deinceps reliquis argumento erunt; 1) *dum in ætate Canonica per Canones Conciliorum generalium requisita ad Beneficia parochialia dispensatur*; 2) *si dispensetur contra modum in Concilio œcumenico præscriptum*; quoad primum contigit nuper: quod Patronus laicus ad Parochiam præsentaverit Candidatum ætate Canonica destitutum, ast super illa Romæ dispensatum; Ordinarius & præsentationi & dispensationi sese opposuit; & merito: eccur enim ætas canonica per Canones Conciliorum generalium decreta illa fuit, ut intra annum suscipere possit præsentatus Presbyteratum? nisì quia Parochorum est munus residendi, atque per se ipsos functiones pastorales exercendi: equidem non dubitamus, quin Summus Pontifex sacrorum Canonum custos & vindex certior factus ac debitè informatus, ejusmodi Dispensationem revocaret, quemadmodum S. BERNARDUS ep. 108. inquit: *Apostolica Sedes hoc solet habere præcipuum, ut non pigeat revocare, quod à se fortè deprehenderit fraude elicitum non veritate promeritum.* Atque CALIXTUS II. *ep. ad* FRID. III. *non sumus memores, aliquid à nobis esse concessum contra Concordata prædicta, quod, siquid tale factum, ut sæpe in multitudine literarum aliqua transeunt, non est intentionis nostræ Concordatis ipsis contravenire*; quodsi tamen eo in casu executio dispensationis contra ordinarium, aut ab illo ex jure devoluto provisum urgeretur, nonne fundatum esse Recursum nostrum ad Augustissimum illiúsque Celsissimum Judicium meritò adfirmabimus, ut ejusmodi Dispensationibus resistatur?

§. V.

§. V.

Modum in dispensando Concilium generale Tridentinum *Sess. XXV. C.* 18. *de reform.* præscripsit his verbis: *sicuti publicè expedit legis vinculum quandoque relaxare, ut plenius evenientibus casibus & necessitatibus pro communi utilitate satisfiat: sic frequentius legem solvere, exemplóque potius, quam certo personarum rerúmque delectu petentibus indulgere nihil aliud est, quàm unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire: quapropter sciant universi, sacratissimos Canones exactè ab omnibus, & quoad ejus fieri poterit indistinctè observandos. Quodsi* 1) *urgens justáque ratio*, 2) *& major quandoque utilitas postulaverint, cum aliquibus dispensandum esse*, id 3) *causa cognita*, 4) *summa maturitate atque* 5) GRATIS *à quibuscunque, ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum, aliterque facta dispensatio subreptitia censeatur*; en modum quem à QUOCUNQUE, si dispensandum sit, tenendum, Natio germanica jure prætendit, in vim Concordatorum, quibus sese obligavit Sedes apostolica; atque si modus is excedatur, itane non pateat Recursus ad Augustissimum Concordatorum Protectorem, qui observantiam Decreti Concilii generalis jure Concordatorum urgeat, tueatúrque?

§. VI.

Quemadmodum cuilibet Collegio licito vel ex ipsis juris publici universalis principiis facultas competit, statuta condendi ad conservationem sui, ita extra omne dubium est, Collegiis Canonicorum in germania eandem inesse potestatem *a*); dummodo in iis condendis debita servetur ratio *b*); ejusmodi statuta persæpe fuisse læsa testantur tot Ecclesiarum querelæ desuper motæ; atque eo in casu denuo Nationi nostræ germanicæ provisum esse legimus de Recursu ad Augustissimum *Statutorum germaniæ* Protectorem, qui læsiones illas avertat, & vulneri statutis illato medeatur, ceu aperta satis verba sunt *Capit.* Cæs. art. XIV. §. 1. & 3. in aliis Rescriptis Augustissimus palam profitetur *c*).

a) Cf. Diss. Cl. Antonii SCHMIDT *de Imperat. Statut. in Eccles. Germ. Protectore* in Tom. II. Thes. J. E. g. p. 345. seqq.

b) IDEM *l. cit.* §. *V. seqq.*

c) Celebre est Rescriptum Imperatoris, dum Ecclesiis Westphalicis in Bello ultimo non permitteretur libertas electionis, quod inter alia ita habet: Es seye nicht weniger bekannt, daß Ihro kaiserl. Maj. in Dero Wahl-Kapitulation art. 14. §. 1. versprochen haben, denen Kapiteln ihre Privilegia und NB. hergebrachte Statuta und Gewohnheiten uneinbeträchtiget zu laßen, mithin Allerhöchstdieselbe als Reichs-

Ober-

Oberhaupt, und obrister Schutz- und Schirmherr sich nicht entbrechen können, diejenige Kapitel, welche in ihren bedrangten Umständen zu Ihro kaiserl. Maj. ihre Zuflucht nehmen, und um Dero allerhöchsten Schutz anflehen, bey ihren Rechten und Freyheiten zu handhaben, und wider alle Eingriffe nachdrucksamst zu beschützen. Cf. Neue Staats-Kanzley T. 5. p. 233.

§. VII.

Famosum porro in præsens exemplum præsto est in Ecclesia Cathedrali Constantiensi, ubi INNOCENTIUS P. XII. cuidam corpore vitiato contra Statuta ejusdem Ecclesiæ præbendam contulit addita DISPENSATIONE in eodem vitio corporis, & quidem *ex potestatis plenitudine*, imploravit Capitulum Augustissimum Ecclesiarum germaniæ & Statutorum Defensorem LEOPOLDUM, qui datis literis Protectoriis ad Oratorem suum Comitem *de Martiniz* an. 1696. Romæ existentem, ut dispensatio factúmque Pontificis retractaretur, effecit *a*); idem INNOCENTIUS Capitulo Cathedrali Wormatiensi receptionem Jacobi *de Boville* nobilitate germanica destituti data Dispensatione prævia sub excommunicationis & interdicti pœna præceperat, ast Imperatore ad instantiam Capituli officium suum interponente Provisio papalis omni effectu caruit *b*); quare dum Statuta Ecclesiarum germaniæ qualitercunque violantur Recursum ad Imperatorem ejusque Judicium aulicum fundatum esse disertè fatetur MOSERUS *c*) dum nuper Canonici tres A. C. in Ecclesia cathedrali Osnabrugensi Præbendas combinare uxoribus moliebantur, Capitulum molimini eorum sese opposuit atque deducta causa ad Celf. Judicium Imperiale aulicum in observantia Statutorum manutenentiam impetravit *d*).

a) Cf. FABRI Staats-Kanzley, T. II.

b) IDEM *l. cit.* HONTHEMIUS *H. D. T. prodrom. f.* 562.

c) N. St. Handbuch. Zweytes Buch p. 340. ubi de exceptione fori declinatoria, quam tres Canonici citati opposuere in J. I. Aulico ait: des Reichs-Hofraths-Gerichtsbarkeit ist in der kaiserl Wahlkap. art. 14. §. 1. und des Kaisers Advocatia ecclesiastica gegründet &c. Scripta, quæ in eadem causa prodierunt, vide ibidem.

Von der Römisch- kaiserl. Maj. Joseph des Andern unsers allergnädigsten Herrns wegen, dem Kapitel der Collegiat- Kirche ***ad S. Severinum*** **in Köln zuzustellen.**

IX.

IX.

DISSERTATIO

JURIS ECCLESIASTICI GERMANICI

DE EO:

QUOD CIRCA MENSES PAPALES IN ECCLESIA NOSTRA COLONIENSI

præcipuè

IN DUCATIBUS JULIÆ ET MONTIUM

JUSTUM EST.

DEFENDENTE D. ADAMO MARTIN, BONNENSI.

§. I.

Ingressus, & *Occasio scribendi.*

Ea semper fuit, est, & erit inclytæ nostræ Nationis germanicæ in servanda fide data erga sanctam Sedem apostolicam, constans devotio, ut terræ nostræ præ aliis dignæ visæ sint titulo: *quod sint terræ obedientiæ*: absit longissimè ab innatâ nobis germanis fide, vel in minimo contradicere Jura sanctæ Sedi quæsita, ex publicis Instrumentis Concordatorum, quæ inire placuit, ad conservandum perpetuum Pacis, & Amicitiæ nexum Ecclesiarum Germaniæ cum Ecclesia romana; hanc suam erga Summum Pontificem devotionem, & suum Jura ejus indubitata illæsa conservandi efficax desiderium jam pridem contestata est natio germanica, quando in Pacto Callixtino promisit summo Antistiti hisce verbis: * *Do veram Pacem Domino Papæ Callixto Sanctæque romanæ Ecclesiæ, & omnibus, quæ in parte ipsius sunt, & fuerunt; & in quibus sancta romana Ecclesia auxilium meum imploraverit fideliter juvabo, & in quibus mihi querimoniam fecerit, debitam sibi justitiam faciam*, relucet eadem devotio in solenni illo Pacto inter Imperatorem, & S. R. I. Electores concluso *Cap. Cæs. art.* 1. §. 1. ibi "zum ersten, dass wir in Zeit solcher unserer königlichen Würde, Amt, und Regierung die Christenheit, den Stuhl zu Rom, päbstliche Heiligkeit und Christliche Kirche als derselben Advocat, in gutem treulichem Schutz und Schirm halten sollen, und wollen." Quemadmodum igitur natio nostra germanica, siquis præter mentem, & intentionem sanctissimi Patris ab ejus Curia contra Pacta, & Concordata læsus fuerit, in vim Capitulationis cæsareæ art. XIV. §. 1.

** justissimè implorat Protectionem augustissimi, atque sua sanctitas ipsa meliùs informata persæpè cessit justissimæ nationis Petitioni, & Imperatoriæ advocatiæ, ita etiam natio eadem nostra non erit invita, si idem augustissimus sanctæ Sedi, si læsa sit in Juribus suis, legitimè, & ex Concordato quæsitis efficacem suam Protectionem pro Imperio impendat. Inter alia Jura, quæ natio germanica resecatis fere penitus antea Reservationibus Beneficiorum Curiæ romanæ, rursus solenni Concordatorum Aschaffenburgensium Instrumento Summo Pontifici reliquit, contineri Jus alternativæ Mensium, palam est ex Concordatorum Textu, *quoties vero aliquo vacante Beneficio de Mensibus Januarii, Martii, Maji, Julii, Septembris, & Novembris &c*; Ex quo itaque à die prima Junii anni 1448 Ecclesiæ Germaniæ acceptarunt Mensium alternativam, ex Concordatis sanctissimo Patri esse Jus ad Menses suos ità quæsitum nemo inficiari poterit, ut in conferendis Beneficiis reservatis, si vacaverint per obitum in Mense papali, à nemine possit interturbari, verum id factum esse nuper edocti sumus, quando sub Præsidio clarissimi Viri Joannis Jacobi de Wies J.U.L. in Academia Electorali Düsselana Jurium Professoris publici, & ordin. Dissertatio Juris publici ecclesiastici *de Jure Patronatûs, & singularibus ejusdem Juribus in Ducatibus Juliæ & Montium* prodiit, quæ illam infundatam nobis originem Mensium papalium, quos prætendunt Dux Juliacensis, & Montensis, atque Elector Brandenburgicus pro suis Territoriis nobis detexit, ut usus illorum veris, ac genuinis Juris principiis præsertim S R. I. manifesto repugnet; imò quod prorsus mirandum est, ejusdem Dissertationis Author Mensium papalium usum invitis prorsus genuinis ordinariorum juribus, atque reluctante paciscentium mente, ad Ecclesias curatas eorundem Territoriorum extendere molitur. *** Hæc sunt, quæ me induxerunt, ut Thema hoc accuratiùs examinandum in me susciperem; cum verò præterea jus conferendi Beneficia Mensium papalium in nostra Ecclesia Coloniensi per Eminentissimum nostrum Archiepiscopum, & Electorem, ceu Summi Pontificis Indultarium, in civitate insuper Coloniensi per Universitatem, ceu Coindultariam exerceatur, atque singularia prorsus de hisce Indultis jura hactenus à nemine discussa, ad trutinam revocanda veniant; 1) de Indulto nostri Eminentissimi, 2) de Indulto Universitatis Coloniensis, 3) de usu Mensium papalium, quos absque Indulto prætendunt Domini territoriales vicini, & 4) de Parochiis alternativæ Mensium non subjectis agam.

* *Tom. 1. Concord. germ. pag. 36. § 4.*

** Persæpe ad hunc Textum Capitulationis cæsareæ provocavi, eundemque Idiomate germanico publici Juris feci; in Gratiam illorum, qui scripta

mea

mea omnia, nescio ex quo fine, trans Alpes mittunt illum Textum Idiomate gallico prout extat in M. ROBINET Dictionaire universel des sciences Morale économique politique & diplomatique ed. an. 1779 Tome Dixieme p. 513 hic appono.

Capitulation de l'empereur Joseph. II. art. XIV. §. 1.

Nous devons & entendons aussi dans le temps de notre regne futur employer tous nos efforts auprès du S. Pere le Pape, & du Siege de Rome pour qu'ainsi que nous y avons d'avancé cette confiance, il observe en tout point les Concordats des Princes, les Conventions faites entre l'eglise le S. P. le Pape, & le Siege de Rome d'une part, & la Nation allemande de l'autre, comme aussi les privileges particuliers, les coutumes, & usages anciens de chaque Archevêque, & Evêque & de leur grand Chapitre & qu'il n'y soit contrevenu, en aucune maniere au préjudice des Evêchés du clargé & d'aller à l'encontre des privileges accordés & des droits obtenus & en outre au préjudice du droit de Patronage, & au préjudice du droit des Siefs *par irreguliére grace* rescrits, provisions, annates, multiplications d'Evêchés attribution d'un rang plus élevé aux offices en Cour de Rome, par des réserves, & des dispenses irrégulieres, & *en particuliés par des Resignations irréguliéres & puis la Collation, qui servit faite en conséquens de tous pareils Prébendes, Prélatures, Dignités, & Offices lesquels d'ailleurs, ne deviennent pas dévolus par cas de mort en Cour de Rome mais dont la Nomination appartient en tous les temps, sans distinction du mois ou ils viennent à vaquer, aux Archevêques, & Evêques comme aussi aux Chapitres, & à d'autres Collateurs* aussi bien que par la nomination de Coadjuteurs à des Prélatures électives à des Prébendes par la pratique de s'eriger en juges dans les contestations, qui impliquent une question d'état sur la qualité de noble ou en d'autres manieres.

*** Vix credidissem tantam fieri à Regimine Juliacensi & Montensi prætensionem ad Ecclesias atque adeò curatas, nisi nuper ad manus meas venisset Resolutum ejusdem Regiminis de 28vâ Aprilis a. c. sequentis tenoris: injungatur Supplicanti 2dò) zu bescheinigen, dass die Pastorat zu Witlaer, welche Serenissimus in Mensibus Pontificiis zu conferiren... ihm erga annuam pensionem resigniret worden seye; scrutatus eandem ob causam fui varia Ecclesiarum collegiatarum Archivia, ex quibus ejusmodi prætensiones varias fuisse factas, citra ullum jus, perspectas habui.

 §. II.

§. II.

Alternativa Mensium, & illius occasio.

Multiplices Ecclesiarum & Beneficiorum Reservationes factæ per Summos Pontifices Seculo XIII & XIV. *quia non parum Ecclesiis onerosæ extiterant, natio germanica in fasciculo suo gravaminum seu avisamentis Constantiensibus ** omnes omnino Reservationes papales penitus à Concilio Constantiensi aufferendas esse instantissimè petierat, at verò circa beneficia inferiora (quibus hac in Dissertatione nobis sermo est) in Concordatis quinquennalibus a. 1418. inter nationem germanicam & Martinum V. conclusis conventum fuit, ut deinceps alternis vicibus beneficia à Pontifice & Ordinariis essent conferenda, donec elapso quinquennio perpetua fieret gravaminum abolitio à Concilio generali; *** protractis interim gravaminibus usque ad annum 1438, in Concilio Basileensi Sess. 23 solenni Decreto à natione germanica inter Concordata acceptato & à Papa Eugenio IV. confirmato omnes Reservationes beneficiorum inferiorum fuerunt penitus sublatæ, exceptis Reservationibus in corpore Juris expresè clausis ****; Quæ totalis Reservationum abolitio cùm gravis videretur Curiæ romanæ, anno 1448 in Concordatis Aschaffenburgensibus placuit nationi nostræ concedere Summo Pontifici Mensium alternativam hisce verbis: *quoties verò aliquo vacante Beneficio de Mensibus* Januarii, Martii, Maji, Julii, Septembris & Novembris *Dispositioni apostolicæ Sedis reservatis non apparuerit infra tres Menses à die notæ Vacationis in loco Beneficii, quòd alicui de illo Authoritate apostolica fuerit provisum ex tunc & non antea ordinarius, vel alius, ad quem illius Dispositio pertinebit, de illo liberè disponat.*

* Conf. Diss. nostra *ad Concord. germ.* edita Treviris 1773. *Part.* 1. §. 3. recusa in fasc. 3. ad Conc. germ. p. 139.

** Conf. van der HARDT *acta Concil. Const. Tom.* 1. *p.* 999.

*** Cf. DUMONT *Corps Diplomatique Tom. II. P.* 2. *p.* 109.

**** Cf. *Concord. germ. Tom.* 1. *p.* 104.

§. III.

Indultum Eminentissimi Archi-Episcopi nostri Coloniensis circa Menses papales.

Jus hoc alternativæ Mensium aut Summus Pontifex per semetipsum immediatè exercet, aut speciali Indulto jus conferendi beneficia in Mensibus suis vacantia aliis Ecclesiarum Prælatis, Cardinalibus, Archi-Episcopis & Episcopis concedit, inter quos specialissimo cum duobus aliis Electoribus ecclesiasticis

utitur

utitur Indulto Eminentissimus ac Celsissimus Archi-Episcopus noster Coloniensis, cujus Indulti quoad Menses papales trium Electorum ecclesiasticorum causa est fides iisdem data à NICOLAO V. de concedendis his Mensibus papalibus, si tres illi Archi-Episcopi in Concordata Aschaffenburgensia annuerent; cumque Eminentissimi nostri suum in Concordata præstitissent concensum, NICOLAUS V. speciali Bulla Menses papales iisdem concessit, ceu testes sunt literæ ejusdem Pontificis datæ ad Jacobum Archi-Episcopum Trevirensem t. t. existentem * atque apertè confirmatur Epistola, quam tres ecclesiastici Electores anno 1673 dederunt ad Summum Pontificem, in qua, postquam circumstantias & causas speciales hujus Pacti ex ipsis actis originalibus Concordatorum Aschaffenburgensium enarraverant, ità ajunt: *Sedes apostolica, quod Electoribus ab initio, uti dictum est, promiserat seorsim, etiam ex fide præstitit, id est Electores per specialia indulta, eorum vita duratura ad suas quemque Collationes plenissimè restituit, perinde ac si nullum Concordatum emanâsset: mansitque hæc praxis ex promisso firma & rata eorum Successoribus, gavisis sine aliqua exceptione constanti facultate beneficia conferendi in Mensibus reservatis.* ** Ex quibus consequens est 1) Indultum Mensium papalium Electoribus tribus ecclesiasticis ex justitia ceu ex fide data à Summo Pontifice esse debitum; & quidem 2) ad cujuslibet Electoris vitam duraturum, atque 3) jus hoc iisdem Eminentissimis ità competere, quasi nullum Concordatum emanâsset, consequenter authoritate potiùs ordinaria, quàm indultaria beneficia in suis Mensibus vacantia conferre.

* Literæ istæ extant in Archivio Trevirensi; neque dubito ad alios quoque Electores ecclesiasticos similes datas esse.

** Extractum illius Epistolæ vide in *Tom. 2. Conc. germ. p. 98.*

§. IV.

Indulti ejusdem hodierna renovatio.

Verùm in aliam omnino formam hodie redactum est Indultum illud, ita ut 1) non sit Vitalitium, sed omni quinquennio renovandum; 2) provisus in vim Indulti *intra sex Menses* tenetur impetrare à S. Sede novam suæ provisionis confirmationem, 3) Electores ecclesiastici hodie non authoritate ordinaria sed potiùs in vim Indulti, & quidem eo modo & non aliter, quàm Summus Pontifex ex Concordatis potest, conferre posse beneficia in Mense papali aperta creduntur; de quibus hic varia delibanda veniunt; & quidem quoad *primum* videlicet renovationem Indulti conquesti sunt pridem Eminentissimi nostri in

ep. cit. ad Summum Pontificem, antiquam *Indulti periisse formam*, *quinimo Innocentium Papam X. ad* TRIENNALEM *restrinxisse*, *restricturum porro*, *ùt creditur*, *ad nihilum*, *si diutiùs supervixisset*, *id est Electores privaturum omni facultate conferendi in Mensibus reservatis contra fidem promissi*, *contra meritum*, *contra praxin*, *& contra omnimodam principatûs conservandi rationem*, *super quibus suas etiam preces non unis literis Summo Pontifici seorsim innuerunt*, *supplicantes*, *ut quæ à majoribus non minoris pietatis sensu*, *quàm sapientiæ laude & pacem vel tabescentem retinendam vel lapsam revocandam ritè instituta sunt*, *mutuisque pactis decreta*, *& promissis firmata religiosiùs serventur*; Quodsi ejusmodi preces sub moderno sanctissimo Domino nostro, cui nihil magis cordi est, quàm servare pacta & promissa fierent, haud quaquam dubitandum foret, *antiquam* Indulti formam ab illo resuscitatum iri.

§. V.

In vim Indulti provisorum, nova provisio.

Quoad novam provisionis ab Eminentissimo factæ Confirmationem Romæ petendam certum est, in vim Indulti eandem injungi his verbis: *ipsæ personæ sic nominatæ intra sex Menses à die Collationis & provisionis... novas provisiones super illis à Sede prædicta impetrare ac Literas apostolicas desuper in totum expedire*, *ac* JURA CAMERÆ *& aliis propterea debita persolvere teneantur &c.* Ex his Indulti Pontificii verbis palam est, non alia de causa, rogandam esse à proviso Confirmationem Romæ, quàm ut solvantur annatæ in vim Concordatorum Cameræ apostolicæ debitæ, inde consequens est, cum *de Beneficiis inferioribus*, *quæ valorem viginti quatuor florenorum de Camera non excedunt*, *in vim Concordatorum Cameræ apostolicæ nibil solvatur* (verba sunt Concordatorum) provisi quoque de illis non sint obligati ex mente sanctissimi Patris ad impetrandam novam provisionem; inde est, quòd Eminentissimus Indultarius in Literis collationis non aliter mandet proviso novam provisionem, *quàm si Beneficium excedat valorem viginti quatuor florenorum auri de Camera*; cùm itaque certum sit, per benignissimam erga alias Ecclesias præcipuè Germaniæ romanam Curiam in libro Cameræ apostolicæ omnia beneficia simplicia & inferiora Germaniæ esse taxata, *quòd non excedant valorem viginti quatuor florenorum auri de Camera*, atque annatis propterea non sint obnoxia, finaliter sequitur, in Beneficiis inferioribus, utpote de quibus nihil est solvendum ex mente ipsius Summi Pontificis, neque necessariam esse novam provisionem.

§. VI.

§. VI.

Non est necessaria, si in manus Eminentissimi Indultarii Beneficia inferiora dimittantur.

Id verò extra dubium est, quodsi Beneficia inferioria ad manus nostri Eminentissimi spontaneà dimittantur, atque dimissa conferantur, novæ provisioni non esse locum, cùm ejusmodi Beneficia dimissa non sint reservata sub mensibus papalibus; Etenim Regula IX Cancellariæ quà talis solummodo *reservat Mensibus papalibus Beneficia quæ vacant aliter quàm per Resignationem*; quæ itaque per Resignationem vacant, non sunt affecta Reservatione, ergo nec subjacent novæ provisioni, cùm nova provisio sit effectus Reservationis; Episcoporum autem Germaniæ conditio per concordata non est facta deterior, quod igitur non exigit Summus Pontifex per Regulas Cancellariæ, id sanè Episcopis esse detractum per concordata, præsumi nequit; præcipuè cùm jus admittendi Resignationes ex causis canonicis, sit episcopale, jure communi pridem definitum, cui concordata nullatenus præjudicare volunt.

§. VII.

Modus exercendi Jus Indulti circa Menses papales.

Cùm inter Capitula ceu ordinarios Collatores ac Summum Pontificem Concordata fuerint inita, manifestò inde eruitur, ad easdem leges quoad exercitium Juris Indultarii circa Menses papales, adstringi Rdmum Indultarium, quas circa alternativam Mensium papalium positas esse voluerunt Summi Paciscentes; cùm itaque 1) intra trimestre debeat apparere provisus à Summo Pontifice in loco Beneficii, atque Capitulis intra trimestre in forma debita præsentare Bullam provisionis, ita etiam provisus à Rdmo Indultario literas ab eodem impetratas, ut, si veniat lapso trimestri, jus conferendi redeat ad Capitula; * 2) quemadmodum in vim Concordatorum Principum in beneficiis, quæ à Summo Pontifice conferuntur, præferendus est teutonicus non teutonico, ità etiam hæc lex Concordatorum ligat Indultarium, ceu novissimè in Judicio Imperiali aulico conclusum fuit, quando provisus ab Eminentissimo & Serenissimo Archi-Episcopo Trevirensi ceu Indultario in Ecclesia Augustana D. Beck ex hoc Capite à Capitulo haud fuit admissus.**

* Famosum desuper habet exemplum Ecclesia San-Severiniana Coloniensis, in quà provisus D. Decker ab Universitate ceu Indultaria in debita forma intra trimestre non apparuit, atque inde in Judicio Imperiali aulico anno 1776 repulsam passus. Vid. Diss. NOSTRA *de Recursu ad Judicium Imp. aulicum.*

** Veneris 26. Nov. 779 BECK contra das Domkapitel zu Augsburg puncto Præbendæ

Nach-

Nachdem aber

3) Impetrant seine deutsche Geburt nicht dargethan, mithin vor sich einigen Anspruch auf die quæstionirte Præbendæ zu machen nicht befugt ist, als wird derselbe mit seinem sämmtlichen Gesuch abgewiesen.

§. VIII.

CONTINUATIO.

Dubitatur: utrum in casu, quo ob defectum, quem ignoravit Indultarius, intra trimestre apparet quidem esse provisum, sed *invalidè*, Indultario competat nova collatio lapso trimestri? ℞. negativè: quemadmodum enim si citra culpam providentis Indultarii intra trimestre nullatenus apparet provisus in forma solenni, Jus ordinarium lapso trimestri redit ad Capitula, ità etiam siquis appareat quidem, sed invalidè provisus etiam citra culpam providentis; etenim Concordata figendo trimestre ceu fatale, ut eo elapso Jus redeat ad ordinarios, non præcisè intendebant punire culpam & negligentiam providentis, sed voluerunt consulere bono Ecclesiarum & favere ordinariis, quæ ratio manet, si *invalidè provisus* appareat citra culpam providentis; neque obstat exemplum, quod anno 1696 in Ecclesia Wormatiensi contigit*, ubi Innocentius Papa XII contulit præbendam alicui avitâ nobilitate germanica destituto, qui etsi ob defectum nobilitatis fuerit invalidè provisus, tamen lapso trimestri de novo præsentavit Summus Pontifex, ergo idem Juris quoque habebit Rdmus Indultarius: verùm, si Capitulum tum temporis concesserit Summo Pontifici novum Jus conferendi, relicto Jure suo sibi ex Concordatis quæsito, inde concludi nequit, unius aut alterius Capituli Jus suum non utentis exemplo universalem in Imperio nasci observantiam, atque *contra Concordata*, eodem Exemplo Capitulis ceu Ordinariis præjudicari; atque hanc quoque esse Sententiam Judicii Imperialis aulici, ceu Judicialis Concordatorum Interpretis dubitari nequit.

* Cf. HONTHEIM *H. D. Trev. ad ann.* 1696.

§. IX.

Indultum Universitatis Coloniensis circa Menses papales.

Præter præbendas primæ & secundæ gratiæ (de quibus vid. Elementa nostra P. I. §. 213.) quibus gaudet Coloniensis Universitas, aliam Paulus IV. eidem gratiam anno 1558 superaddidit, videlicet Indultum conferendi Beneficia vacantia in Mensibus apostolicis *Martio*, *Julio & Novembri*, cujus Indulti formam nobis amicâ manu communicatam à Papa Clemente XIII anno 1765 concessam integram hic apponendam duxi sequentis tenoris:

INDUL-

INDULTUM
TERTIÆ GRATIÆ de anno MDCCLXV.
CLEMENS PP. XIII.

CLEMENS Episcopus Servus Servorum DEI. Dilecti filii, Nobiles Viri, Salutem & apostolicam Benedictionem. Aliàs piæ memoriæ Paulo V. Prædecessori nostro pro parte vestra exposito, quod pridem fel. recordationis *Clemens PP. VIII* similiter Prædecessor noster, cùm accepisset, quod antea rec. mem. Paulus IV. etiam Prædecessor noster, certis tunc expressis causis adductus, Rectori & Decanis quatuor Facultatum, videlicet Theologicæ, Juridicæ, Medicinæ & Artium, quæ consistit in tribus Gymnasiis, Montano, Laurentiano & trium Coronarum Universitatis Studii generalis Coloniensis, consilioque illius Facultatis, ex qua persona nominanda esset, apostolica authoritate indulserat, ut cum Provisoribus ejusdem Universitatis personas assumere possent, in eadem Universitate promotas, ac in publicis Scholis Legentes ac Lecturas, quas ipsi Rector & Decani, ac Provisores præstito juramento, unanimi consilio illius Facultatis, in qua legerent vel legere deberent, ad id more solito congregati idoneas, & catholicas esse, ac ad laudem & fructum studiorum profiteri posse cognoscerent, easque dilectis filiis Majoris & aliarum Ecclesiarum dictæ civitatis Capitulis, ad quæ Canonicatuum & Præbendarum in iisdem Ecclesiis consistentium collatio, provisio, præsentatio, electio, institutio, seu alia quævis dispositio communiter vel divisim, aut aliàs quomodolibet pertineret, dictæ videlicet Majoris & S. Gereonis Colon. ad Presbyterales tantum, ad reliquos verò aliarum Ecclesiarum prætactarum Canonicatus & Præbendas, qui inde ad triennium tunc venturum in singulis Martii, Julii & Novembris mensibus Sedi apostolicæ per Concordata Germaniæ cum ipsa Sede inita reservatis vacâssent, nominare valerent ii, ad quos illorum collatio, provisio, præsentatio, electio & dispositio hujusmodi spectarent, & deinde dictum triennium semel atque iterum piæ mem. *Pius PP. IV.* & *Pius V.* etiam Prædecessores nostri ad simile triennium prorogarunt, & Indultum prædictum etiam ad Majorem post Pontificalem & principales aliasque dignitates, personatus administrationes & officia etiam Curata, nec non Vicarias & Capellanias perpetuas Majoris & Collegiatarum aliarúmque Ecclesiarum Col. quæ in prædictis mensibus intra ipsum tempus vacarent, ampliaverant, & successivè rec. mem. Gregorius PP. XIII. similiter Prædecessor noster terminum à prædicto Pio V. Prædecessore prorogatum vel concessum ad aliud triennium Imò, ac deinde ad quinquennium ac aliàs juxta formam Litterarum Indulti Pauli IV.

Prædecessoris prædicti duntaxat, extenderat, vel etiam concesserat, & deinde idem quinquennium ab eo prorogatum vel concessum ad aliud quinquennium ab illius fine numerandum extenderat & ampliaverat; si verò elapsum esset novum quinquennium hujusmodi, ad hoc ut prædicto novo quinquennio durante Rector, Decani & Provisores prædicti ad Presbyterales Majoris & S. Gereonis tantum; ad omnes verò alias reliquarum Ecclesiarum Colon. Canonicatus & Præbendas duntaxat personas nominare possent, de novo concesserat, & successivè similis mem. Sixtus PP. V. & Prædecessor noster quinquennium ab eodem Gregorio ultimo prorogatum seu concessum ad quadriennium à fine ultimo prorogati vel concessi quinquennii inchoandum extenderat & ampliaverat; si verò lapsum esset novum quadriennium hujusmodi, ad hoc ut ipso durante Rector, Decani & Provisores ad Presbyterales Majoris & S. Gereonis, ad omnes verò alias reliquarum Ecclesiarum Coloniensium Canonicatus & Præbendas duntaxat, qui interim in aliquo ex tribus mensibus prædictis extra romanam Curiam vacarent, ac aliàs juxta formam & tenorem Litterarum Pauli Prædecessoris nostri prædicti tantum personas, ut præfertur, qualificatas nominare, & alias, prout in Litteris dicti Pauli IV. Prædecessoris contenta facere possent, indulserat, ita tamen ut personæ sic nominatæ intra sex menses à die Provisionis, Collationis, seu alterius cujusvis Dispositionis dd. Canonicatibus & Præbendis in vim nominationis hujusmodi factæ numerandos novas provisiones de iisdem canonicatibus & præbendis à d. Sede petere, & Litteras apostolicas sub plumbo in totum expedire, ac Jura Cameræ apostolicæ & aliis propterea debita persolvere omninò tenerentur, & nisi præmissa adimplerent, ipso semestri elapso iidem canonicatus & præbendæ vacarent, eo ipso, & sic vacantes per Sedem apostolicam duntaxat, aliis quibusvis personis conferri liberè possint, volens, ut Rector & alii prædicti hujusmodi jus nominandi habentes, sive Ecclesiastici sive Laici forent, fidem catholicam juxta articulos ab eadem Sede propositos in Manibus Archiepiscopi seu Officialis Colon. pro tempore existentis annis singulis profiteri tenerentur, alioqui nominationes ab eis faciendæ & inde secuta omnia nullius essent roboris vel momenti; Ipse etiam Clemens Prædecessor certis tunc expressis de causis, tempus quadriennii per dictum Sixtum prædecessorem prorogati, seu de novo concessi de consilio tunc existentium S. R. E. Cardinalium Congregationis Germaniæ bis ad aliud quinquennium extenderat & prorogaverat, & quatenus lapsum esset, idem Indultum de novo concesserat, juxta formam Litterarum Pauli IV. prædecessoris prædicti, ita tamen, ut prioris Indulti hujusmodi prorogatio seu concessio non extenderetur ad canonicatus & præbendas Ecclesiæ Metropolitanæ; ad Vicarias verò tam dictæ Metropolitatæ, quàm aliam Eccle-

siarum

ſiarum omnium dictæ civitatis, & ad alios, qui in alia quàm Colonienſi Academia Gradum ſuscepiſſent, illud extenſum eſſe voluerat, & extenderat ac ampliaverat, volens ac inhibens, ſi aliquis nominatus Beneficium, ad quod nominatus fuiſſet, reſignare vellet, ne ullo modo niſi in manibus romani Pontificis aut Nuntii apoſtolici in dicta civitate Colon. pro tempore exiſtentis, hujusmodi Beneficium ad favorem alterius à Rectore & Decanis prætactis nominandi, nec per Reſignationem illud, nec per permutationem dimittere poſſet, quodque non niſi ſervato inter competitores concurſu à S. Concilio Tridentino in collationibus parochialium Eccleſiarum præſcripto ad canonicatus ad præbendas prætactas nominare & conferre deberent, ac nominantes jurare, ſe digniorem & ad profitendi munus magis aptum prælaturos, & viciſſim eum, quem præferri contigiſſet, jurare, ſe injunctum profitendi officium diligenter præſtiturum. Deinde verò ex cauſis prædictis dictus Clemens Prædeceſſor Indultum hujusmodi ad aliud quinquennium iterum prorogaverat, extenderat ſeu conceſſerat, decreveratque hujusmodi canonicatus & præbendas non niſi perſonis ex aliqua ex dictis Facultatibus idoneis, quæ jurejurando ad profitendum munus diligenter ſeſe adſtringerent, duntaxat conferri & præbendas prætactas per eos hujusmodi nominationis vigore obtinendas non niſi in manibus romani Pontificis pro tempore exiſtentis cum ſpecifica mentione, quod illos vigore nominationis hujusmodi conſecuti eſſent, reſignare, vel alias dimittere nullatenus poſſent; alioquin canonicatus & præbendæ hujusmodi vacarent eo ipſo, ita ut de ipſis per Sedem apoſtolicam duntaxat disponi poſſet; Idem Paulus Prædeceſſor noſter ſupplicationibus veſtro nomine ſibi ſuper hoc humiliter porrectis inclinatus, Indultum vobis à prædicto Clemente Prædeceſſore conceſſum, & deſuper expeditas Litteras prætactas ad aliud quinquennium à fine quinquenni ultimò dicti à Clemente Prædeceſſore conceſſi computandum Authoritate apoſtolica extendit & prorogavit, & nihilominus ſine præjudicio hinc & pro tempore exiſtentis Archiepiscopi Colon. dilectis filiis Rectori ac Dacanis prætactarum quatuor Facultatum in dicta Univerſitate canonicè inſtitutarum, & conſilio illius ex Facultatibus hujusmodi, ejusque perſona juxta formam Litterarum Pauli IV. prædeceſſoris nominanda fuiſſet, & pro tempore exiſtentibus unà cum dilectis filiis proviſoribus ipſius Univerſitatis, ut perſonas in eadem Facultate promotas & Legentes & Lecturas, quas ipſe Rector & Decani ac proviſores medio eorum juramento, unà cum conſilio Facultatis hujusmodi, in qua perſonæ ipſæ legerent, & legere deberent, ad hoc more ſolito convocato idoneas & catholicas eſſe, ac cum laude & fructu inibi pro tempore ſtudentium profiteri poſſe affirmarent, ita ut ſi controverſia in nominando inter Rectorem & Decanos, nec non proviſores & conſilium

 ejus-

ejusmodi exorta fuiſſet, ille, quem major pars votis præferendum putâſſet, præferetur, dilectis filiis Majoris & S. Gereonis ac aliarum Eccleſiarum Capitulis, ad quæ canonicatuum & præbendarum in iisdem Eccleſiis exiſtentium collatio, proviſio, præſentatio, electio, inſtitutio ſeu quævis alia diſpoſitio conjunctim vel ſeparatim, vel aliàs quomodolibet ceſſantibus reſervationibus & affectionibus apoſtolicis, pertinebat, videlicet ad presbyterales tantum Majoris & S. Gereonis, ita ut nominandæ perſonæ ſecundùm eorum Statuta & privilegia eorum Capitulis conceſſa, ut præfertur, qualificatæ eſſent, ad omnes verò & ſingulos alios canonicatus & ſingulas præbendas reliquarum Eccleſiarum hujusmodi, quæ ex tunc ad quinquennium tunc proximè futurum à fine ultimi quinquennii per præd. Clementem prædeceſſorem prorogati ſeu conceſſi computandum, in ſingulis Martii, Julii & Novembris menſibus pro tempore vacâſſent, & vacare contingeret, nominarè liberè & licitè valeret, dictâ authoritate conceſſit & indulſit, ac ſtatuit & ordinavit, quod ii, ad quos collatio, proviſio, præſentatio, electio, inſtitutio, vel alia quævis diſpoſitio canonicatuum & præbendarum hujusmodi pro tempore ſpectaret, canonicatus & præbendas, quos perſonæ ad illos ſic nominatæ per ſe vel procuratorem ſuum ad hoc ab iis ſpecialiter conſtitutum infra unius menſis ſpatium, poſtquam eis vel procuratori ſuo illorum vacatio innotuiſſet, duxiſſent receptandos cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis eisdem nominatis perſonis conferre & de iis providere, ſeu ad eos illas præſentare, aut eligere, aut in illis inſtituere, aut aliàs de illis in earundem perſonarum nominatarum favorem diſponere tenerentur, quodque iis præmiſſa facere recuſantibus vel negligentibus aut differentibus etiam pro tempore Abbas S. Martini Colon. & Decanus Eccleſiæ S. Pauli Leodienſ. & qui hæreticæ pravitatis inquiſitor in illis partibus Authoritate apoſtolicâ deputatus exiſteret Prior Domûs Ordinis FF. Prædicatorum Colon. & eorum quilibet canonicatus & præbendas ſic vacantes perſonis ad illos, ut præfertur, nominatis pro ea vice tantum eadem authoritate conferre, & de illis providere pariter & licitè poſſent, & quod ab iisdem perſonis ſic p. t. nominationis in actu nominationis de eis pro tempore factæ, in qua Facultate, in quo Gymnaſio & quà horâ illam docere ſeu legere deberent, exprimeretur, & ſi à præmiſſis defeciſſent, poſt 1mam & 2dam monitiones eis deſuper factas à perceptione fructuum, redituum & proventuum præbendarum, quas vigore nominationum & collationum hujusmodi conſecuti fuiſſent, per Abbatem & Decanum Eccleſiæ S. Pauli Leodienſ. ac Priorem prætactos, aut aliquem ex eis ad requiſitionem illis per Rectorem, & Decanos Facultatum ac Proviſores Univerſitatis hujusmodi faciendam ſuſpenderentur, & ſi ſuſpenſionem hujusmodi per menſem animo ſuſtinuiſſent indurato, iisdem

præ-

præbendis ipso facto & cum effectu privarentur, & pro privatis haberentur, & statim de illis personis modo & forma præmissis provideretur. Verùm si personæ nominatæ ipsæ in aliquam suspicionem hæresis incidissent, in eas per Inquisitores hæreticæ pravitatis in illis partibus eadem authoritate deputatos absque ulla mora inquireretur; & si illæ compertæ fuissent hæresi hujusmodi infectæ, alii catholici ad beneficia per illos obtenta simili modo nominarentur, & subinde quinquennium hujusmodi ad aliud quinquennium à fine ultimo dicti quinquennii computandum semel atque iterum intendit ac prorogavit, seu concessit & indulsit; postmodum autem postquam fel. recordationis Gregorius PP. XV. similiter prædecessor noster per suas in simili forma Brevis expeditas Litteras Indultum prætactum vobis, ut præfertur, prorogatum, ac desuper confectas Litteras ac in eis contenta, ita tamen ut hujusmodi Indultum canonicatus & præbendas Metropol. Ecclesiæ Colon. minimè comprehenderet, neque ad eos se extenderet, ac sine præjudicio dicti tunc & pro tempore existentis Archiepiscopi Colon. ac aliàs sub certis modo & forma tunc expressis ad aliud quinquennium de novo concesserat, ac subinde rec. mem. Urbanus PP. VIII. pariter prædecessor noster attendens, quod Indultum ejusmodi per Cancellariæ apostolicæ regulas revocatum fuerat, & sicut eidem Urbano prædecessori tunc exponi feceratis, causæ propter quas eidem Indultum à prædicto Paulo IV. primo loco concessum, & ab aliis romanis Pontificibus prædecessoribus nostris prætactis, ut supra, prorogatum & expresse de novo concessum fuerat, conservationis nimirum catholicæ Religionis in ista civitate Colon. eousque vigebant, vosque cupiebatis ad catholicorum Virorum studia in ipsis partibus alenda & allicienda hujusmodi Indulto diutius frui posse; Idem Urbanus prædecessor per alias suas in simili forma Brevis expeditas Litteras Indultum prætactum vobis per dictum Gregorium prædecessorem ad quinquennium, ut præfertur, de novo concessum, ac desuper confectas Litteras prætactas & in eis contenta ad aliud quinquennium, apostolica Authoritate sub certis modo & formâ tunc expressis de novo concessit, ipsumque quinquennium ad aliud pariter quinquennium, ac deinde 2dò dictum quinquennium ad aliud similiter quinquennium extendit & prorogavit, ac deinceps eidem Urbano prædecessori per vos exposito seu subjuncto, quod quinquennium tunc per eum ultimo loco extensum & reconcessum brevi erat expiraturum, & causæ propter quas Indultum hujusmodi tam à prædictis romanis Pontificibus, quàm ab eo ultimo concessum fuerat, eatenus vigebant, dictus Urbanus prædecessor prætactum per eum ultimo loco ad quinquennium, ut præfertur, extensum seu de novo concessum, ac desuper confectas Litteras ac in eis contenta, ita tamen, ut provisiones hujusmodi servatâ dictarum Litterarum formâ fierent, ipsum-

ipſumque Indultum canonicatus & præbendas Eccleſiæ Metropol. Colon. minimè comprehenderet, ſeu ad eos ſe extenderet, ac aliàs ſub certis modo & forma tunc expreſſis ad aliud quinquennium extendit & prorogavit, & poſtmodum ſimilis Record. Innocentio PP. X. prædeceſſori etiam noſtro per vos expoſito, quòd cauſæ, propter quas Indultum hujusmodi tàm ab eodem Urbano tunc noviſſimè, quàm ab aliis prædeceſſoribus conceſſum fuerat, etiam eatenus vigebant, ipſe Innocentius prædeceſſor Indultum prætactum vobis per eundem Urbanum prædeceſſorem ultimo loco ad quinquennium, ut præfertur, extenſum & ſeu de novo conceſſum, ac deſuper confectas Litteras & in eis contenta ſub certis pariter conditionibus, modoque & forma tunc expreſſis ad aliud quinquennium pariter conceſſit, quinquenniumque hujusmodi ad aliud poſtmodum etiam quinquennium à die XX. Febr. MDCL. computandum extendit & prorogavit, & ſucceſſivè ſimilis mem. Alexander PP. VII. etiam prædeceſſor noſter ſupplicationibus veſtro nomine ſibi ſuper hoc humiliter porrectis inclinatus per ternas ſuas in ſimili forma Brevis Litteras veſtras XXVIII. Auguſt. MDCLV. & alteras die VIII. Januar. MDCLXI. & reliquas die XIV. Martii MDCLXIV. expeditas Indultum prætactum vobis conceſſum & prorogatum, ut præfertur, ſub certis modo & forma tunc expreſſis primo quidem ad quinquennium, ſubinde verò ad triennium & noviſſimè ad quadriennium ac poſtmodum ſimilis Record. Clemens PP. IX. itidem prædeceſſor noſter per ſuas pariter in forma Brevis die IX. Septemb. MDCLXVII. expeditas Litteras idem Indultum ad quinquennium, illudque ſucceſſivè ſimilis Record. Clemens PP. X. etiam prædeceſſor noſter per binas Litteras ſimiliter in forma Brevis die XVIII. Julii MDCLXX. & die XXVII. Junii MDCLXXV. emanatas Litteras bis pariter ad quinquennium, & poſtremò ſimilis Record. Innocentius XI. itidem prædeceſſor noſter per ternas ſuas etiam in forma Brevis unas die II. Sept. MDCLXXVIII. alteras die XXVI. Januarii MDCLXXXIV. ac reliquas die XXVII. Januarii MDCLXXXIX. expeditas Litteras ter itidem ad quinquennium ac ſimil. mem. Innocentius PP. XII. etiam prædeceſſor noſter per ſuas itidem in forma Brevis die XXIX. Octob. MDCLXXXXVIII. expeditas Litteras itidem ad quinquennium, & ſimilis mem. Clem. PP. XI. etiam prædeceſſor noſter per binas ſuas pariter in forma Brevis die XIX. Auguſti MDCCV. & die II. Sept. MDCCVII. emanatas Litteras, bis quoque ad quinquennium ac Rec. mem. Innocentius PP. XIII. prædeceſſor ſimiliter noſter per ſuas itidem in forma Brevis die V. Septembris MDCCXXII. expeditas Litteras pariter ad quinquennium; ac piæ mem. Benedictus PP. XIII. prædeceſſor etiam noſter per ſuas quoque in eadem Brevis die XVIII. Junii MDCCXXVII. editas Litteras Indultum hujusmodi ad ſeptennium conceſſit, & Recent. itidem mem. Clemens PP. XII. pariter prædeceſſor noſter per ſuas

quo-

quoque in ſimili forma Brevis die XXVIII. Septembris MDCCXXXV. editas Litteras Indultum hujuſmodi ad quinquennium de novo conceſſit, ac ſubinde fel. Record. Benedictus XIV. ſimiliter prædeceſſor noſter ter ad ſeptennium nempe die XXX. Septembris MDCCXLI. die XXII. Maji MDCCLI. & die X. Aprilis MDCCLVIII. per ſuas apoſtolicas Litteras Indultum prætactum conceſſit, & prorogavit, ac alias prout in dicti Benedicti, ſingulis memoratorum prædeceſſorum Litteris in eadem forma Brevis deſuper expeditis, quarum tenores præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis & inſertis haberi volumus, uberiùs continetur. Cùm autem, ſicut nobis nuper exponi feciſtis, ſeptennium ultimo loco à prædicto Benedicto, ut præfertur conceſſo, brevi exſpiraturum ſit, cauſæ verò, propter quas illud per prætactos romanos Pontifices prædeceſſores noſtros pluries conceſſum, & prorogatum reſpectivè fuit, etiamnum vigeant; vosque propterea idem Indultum ad effectum ſupraſcriptum per Nos vobis de novo concedi ſummopere deſideretis, Nos ſpecialem vobis gratiam facere volentes, ac veſtrum ſingulares perſonas à quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliisque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium tantum conſequendum harum ſerie abſolventes & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus veſtro nomine Nobis ſuper hoc humillimè porrectis inclinati, de nonnullorum ex venerabilibus Fratribus noſtris ejusdem S. R. E. Cardinalibus Concilii Tridentini Interpretibus ſuper negotio hujuſmodi à nobis ſpecialiter deputatorum conſilio, Indultum prætactum vobis, ſicut præmittitur, pluries conceſſum & prorogatum, ut præfertur, cum omnibus ac ſingulis contentis in Litteris prætactis, ita tamen ut proviſiones hujuſmodi ſervata dictarum Litterarum formâ fiant, quacunque prætenſa praxi, conſuetudine ſeu tolerantia contraria non obſtante, quam potius abuſum eſſe, & proinde præſens Indultum in omnibus & per omnia juxta ejus tenorem & proprietatem, prout verba illius ſonant, & non aliter, nec alio modo ſervari debere decernimus, & cum hoc quod Indultum hujuſmodi canonicatus & præbendas Metropol. Eccleſiæ Colon. minimè comprehendat, nec ad eos ſe extendat, ac ſine præjudicio venerabilis Fratris moderni & pro tempore exiſtentis Archiepiſcopi Colon. nec non cum omnibus & ſingulis aliis Facultatibus, conceſſionibus & ordinationibus, clauſulis & decretis appoſitis in dictis Litteris & ſervatâ in omnibus & per omnia earundem Litterarum formâ ad aliud ſeptennium à fine ultimo dicti ſeptennii, ſicut præmittitur prorogati, ſeu conceſſi computandum Authoritate apoſtolica tenore præſentium de novo concedimus, ſicque & non aliter per quoscunque Judices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii apoſtolici Auditores ac S. R. E. Cardinales & de Latere Legatos, &

Sedis

Sedis apostolicæ Nuntios quavis Authoritate fungentes, sublatâ eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi Facultate & Authoritate, judicari & finiri debere, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis Authoritate scienter aut ignoranter, contigerit attentari, decernimus: decernentes etiam vos septennio prætacto per Nos concesso, durante hujusmodi Indulto ac desuper confectis Litteris prædictis liberè & licitè uti posse, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis Authoritate scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Volumus autem & earundem tenore præsentium ordinamus, ne Ecclesiæ, in quibus personæ nominatæ hujusmodi vigore vacationum aut collationum prædictarum eosdem canonicatus & præbendas obtinuerint, ob earum impedimentum in legendo debitis non fraudentur obsequiis, aut cultus divinus in illis minuatur, eædem personæ, si illis eâ horâ, quâ ipsa divina officia celebrabuntur, legendum fuerit, tunc per idoneos substitutos inibi deserviri facere possint, & ita deserviendo pro residentibus & inservientibus habeantur, ac distributiones quotidianas lucrentur, in omnibus & per omnia, perinde ac si personaliter deservirent, Dominicis diebus & Festis principalioribus, videlicet Domini Nostri Jesu Christi, ac Gloriosissimè Virginis ac Beatorum Apostolorum, & in quorum honorem dedicatæ sunt Ecclesiæ, aliorumque Sanctorum, quorum dies in singulis eisdem Ecclesiis solennes & celebres habentur, exceptis, quibus eis non per substitutos, sed per se ipsos personaliter deservire teneantur; quòdque hujusmodi canonicatus & præbendæ personis idoneis ad profitendum in aliqua ex dictis Universitatibus idoneis repertisque jurejurando ad profitendi munus diligenter ac immediatè post canonicatûs & præbendæ adeptionem exercendum se adstringant, duntaxat conferantur, illorumque singulis assignentur cathedræ, in quibus actu legere possint in ea Facultate, quæ eis in actu earum nominationis hujusmodi per Rectorem, Decanos & Provisores supradictos destinatæ fuerint, ita ut si aliqua ex dictis personis *per tres menses continuos* absque legitima causa à Rectore Provisoribus prædictis approbanda, à legendo cessaverit, pœnam privationis canonicatûs & præbendæ per eam vigore dictæ nominationis obtentorum, alteri personæ idoneæ modo prædicto conferendorum eo ipso *absque ulla declaratione* incurrat. Cæterùm eædem personæ prædictos canonicatus & præbendas non nisi in manibus nostris & pro tempore existentis romani Pontificis cum specifica mentione, quòd illos vigore memoratæ nominationis consecutæ fuerint, nec nisi ad favorem personarum juxta Statuta & Indulta dictæ Universitatis qualificatarum, & aliàs bonum testimonium à Rectore & Provisoribus supradictis habentium resignare aut aliàs dimittere nullatenus possint; alioquin canonicatus & præbendæ hujusmodi vacent eo ipso, ita ut de illis per Sedem apostо-

apoſtolicam duntaxat disponi poſſit, ipſæque perſonæ ſic nominatæ intra ſex menſes à die collationis & proviſionis aut cujusvis alterius diſpoſitionis de canonicatibus & præbendis, ad quos illos nominari contigerit, ſibi faciendum, ut præfertur, novas proviſiones ſuper illis à dicta Sede impetrare, & Litteras apoſtolicas deſuper in totum expedire, ac Jura Cameræ apoſtolicæ ac aliis propterea debita perſolvere teneantur; alioquin dictis ſex menſibus elapſis proviſi eorundem canonicatuum & præbendarum fructus interea ſuos non faciant, ſed illi ad Metropolitanam Eccleſiam Colon. ejusque Capitulum pertineant, ac in commodum & utilitatem ipſius Metropol. Eccleſiæ applicari debeant: canonicatus vero & præbendæ hujusmodi vacare cenſeantur eo ipſo, poſſintque per alios ab eadem Sede duntaxat liberè impetrari, & impetrantibus ſuffragetur atque competat via executiva, ejusque robur & effectus, perinde ac ſi prædicti canonicatus & præbendæ per obitum apud prædictam Sedem vacaviſſent, & de illis ſic per obitum vacantibus ab eadem Sede eisdem impetrantibus proviſum fuiſſet, non obſtantibus præmiſſis ac conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis, nec non Eccleſiarum prædictarum etiam juramento, Confirmatione apoſtolicâ, vel quavis aliâ firmitate roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis & Litteris apoſtolicis eisdem Eccleſiis & Capitulis ſub quibuscunque tenoribus & formis, ac cum quibus & derogatoriarum derogatoriis, atque efficacioribus, efficaciſſimis & inſolitis clauſulis, irritantibusque & aliis Decretis etiam iteràtis vicibus conceſſis, approbatis & innovatis, quibus omnibus & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut alia aliqua exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujusmodi, ac ſi de verbo ad verbum infererentur, præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis & inſertis haberi, illis aliàs in ſuo robore permanſuris & ad præmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ ad S. Mariam Majorem ſub annulo Piscatoris die X Julii MDCCLXV Pontificatûs noſtri anno VII.

§. X.

Primum Corollarium, quod ex Indulto ſequitur.

Hoc eſt Indultum illud, quo E^mmo^ noſtro Archiepiscopo Colonienſi in Eccleſiis collegiatis Agrippinenſibus ſubtracti tres menſes ſunt, atque Univerſitati Colonienſi conceſſi; primus inter Pontifices concedentes erat Paulus IV. — Conceſſionis initium erat annus 1558 de quarto Calend. Martii, quo tempore ANTONIUS ex familia Comitum de Schauenburg Archiep. Colon. gravi infirmiate preſſus mox die 18. Junii ejusdem anni obierat, ut Eccleſia noſtra Colonienſis cujus

Archi-Præsuli à tempore Concordatorum Indultum sex mensium papalium, ex fide & Pacto Pontificis est debitum (§. III.) ac irrevocabile, valido tunc jurium & Indulti hujus pactitii caruerit Defensore; Nihilominus cùm Paulus IV. ad *triennium* solummodo primitus concesserit gratiam trium mensium, atque Summi Pontifices omnibus literis hactenus generali studio Coloniensi datis inseruerint Clausulam Salvatoriam: *sinè præjudico venerabilis Fratris moderni & pro tempore existentis Archiepiscopi Coloniensis*, evidenter sequitur, Indultum pactitium omnium mensium papalium, in quibuscunque Ecclesiis collegiatis Agrippinensibus salvari Clausulâ illa integrum, ut, cùm mutatæ sint circumstantiæ, atque jure supremo territoriali Celsissimus ac Eminentissimus Archiepiscopus Coloniensis fundaverit Academiam novam aliam æmulam, neque passim causa ob quam Indultum conceditur, ampliùs sequatur (§. XII.) jure postliminii Indultum pactitium, cui Antecessores renunciare haud poterant in præjudicium Successorum, eà de causâ ad suum primum ac nativum possessorem facili negotio redire possit.

§. XI.

CONTINUATIO.

Neque huic obstat, quòd hæc tertia gratia Universitati Coloniensi tempore Concilii Tridentini œcumenici concessa fuerit, quæ concessio per Augustissimos Imperatores eo ipso suam obtinuit Confirmationem, dum Conc. Tridentinum per ipsos laudatum, ac firmatum, illiusque decreta observanda esse in Recessibus Imperii ordinatum fuit, præterea in Concordatis Aschaffenburgensibus sit dispositum, quòd ea observari deberent, quæ in futuro Concilio œcumenico statuenda forent (ità ratiocinatur Cl. BARTMAN Doctor Coloniensis in suâ Diss. *de primis precibus* ed. 1773.) verùm hæc juri nostri Eminentissimi nullatenus præjudicant; etenim nemo ignorat, jus Indulti pactitii in tribus Reverendissimis Electoribus ceu Indultariis *natis* esse omnino specialissimum, quod cum in Concilio Tridentino non sit expressum, quis sanus JCtus asseret, illi, utpote non expresso esse derogatum? Porro Decretum Concilii Tridentini, quo hanc tertiam gratiam confirmatam esse prætendit JCtus Coloniensis reperitur in *Cap.* 1. *sess. V.* habita anno 1546: quis credat, hoc Decreto confirmatum iri gratiam demum anno 1558 concessam? neque unquam Imperatorum aut Summorum Pontificum intentio erat ullum hac in re præjudicium Indultariis natis inferre, quorum jus Indulti sex mensium ex Pactis cum Pontifice originem & firmitatem habet, quorum Pactorum ac jurium, quæ Archiepiscopis debentur, Protector est Augustissimus Imperator: Denique Summi Pontifices ipsi mentem suam hâc in re aperiunt, dum nihil præjudicii juri Eminentissimi nostri inferre voluisse *Clausula Salvatoria* satis ostendunt.

§. XII.

§. XII.
Alterum Corollarium.

In prætacto Indulto disertò legitur, quòd præbendæ in uno ex tribus mensibus vacantes ab Universitate personis idoneis ad profitendum conferantur, atque jurejurando ad profitendi munus adstringantur, atque iis cathedræ, in quibus legere possint assignentur, ut si provisi per tres menses à legendo cessaverint, pœnam privationis.. eo ipso, absque ulla declaratione incurrant. — Ex his Indulti verbis palam est, eodem modo provisos in vim Indulti trium mensium obligatos esse ad actu docendum, quemadmodum provisi de præbendis *primæ* & *secundæ gratiæ*, & quidem sub pœna privationis ipso facto incurrendæ: Qui igitur huic Summi Pontificis sanctissimæ intentioni non satisfaciunt, quomodo hi fructus facient suos? & licèt aliàs Piscationes in Curia romana sint odiosæ, hìc tamen illis patere locum manifestò sequitur — neque excusantur provisi, sibi non assignari cathedram: etenim aut cathedra ipsis assignari poterit, aut non? si primum: satisfaciendum est tenori Indulti.. Si alterum: cessante causâ cessabit effectus, atque eò faciliùs juri postliminii (§. X.) locus dabitur.

§. XIII.
Tertium Corollarium.

In vim prætacti Indulti personæ in uno ex dictis mensibus provisæ aliter dimittere nequeunt seu resignare sua beneficia, nisi *in manus p. t. existentis Romani Pontificis*, ut Resignatio in alterius manus facta sit nullius roboris; quodsi cum hisce Indulti verbis comparetur juramentum *, quod emittere debent provisi ab Universitate, hi obligantur ad resignandum beneficia non aliter, quàm in *manus Universitatis*, & quidem in uno ex mensibus illi à Summo Pontifice concessis; quâ ratione hoc juramentum cum gratia Summi Pontificis conciliari possit, non video: quorsum autem hoc juramentum tendat, oppido patet, videlicet 1) ut conditio Ordinariorum, atque Eminentissimi nostri reddatur deterior, cujus potestas admittendi Resignationes beneficiorum in jure communi fundata, quoad ejusmodi beneficica penitùs perimitur, & 2) ut hâc ratione beneficia semel in mense Universitatis vacantia reddantur hæreditaria, seu transitoria de membro Universitatis in aliud; interim, si ejusmodi beneficium resignaretur in manus nostri Eminentissimi, collatio facta omnino ceu valida subsisteret; cùm notorii juris sit, quòd juramentum in præjudicium tertii præstitum sit nullius roboris, atque post Concordata cum S. Sede inita, nulla reservatio seu limitatio Potestatis Episcopalis circa collationem beneficiorum subsistat.

* Juramentum habetur in Statutis Universitatis antiquis impressis pag. mihi 111 & quidem quoad passum concernentem ità habet; Sextò jurabit, quod hanc

præbendam futuro tempore non reſignabit in favorem etiam cujuscunque perſonæ, ſed ſi eandem relinquere vel reſignare intendat, quod tunc eandem rurſus ad manus DD. Rectoris & Proviſorum & Decanorum pro tempore exiſtentium liberè reſignabit, idque in uno ex tribus menſibus, in quibus nominatio & præſentatio ad Univerſitatem pertinet, ſine dolo & fraude.

§. XIV.

Uſus Menſium papalium in Ducatibus Juliæ & Montium.

Ad Ducatus Juliæ & Montium, prout in ipſis viget *uſus Menſium papalium*, nunc facimus tranſitum; ante omnia verò recenſebimus ea argumentorum pondera, quibus Sereniſſimorum Vicinorum Dominorum territorialium nititur prætenſio, quatenus illa in Diſſertatione (§. I.) citata adferuntur, *primum itaque* (ait Author Diſſ. cit. §. X) *hoc in Patronatu Julio-Montenſi ſingulare eſt jus menſium papalium, quod in quieta ducentorum & amplius annorum poſſeſſione, atque inde nata præſcriptione fundatum eſt, nec non eandem cum æmulis Bavariæ juribus originem habet: Etenim, cùm eveniret, ut ad beneficia eccleſiaſtica, præſertim ad parochias Curia romana ſæpiùs nominaverit indignos, ... atque plurimis Germaniæ Archi- & Epiſcopis nec non principibus ſæcularibus è re viſum fuerit avitæ Religioni meliùs proſpectum iri, ſi Concordatis derogaretur, & præbendas.. in menſibus papalibus vacantes ipſi conferrent, eorum exempla jure ſequi poſſe autumârunt Sermi Duces noſtri* (Diſſ. cit. §. VII.) Itaque JOANNES IV. Juliæ, Cliviæ & Montium Dux ad preces ſtatuum provincialium ſingulorum beneficiorum eccleſiaſticorum.. quotquot in menſibus papalibus vacâſſent ANNO 1525 ſibi primus aſſumpſit: (Diſſ. cit. §. VIII.) contra hanc uſurpationem menſium papalium CLEMENS Papa VII. anno 1534 quidem dedit ſolennem proteſtationis Bullam (§. VII. Diſſ. cit. lit. c.) gravamina quoque ſua interpoſuerunt patroni, quibus omnibus nihilominus inattentis JOANNES IV. quoad vixerit, uſurpationem ſuam continuavit, ejusdemque veſtigiis inhæſerunt ejusdem Filius WILHELMUS & Nepos JOANNES WILHELMUS, dumque prior conſiliarium ſuum eccleſiaſticum MASIUM a. 1550 Romam miſerat, ad finem ſupplicandi ſanctiſſimo pro Indulto menſium papalium, hoc quidem Indultum fuit denegatum, veruntamen ex Relatione Cl. de REDINGHOVEN conſtare: " daſs die vorige Herrn (Author. Diſſ. cit.) Herzogen zu Gülich, Cleve, und " Berg ſich hernach in Poſſeſſionem conferendi ſimpliciter, & in omnibus Men- " ſibus beneficia eccleſiaſtica, ſive Præbendas canonicales, & aliqua curata Men- " ſibus apoſtolicis debita geſetzet haben, worzu dieſelbe ſich einer à Papa Euge- " nio im Jahr 1444 verliehener hiebei mit kommender Bullæ bedienet, in wel- " cher Herren *Adolpho* Herzogen zu Cleve, und deſſen Primogenito *Joanni* ex " poſt Duci ejus nominis I. propter inobedientiam, & Rebellionem Archi-Epiſ-

"copi Colonienſis præſentatio ad quæcunque beneficia eccleſiaſtica tunc vacantia,
"& impoſterum vacatura zugeſtanden worden, jedoch iſt darinnen ausdrücklich
"præcavirt: dummodo non ſint Sedi apoſtolicæ reſervata; nichts deſtoweniger
"iſt obgedachte Poſſeſſion ab anno 1526 bis daher continuiret worden, unerachtet der Pabſt Clemens VII. dagegen eine ſcharfe Bullam anno 1534 herausgegeben; quæ incipit: "Admonet Nos &c. & hanc habet rationem; quod
"Archi-Episcopi, Episcopi, Eccleſiarum Prælati, nec non Principes & Domini
"Temporales poſt miſerabilem urbis direptionem (welche anno 1527 geſchehen)
"collationes apoſtolicas in Menſibus reſervatis factas admittere contempſerint &c.
"darüber doch der Herzog Wilhelm zu Gülich, Cleve, und Berg in anno 1553
"durch ſeiner Hochfürſtl. Gnaden geiſtlichen Rath Maſium zu Rom tractiren
"laſſen wollen, und ein Indultum ſpeciale geſuchet, aber nichts anders, als
"dieſes laut der fernern Anlagen ausrichten können, daſs Seine päbſtliche Heiligkeit wohl erleiden könnten, daſs höchſtgedachter Herr Herzog ſeinen alten
"Bruch verfolgen thäte, derentwegen Sie dann ihr väterliches Gemüth von
"demſelben nicht abwenden wollten, wobei es alſo fort geblieben; und obwohlen einige päbſtliche Nuntii ſich dawider zuweilen beſchweret, iſt darinnen doch bis hieher nichts geändert worden.

§. XV.

Continuatio.

Verùm hæc omnia nihil ferunt ſubſidii pro tuendo jure menſium papalium in Eccleſiis prædictorum territoriorum; etenim I) nihil juvat Dominos territoriales Bulla Eugenii IV, quæ anno 1444 in favorem *Adolphi* Ducis prodiiſſe fertur, ceu D. Conſiliarius de Redinghoven infundate prorſus retulit; ſiquidem *a*) ipſe Author citatus diſertè doceat (§. VIII. lit. d.) quod hæc opinio manifeſtò ſit erronea ex eo, quod Adolphus poſſeſſionem Ducatuum Juliæ & Montium tum temporis nondum adierit, ſed demum a. 1516 atque *b*) Bulla illa obſiſtentibus Cæſare & Principibus germaniæ anno 1447 fuerit penitùs revocata, imò *c*) Bulla illa nunquam in Patria Julio-Montenſi vim legis obtinuerit. Quo igitur fundamento provocari poteſt ab Authore citato ad Relationem illam, quæ primitùs ſe fundat in Bulla papali, quæ tot fundamentis eidem aut ſuppoſititia videtur, aut prorſus nullius roboris? ſinamus interim, hanc Bullam fuiſſe emanatam: certum nihilominus eſt, quod Eminentiſſimus noſter Theodoricus Archiep. Col. anno 1447. fuerit pleniſſime reſtitutus, eidemque jus menſium papalium (§. III.) ex pacto conceſſum, inde jus ex Bulla præcedenti qualitercunque quæſitum penitus corruit, atque Sereniſſimi Duces Montenſes ab hoc tempore usque ad annum 1525 ne ſomniârunt quidem, ut manus apponerent ad Beneficia in Menſibus papalibus vacantia.

§. XVI.

CONTINUATIO.

Neque II.) ſe tueri poſſunt ejusmodi Domini territoriales eo, quod ad inſtantiam Statuum provincialium duxerint eſſe derogandum germaniæ Concordatis: etenim certiſſimi juris eſt, quod Statibus provincialibus cujusque territorii aut ſingulis Dominis territorialibus nec umbra quidem juris competat, circa totius Nationis germanicæ cum Summo pontifice inita Concordata, ut hæc, invito compaciscente Papa, mutare, aut illis derogare valeant: Leges enim fundamentales Imperii pactitiæ viciſſitudinem aliam non patiuntur, quàm de illorum, quorum intereſt, conſenſu— Quâ ratione igitur aſſeri poteſt, contraventionem unilateraliter anno 1525 ad ſuggeſtum Statuum provincialium à Duce Montenſi uſurpatam contra Concordata germaniæ, eſſe juſtam ac legitimam?— Quodſi hæc via ſubvertendi penitus leges Imperii fundamentales pactitias juſta ſit ac legitima, dicam quoque, ſingulis Dominis Territorialibus catholicis jus eſſe, ſi ipſis è re viſum fuerit, Paci osnabrugenſi invitis Proteſtantibus contravenire, quod quàm abſurdum, tàm periculoſum eſt Paci publicæ Imperii.

§. XVII.

CONTINUATIO.

Peſſimas porro III.) ſequelas poſt ſe traheret modus hic agendi Dominorum territorialium cum Summo pontifice ejusque Indultariis; ſiquidem aperta ſemel via Dominis Territorialibus ita ex arbitrio ſuo, & ad Statuum ſuorum Preces contraveniendi, ac derogandi Concordatis totius Nationis germanicæ exemplum notorium præſto eſſet aliis, per fas & nefas Menſes papales uſurpandi, atque jus nativum Reverendiſſimorum Indultariorum ad nihilum fere redigendi, qui modus agendi cum pontifice ejusque Indultariis nunquam non reprobari debet ab iis, quibus Salus Imperii publica, Religio, & in ſervandis promiſſis Sanctitas Cordi eſſe debet; inde etiam factum eſſe credimus, quod WILHELMUS Dux Juliacenſis & Montenſis anno 1550 per Conſiliarium ſuum eccleſiaſticum MASIUM à romano-Pontifice ſollicitaverit Indultum menſium papalium ad Eccleſias collegiatas ſuorum territoriorum, ſane, non alio ex fine, quam ut malæ tum *ſuæ*, tum *Anteceſſorum ſuorum fidei* quoad uſurpatos Menſes papales conſuleret: rogando hoc Indultum Dux prætactus agnovit ſui juris prætenſi nullitatem, non dicam iniquitatem; cum itaque hactenus Indultum illud non impetraverit, conſequens eſt, jus alienum mala fide & absque titulo juſto fuiſſe uſurpatum.

§. XVIII.

§. XVIII.

CONTINUATIO.

Neque in minimo relevat quod *Agens romanus* Duci ſuo Montenſi reſcripſiſſe feratur: daſs Seine päbſtliche Heiligkeit wohl erleiden könnten, daſs höchſtgedachter Herr Herzog ſeinen alten Bruch verfolgen thäte &c. etenim ex quo fonte alio hanc jactitatam ſuæ Sanctitatis declarationem adfert Author citatus, quam ex privatis, atque partium ſtudio præoccupatis eorundem Ducatuum Scriptoribus & Conſiliariis multifariam ſibi contradicentibus! quodſi hæc ſanctæ Sedis apoſtolicæ intentio certa fuerit atque ſubſiſtens, quâ ratione proteſtari poſtea fuiſſent auſi ejusdem Sedis Nuntii apoſtolici Coloniæ reſidentes, ceu idem Author ex fontibus ſuis diſerte fatetur? cur ſancta Sedes non dediſſet Indultum Duci Montenſi, ſi hæc vera fuiſſet Pontificis voluntas, cum brevi tamen poſtea anno 1558 Univerſitati Colonienſi (§. IX.) conceſſerit tres ex Menſibus papalibus? cum itaque conatus MASII hunc in finem Romam miſſi manſerint absque effectu, nec ullum hactenus Indultum à ſancta Sede Duces Montenſes potuerint impetrare, utut illud rogaverint, atque pro arrogati ſibi juris ſubſiſtentia neceſſarium agnoverint, ſuâ ſponte inde fluit, jus menſium papalium infirmo prorſus niti fundamento, ex parte Dominorum territorialium vicinorum.

§. XIX.

CONTINUATIO.

Qui itaque Authori Diſſ. cit. ſuffragari queat præſcriptio, & quidem, uti ipſe ait, *exemplo Ducum Bavariæ*, non video; etenim quando anno 1525 primo ſibi arrogarit Menſes papales Dux Montenſis, mox anno 1534 Summus Pontifex CLEMENS VII. huic uſurpationi contradixit, atque ita à Dominis territorialibus nulliter proviſos non eſſe tutos in foro poli declaravit, ſibique nec non ſuo Indultario Eminentiſſimo noſtro Archiepiscopo conſervavit jus ex Concordatis quæſitum, omnemque præſcriptionem, forſan ex ejusmodi factis naſcituram caſſavit, ſuccedentes poſtea per integrum Seculum & ultra Nuntii apoſtolici hæc facta contradixere: quomodo igitur *quieta* ducentorum & amplius annorum poſſeſſio circa Menſes papales dici poterit, tam ſolenniter & ſæpius contradicta? nihil dicam, quod plures ſint Juris eccleſiaſtici germanici interpretes, qui contra Concordata germaniæ nullam prorſus præſcriptionem habere locum ſuſtineant *, quod eò magis impræſens ſuſtinendum erit, quòd primum poſſeſſionis initium prorſus vitioſum ſit ac illegitimum — Dein ſupponamus quoque in favorem Nationis contra Summum pontificem præſcriptionis viâ poſſe derogari Concordatis, id tamen ſolummodo intelligendum venit de Ordinariis collatoribus,

bus, nullatenus verò de Dominis territorialibus præcipuè circa alternativam mensium, etenim Summus Pontifex Ecclesiis germaniæ liberum reliquerat, utrum alternativam mensium acceptare voluerint? Quàndo igitur in locum redhostimenti *Sanctissimo* Ecclesiæ germaniæ cesserunt sex Menses papales, hos ita in Summum pontificem transtulerunt, ut nemini alteri, quam cui Summus Pontifex Indulto illos concedere voluerit, adquiri possint.

* Cf. cl. NELLERUS in *Analytica Demonstratione de Præposituris* §. V.

§. XX.

CONTINUATIO.

Denique ab omni veritate alienum est, quod Dux Montensis æmulis quoàd menses papales juribus cum Electorali Domo Bavarica gloriari queat; etenim indubitatum est, atque ex ipsa confessione Authoris citati (§. X lit. b.) elicitur, quod anno 1583 inter Serenissimam eandem Domum, & NB. Reverendissimos Bavariæ Diœcesêos Ordinarios Concordata specialissima fuerint conclusa, quibus mensium papalium possessio ceu legitima firmatur, & quidem de Consensu Ordinariorum, quorum intererat, non itaque in vim præscriptionis, sed in vim pactorum specialissime conclusorum menses papales possidentur à Domo Bavarica; ubi autem ejusmodi Concordata specialissima favent Duci Montensi, cujus Antecessores via facti, spreto Summo Pontifice, spreto jure nativo nostri Eminentissimi ceu Indultarii, posthabitis contradictionibus ordinariorum Collatorum jus mensium papalium sibi arrogare attentàrunt? Jus igitur mensium papalium in Ducatibus Juliæ & Montium horum Dominis territorialibus, exemplo Electoratûs Bavariæ vindicari nequit, quin potius indubitatum sit, jus illud saltem *in petitorio* Summo Pontifici, atque nostro Eminentissimo ceu Indultario ejus nato convenire.

§. XXI.

Parochiæ Mensibus papalibus non sunt subjectæ.

Id verò prorsus intolerabile est, quòd prætensio ista Mensium papalium atque adeo ad Ecclesias curatas (§. I.) extendi velit; plurimis Ecclesiis collegiatis nostræ Ecclesiæ Coloniensis hactenus desuper dissidia movebantur e. g. Ecclesiæ Archidiaconali Bonnensi quoad Parochias territorii Montensis & Juliacensi, quæ quoad Parochiam in Karweiler Duci Montensi sub initium hujus Seculi solenni Transactione jus alternis vicibus conferendi cessit: Pariter Ecclesiæ collegiatæ Canonissarum Nobilium Novesini anno 1704 cum eodem Duce quæstio erat, circa Parochiam in *Benrath* &c. de quibus temporis brevitate arctati, speciali ad hanc Dissertationem Supplemento fusè ac solidè Argumentis ex Ecclesiarum Archivis variis petitis agemus.

X.

X.
DISSERTATIO
DE
PAROCHIIS IN GERMANIA
præcipuè
IN DUCATIBUS JULIÆ ET MONTIUM
ALTERNATIVÆ MENSIUM CONCORDATORUM
HAUD SUBJECTIS

DEFENDENTE D. IGNATIO XAVERIO DE MEESE EX VALLE EHRENBREITSTEIN.

§. I.
Occasio scribendi.

Quando elapso anno 1780. Mense Septembri in Dissertatione Juris ecclesiastici germanici de eo: *quod circa Menses papales in Ecclesia nostra Coloniensi, præcipuè in Ducatibus Juliæ & Montium justum est*, demonstratum ivimus, quæ sint Eminentissimi ac Celsissimi Archiepiscopi Nostri Electoris Coloniensis Jura circa Menses papales, & præcipuè, quàm justissimis fundata sit momentis ejusdem EMINENTISSIMI prætensio circa tres Menses Martium, Julium, & Novembrem Universitati Coloniensi ex merà Sedis apostolicæ Gratia concedi solitis, atque revocationi propterea palam obnoxiis, nec non, quo infirmo subsistat pede Mensium papalium Exercitium, quod in Ecclesiis collegiatis suorum Territoriorum hactenus tentarunt Seren^mi^ Duces Juliacensis, Montensis, ac Clivensis;

Fidem dedimus (§. *finali*) nos demonstraturos porro esse, eorundem Territoriorum Ecclesias parochiales collegiatis Ecclesiis ac Monasteriis incorporatas, nullà Ratione alternativæ Concordatorum seu Mensibus reservatis fore obnoxias; fidem datam à nobis nunc exequimur, & quidem eò lubentius, quò pluribus documentis instructi modo in aciem descendimus; Oportet autem, ut, quæ nos occasio ad hoc induxerit, præviè hic repetamus: Ea verò nulla alia est, quàm quòd Mensium papalium usus, quem in Ecclesiis collegiatis suorum Territoriorum exercent Seren^mi^ Duces Montensis, Juliacensis & Clivensis, *) atque adeò ad Ecclesias parochiales extendi velit, ceu Resolutum Regiminis Montensis, quod §. 1. prætactæ Dissertationis nostræ indicavimus, testatur.

* Conf. Diss. cit. §. XIV. seqq.

§. II.

Parochiæ non ſubſunt Concordatorum Menſibus quia I.) *ſub nomine Beneficii in Reſervationibus non veniunt* curata.

Quæſtio: *an Eccleſiæ parochiales ſubſint alternativæ Menſium?* Tota ex eo dependet: utrum, quando in Concordatis dicitur *quoties* ALIQUO VACANTE BENEFICIO *de Menſibus Januarii*, *Martii &c.* ſub *Beneficio* ſimpliciter tali veniant etiam *Eccleſiæ parochiales?* Quas hìc ſub nomine Beneficii ſimpliciter talis non venire ex eo evidenter apparet, quòd hic verſemur in materia Reſervationum ceu *odioſa*; odia autem oportet reſtringi non ampliari *a*), quemadmodum generatim uno ore fatentur Decretaliſtæ in dubio: *utrum Eccleſia ſit Patronatui obnoxia?* Eccleſiam declarandam eſſe potiùs liberam, quàm ſervituti Patronatûs obnoxiam; ità etiam dum quæritur, utrum ſub Verbis: *quoties vacante aliquo Beneficio &c.* comprehendantur Eccleſiæ parochiales, eas non comprehendi pronuntiandum eſt, eo quòd Eccleſiæ tamdiu ſint pronuntiandæ à ſervitute Reſervationum exemptæ donec probentur eidem obnoxiæ *b*).

a) *Reg.* 15. *J. in 6.*

b) Vid. BARBOSA *J. E. U. L.* 3. *C.* 4. *n.* 87. CORVINUS *Tract.* 2. *de Benef. Lib. Tit.* 15. *n.* 3.

§. III.

CONTINUATIO.

Neque hoc gratìs à nobis dicitur, ſed pridem *Jure communi* eſt determinatum: Etenim Papa BONIFACIUS VIII. expreſsè decidit *C.* 16. *de Præb. & Dignit. in 6.*, quòd dum generaliter mandat alicui eſſe providendum *de Beneficio* ſi vacaverit, non intelligi Beneficium curatum, niſi in Litteris expreſſa fuerit facta Mentio, Beneficium eſſe *curatum*; *cum in illis*, ait: *quibus Beneficia Curam animarum habentia committuntur*, *major*, *quam in iis*, *qui ad alia promoventur*, *idoneitas requiratur*: *Intentionis noſtræ nequaquam exiſtit*, *ut cum aliquibus de Eccleſiis...vel aliis Beneficiis quibuscunque* (*de animarum Cura mentione non habita*) *provideri mandamus*, *ipſis de iis quibus cura animarum imminet*, *poſſit*, *aut debeat provideri.* Quodſi igitur modo Jure communi ſub nomine Beneficii ſimpliciter talis in Reſervationibus papalibus non venerit Beneficium curatum, quomodo dici poterit in Reſervationibus Concordatorum ſub nomine Beneficii ſimpliciter talis venire Eccleſias parochiales?

§.IV.

§. IV.

II) *Quia Regula Cancellariæ nona quoad Ecclesias curatas fuit modificata in Concordatis.*

Equidem Regula Cancellariæ nona *de Mensibus* ante Concordata Germaniæ introducta ait: Summo Pontifici reservata esse omnia Beneficia ecclesiastica *cum Cura*, & *sine Cura* vacantia in Mensibus reservatis; verum eo ipso, quòd in Concordatis Aschaffenburgensibus, in quibus recipitur alternativa Mensium, solummodo fiat Mentio Beneficii simpliciter talis vacantis in Mense aliquo reservato, atque Natio nostra germanica, & Summus Pontifex ipse ceu paciscentes non expresserint Beneficia curata, quæ fuerant expressa in Regula de Mensibus ante Concordata, evidenter apparet Summos paciscentes non recepisse simpliciter Regulam Cancellariæ de Mensibus sed cum exclusione Ecclesiarum parochialium; quodsi enim paciscentes voluissent etiam comprehendere sub alternativa Mensium Ecclesias parochiales, cur has non expresserunt, prout erant expressæ in Regula de Mensibus? Sane, si Natio nostra germanica sub alternativa Mensium voluisset etiam Summo Pontifici concedere Ecclesias parochiales, utique in has expresse consensisset, atque ipse NICOLAUS V. in Bulla Concordatorum, si voluisset sibi reservatas quoque esse Ecclesias curatas, has expressisset, prout exprimendas esse ipse noverat ex Constitutione Prædecessoris sui BONIFACII VIII. (§. III.) ad effectum, ut subessent Reservationibus.

§. V.

CONTINUATIO.

Atque hæc inde magis confirmantur, quod Natio nostra germanica in Concordatis Principum acceptaverint *Decretum Concilii Basileensis Sess. 23. de Reservationibus*: quo dicitur: *Quia multiplices Ecclesiarum & Beneficiorum hactenus factæ per Summos Pontifices reservationes non parum Ecclesiis onerosæ exstiterunt; ipsas omnes tam generales, quam speciales, sive particulares de quibuscunque Ecclesiis & Beneficiis, quibus tam per electionem, quam collationem, aut aliam dispositionem provideri solet, sive per extravagantes ad Regimen, & execrabilis, sive per Regulas Cancellariæ, aut alias apostolicas Constitutiones introductas, hæc sancta Synodus abolet*: in hoc Decreto Regula Cancellariæ nona de Mensibus simpliciter aboletur, atque ordinariis Collatoribus omnes Menses penitùs restituuntur; quando igitur anno 1447 in Civitate Aschaffenburgensi actum fuit inter

Nationem, & Pontificem de alternativa Mensium rursus erigenda in favorem Summi Pontificis, atque reipsa hæc Sedi apostolicæ reservata fuit, Natio nostra non aliter resuscitare voluit Regulam nonam prædictam, nisi sub verbis generalibus, expresso solùm Beneficio simpliciter tali excludendo Ecclesias curatas, quod enim in Concordatis Principum Nationi nostræ fuit restitutum, id in Concordatis Aschaffenburgensibus non præsumitur rursus abdicatum, nisi quod literaliter in his fuit expressum; cui accedit, quod *orto dubio Concordata in favorem Nationis potius, quàm Pontificis sint interpretanda.* Vid. *P.* 1. ELEM. NOST. §. 145.

§. VI.

CONTINUATIO.

Ex his patet, quàm difficulter capi possit Doctrina BARTHELII, *a*) qui alias in Materia Concordatorum nomen Beneficii strictioris esse Interpretationis contendit, nihilominus docet *Ecclesias parochiales* secundum vim, & rigorem Literæ Concordatorum hodiedum esse reservatas, quod si enim, eodem ipso teste, in Reservationibus Concordatorum sub nomine Beneficii simpliciter talis non veniant Beneficia electiva, Dignitates &c. quia Reservationes sunt odiosæ, atque Concordata semper interpretanda sunt contra Reservationes; quomodo cum his cohæret ipsius Doctrina, quod sub nomine Beneficii simpliciter talis nihilominus veniant curata, cùm tamen bene ipsi nota esse debuit Constitutio Bonifacii VIII (§. III) quâ decernitur non esse reservata curata sub nomine Beneficii, nisi eorum expressa in Lege reservatoria fiat mentio.

a) *Diss.* 3. *ad Conc. germ. Cap.* 4. *n.* 23.

§. VII.

In Ecclesia Coloniensi Beneficia curata non subsunt alternativæ Concordatorum.

Quemadmodum conformiter Doctrinæ nostræ hactenus traditæ vix ulla est Germaniæ Ecclesia, *a*) in qua vigeat alternativa Mensium circa Ecclesias parochiales, ita neque in Ecclesia nostra Coloniensi Ecclesiæ curatæ subsunt Mensibus reservatis, sed Ecclesiæ collegiatæ aliique Patroni alternativam Mensium, quoad Beneficia curata nunquam acceptarunt, neque etiam acceptare debuerunt, eò quod illorum non fuerit expressa mentio in Concordatis Aschaffenburgensibus facta. Inde est, quod Eminentissimus ac Celsissimus Archiepiscopus noster Elector Coloniensis, cui Jus nativum, & ordinarium conferendi Beneficia pro Mensibus papalibus per Indultum Summi

Pon-

Pontificis eſt reſtitutum, nullatenus tamen manus apponat ad Eccleſias parochiales vacantes in Menſe papali, ſed eas ex notoria praxi, & obſervantia relinquat liberæ diſpoſitioni ordinariorum collatorum; ex quo manifeſtò infertur, quod Eminentiſſimi noſtri Colonienſes nunquam crediderint Eccleſias curatas comprehendi ſub alternativa Concordatorum, ſed, quamvis ab initio Concordatorum per Summos Pontifices impetraverint Indultum Menſium papalium, non apponendo tamen manus ad Eccleſias parochiales, has declaraverunt ab alternativa Menſium exceptas; & rectè quidem, cum plurima Beneficia curata originetenus erecta ſint ex munifica Patronorum Laicorum manu, quorum Jus una cum Reditibus & Decimis tranſiit in Eccleſias collegiatas, ac Monaſteria, ut Eccleſiæ pleræque parochiales originetenus ſint de Jure Patronatûs Laicorum.

a) Equidem FRANC. GEORGIUS ARCH. TREV. conferre voluit 1747, Eccleſiam parochialem in Nideremmel in Menſe papali, ſed causâ cecidit in ipſa Curia romana. Vid. Adjunctum ſub lit. *A*.

§. VIII.

Tranſitus ad Eccleſias parochiales Ducatuum Juliæ & Montium.

Quodſi nunc ea, quæ hactenus generatim de Eccleſiis parochialibus in Germania alternativæ Menſium non ſubjectis, delibavimus, nec non notoria praxis, & obſervantia, qua tres Eminentiſſimi Indultarii pro Menſibus papalibus relinquunt omni Menſe vacantes Eccleſias parochiales liberæ diſpoſitioni Patronorum, applicentur ad prætentionem Menſium papalium, quam circa Eccleſias parochiales noviſſimis temporibus facere cœpit Sereniſſimus Dux Montenſis, & Juliacenſis, palam ſequi exiſtimamus hanc prætenſionem repugnare Juribus Patronorum, quæ his ex Concordatis quæſita ſunt, nec non univerſali in Germania praxi & obſervantiæ. Verùm præter allata hactenus principia, quæ in favorem Patronorum obviant noviſſimæ huic prætenſioni, ſpecialiſſima adferemus fundamenta, ex quibus ejusmodi prætenſio penitus corruet.

§. IX.

CONTINUATIO.

Et quidem I) hæc prætenſio Menſium papalium, aut omnes Eccleſias parochiales includere debet, aut ſi non omnes, nullam. Etenim quis prudens capiet ſummos paciſcentes aliquas ſolummodo certi diſtrictûs territorialis Eccleſias parochiales voluiſſe comprehendere in Concordatis, cæteris

ex-

exclusis? verba Concordatorum sæpius citata: *quoties vacante aliquo Beneficio in Mensibus papalibus &c.* generalia sunt, adeoque ex sui generalitate omnia Beneficia curata (si subjecta essent Reservationi) comprehendere deberent; atque inaudita est & novitia planè Doctrina in Jure nostro germanico, qua traditur aliqua solummodo Beneficia curata Summum Pontificem voluisse subjicere alternativæ Mensium, non autem omnia; jam vero non ad omnes Ecclesias curatas extendi prætensionem istam fatentur Authores ipsi Dissertationis *de Jure Patronatûs &c.* quæ Düsseldorpii anno 1779 prodiit §. X. pag. 17. *Ecclesiarum verò parochialium paucissimæ restant, quarum Collatio Serenissimis Ducibus in Mensibus papalibus remansit, plurimæ enim Patronis ecclesiasticis sunt restitutæ, potissimum iis, quibus ex Fundatione Patronatûs ad Parochias competit &c.* Quodsi itaque non omnes Ecclesiæ parochiales subsint alternativæ Mensium, cur singulariter una, aut altera? quodsi plurimarum parochialium Collatio pro omni Mense suis Patronis ordinariis, urgente manifesto eorum Jure à Serenissimo Duce sit restituta, cur non omnium? cum principia, ac jura, quibus libertas Ecclesiarum curatarum ab odio Reservationum vindicatur, sint æqualia pro omnibus æquè militantia, ut si in potissimis Serenissimus Dux Montensis injustum viderit usum Turni apostolici, etiam singulas ex iisdem principiis relinquere debeat liberæ collationi ordinariorum?

§. X.

Continuatio

Hanc Turni apostolici circa Ecclesias parochiales existentiam prorsus infundatam agnoverunt, & agnoscere debeant diversis vicibus Serenissimi prætendentes, & quidem *una vice*, quando anno 1720 Ecclesia parochialis in Niderembt Abbatiæ ad S. Panthaleonem intra Coloniam incorporata vacabat in Mense papali in favorem Serenissimi Caroli Philippi prætendebatur Turnus apostolicus, insistente autem fortiter jure suo Reverendissimo Abbatæ, ejusdem Serenissimi Senatus Regiminis intimus Düssellanus protulit Sententiam sequentis tenoris: "Auf Ersehung des Verfolgs in Sachen Prälat und Conventualen des Gottes-Hauß zu St. Panthaleon binnen Cölln wider Scheffen und Vorstehere zu Niderembt ein und anderen theils das Jus Patronatûs über die Pastorat zu jetz besagtem Niderembt betreffend, ist zu Recht erkent, daß besagtes Gottes-Hauß zu St. Panthaleon bey dem Jure Patronatûs zu Niderembt in possessorio, salvo petitorio allerdings zu belassen und zu manuteniren, mithin Scheffen

und

und Vorstehere zu Niderembt in die in gegenwärtiger Sachen auffgangene Proceß-Kösten, designatione & moderatione salvis, fällig zu ertheilen seyen, allermassen hiemit belassen, manutenirt, und fällig ertheilt wird. Düsseldorff den 20ten Februarii 1721. Aus Ihro Churfürstliche Durchleucht sonderbahrem gnädigstem Befelch. (L.S.) AA. Graff von Hatzfeld. Hallberg." Porro quando eodem anno 1721 Ecclesia parochialis in Küdinghoven Patriæ Montensis vacabat in Mense apostolico, atque à Reverendissimâ Abbatissâ Ecclesiæ perillustris in Vilich collata fuit, jure ordinario, Clerico *Petro Bey*, huic placitum Serenissimus concedere noluit, nisi factâ prævià inquisitione, utrum sibi competeret Turnus apostolicus? judicatum fuit, eandem Parochiam non subesse Turno apostolico, seu sequentia Documenta testantur: "Coram Scabinis J. ad Nesselrath und Hrn Brosy. Montag den 17ten Februarii 1721. Nachdem Ihro Kurfürstl. Durlaucht auf Anstehen Johann Peteren Bey umb ihm das Landsfürstl. Placitum über die der Frau Abtißinn zu Vilich Ihme conferirte Pastorat in Küdinghoven zu ertheilen unterm 27ten Januar. gnädigst befohlen, sich zu erkündigen, wer über sothane Pastorat Collator seye, die letztere Collation ausgegeben, und ob Ihro Kurfürstl. Durchlaucht das Jus Patronatûs wenigstens alternativum in Turno apostolico nicht zukomme, so ist in vim Citationis die Gemeinde zu gemeltem Küdinghoven als Scheffen, Vorsteheren, und meist beerbten erschienen, darauf denenselben der Innhalt allsolchen gnädigsten Befelchs vorgehalten, und darauf sich folgender Gestalt antwortlich vernehmen laßen, daß in specie Johannes, und Hendrich Hombitzer, Henrich, und Johannes Rings 80 bis 90 Jahr alt mit übrigen Gemeins Leuthen sie anders nit wissen, noch gehört hätten, als daß die gnädige Frau Abtissinn zu Vilich der Pastorat zu Küdinghoven Collatrix wäre, auch die letztere conferirt hätte, ob nuhn aber solche mit Ihro Kurfürstl. Durchlaucht alternativ seye, hätten niemalen gehöret, inmaßen einige bis 9 Pastores hieselbst erlebt hätten. — Sequitur Extractus Rhentmeisterey des Ambts Levenberg. Küdinghoven ein Dorf, und Kirspel Kirch, und Honschaft gehören hierunter die Dörfer und Honschaften Ramersdorf und beyde Ober- und Niederholtdorf, Becklinghoven zur Halbscheid, Limprich und Bewel, und ist die Collatrix die Abtissinn zu Vilich. — Extractus Protocolli Judicialis, worin Scheffen, Vorsteher, und Gemeinde zu Küdinghoven attestiren, daß Frau Abtissinn zu Vilich die einzige Collatrix der Pastorat allda seye, und Kurpfalz kein Jus alternativum darzu habe."

§. XI.

Continuatio.

Ut in prætensi circa Turnum apostolicum Ecclesiarum parochialium Juris possessionem, quam via facti attentarunt, sese intromittere eo faciliùs vellent, Jus placiti territorialis à Parochis neoprovisis rogandi, vocarunt in Subsidium, atque Literis placiti in Præjudicium Patronorum ordinariorum inserere cæperunt Clausulam; quod Collatores ordinarii parochias, ceu *in suo Mense vacantes* contulissent, uti sequentes placiti Literæ Joannis Jacobi Weitz provisi Pastoris in Oberdollendorff, de anno 1710 testes sunt: „Von Gottes Gnaden Wir Johann Wilhelm, Pfalzgraf bey Rhein, des heil. Römischen Reichs Erztruchses, und Kurfürst in Bayern, zu Gülich, Cleve, und Berg Herzog, Fürst zu Mörs, Graf zu Veldenz, Sponheim, der Mark, Ravensberg, Herr zu Ravenstein ꝛc. thuen kund, und fügen Unseren Beamten zu Levenberg, sonderlich aber Scheffen, Vorstehern, und gemeinen Eingesessenen zu Oberdollendorf hiemit gnädigst zu wissen: Nachdem Uns Joannes Jakobus Weitz demüthigst zu erkennen geben, was Maßen er auf anderwärte Promotion des Pastoris zu Oberdollendorf Petri Wilden von der Frau Abtissin zu Vilich in suo Mense mit solcher Pastorat hinwiederum versehen worden, mit gehorsamster Bitt, Wir gnädigst geruhen wollten Ihme darüber Unser Landesfürstliches Placitum zu ertheilen, daß Wir auf dessen befundene gnugsame Qualification, solcher demüthigsten Bitt in Gnaden Statt gegeben, und Ihme Weitz gegenwärtiges Unser Landesfürstliches Placitum ertheilet haben, massen Wir hiemit, und kraft dieses ertheilen; Euch obgemeldt samt, und sonders hiemit gnädigst befehlen, daß ihr gedachten Weitz für einen Pastoren zu obbesagtem Oberdollendorf annehmet, haltet, und erkennet, Ihme auch alle, und jede zu solcher Pfarr gehörige Rhenten, und Gefälle zu gewöhnlichen Zeiten folgen, und reichen lasset. Urkund hervorgedruckten Kanzley Secret-Siegels. Düsseldorf den 28ten Aug. 1710. Aus Höchstged. Ihrer Kurfürstl. Durchlaucht sonderbarem gnädigstem Befehl. (L. S.) Vt. A. S. Robertz mppr. Johann Hermann Vogels". Postquam hæ Literæ cum hac Clausula maximè præjudiciosa innotuissent Rmæ Collatrici ordinariæ Abbatissæ in Vilich, hæc Jus suum perpetuum circa Ecclesias parochiales de suo Jure patronatûs existentes remonstravit ipsi Serenissimo Electori, atque hic cognita Turni apostolici prætensi insubsistentia Mandatum dedit de expediendo placito omissa

Clausulâ

Clausulâ illa Gravatoriâ: *in suo Mense* quemadmodum etiam Neoproviso à Senatu Concilii Intimo placitum territoriale fuit expeditum sub prima Junii 1711. ceu utriusque *Placitum cum Clausula*, & *sine Clausula* illa in originali asservatum in Archivo Abbatiali ejusdem Perillustris Ecclesiæ Collegiatæ testatur.

§. XII.

Continuatio.

Aliâ porro viâ opus erat, qua nitebantur Ecclesias parochiales Juliacenses & Montenses subjicere Juri alternativo sub prætextu Turni apostolici, videlicet, quod provisi neoparochi Jure ordinario de Parochia in Mense papali vacante coacti fuerint petere novam collationem à Serenissimo, si voluissent admitti ad possessionem pacificam, & frugiferam; verum collationis inde consecutæ insubsistentiam ipsi Parochi neoprovisi agnoverunt, ceu ex sequenti testimonio Bartholomæi Boickkræmer Pastoris in Ælstolff colligitur, quod impressum erat in der abgenöthigten rechtsbegründeten Informativ-Widerlegung und Refutation an Seiten Reinoldi Bahnen zeitlichen Abten zu S. Panthaleon binnen Köln in puncto der Pfarr zu Niederembt contra Turnum apostolicum, quod exhibitum fuit Senatui Consilii intimo anno 1721. p. 30. sequentis tenoris: "Notum sit universis præsentes lecturis, aut legi audituris, quod ego Bartholomæus Boickkræmer Pastor in Ælstorff prævidens inter Serenissimum Principem Neoburgicum & Abbatem S. Panthaleonis in Colonia post mortem meam litem quandam ratione collationis Pastoratus in Ælstorff orituram, eo quod anno 1623. præsentibus DD. Georgii Coloniæ, & Dusseldorpiensi Decanis tanquam collationem à Serenissimo Principe adeptus ab Archidiaconali officio investituram acceperim, hacque ratione causam aliquam memoratæ suæ Serenitati dederim usurpandi Jus collationis Ecclesiæ in Ælstorff, quod illi nunquam competebat, nec unquam competere potest, pro conscientiæ meæ exoneratione & justitiæ amore, hoc quod fide sacerdotali circa collationis & investituræ meæ actum contigit, testatum relinquere debui; Ego itaque, qui supra vacante Ecclesia parochiali in Ælstorff ad Abbatem S. Panthaleonis tanquam ad verum & legitimum ejusdem collatorem Pontificio Archiepiscopalique desuper munitum Testimonio, accessi, petens ut mihi vacantem Ecclesiam conferre dignaretur: qui præviâ de personæ meæ qualitatibus disquisitione, petitioni meæ annuit, & Ecclesiam parochialem in Ælstorff mihi contulit; cum vero Princeps successu temporis Ecclesias terræ Juliacensis sibi impa-

tronare contra omnem æquitatem tenderet, actus possessorios quæreret, vacantiâ Ecclesiæ parochialis rescitâ factum est, ut ego ad administrationem vigore collationis ab Abbate S. Panthaleonis mihi factæ, pervenire non potuerim, suadetur interim, ut etiam suplex à Serenissimo Principe collationem peterem, quâ habitâ & impetratâ ad Parochiam in Ælstorff redii ibidem, quod alioqui per Officiales illico abductus nequivissem, quietus Parochi officio functus fui; collationem igitur à Principe non ut legitimo collatore, sed ab ipso sine quo quietus in Pastoratu non permitterer, accepi, & ad annum 1628. absque investiturâ (quam tacita ordinariorum licentia & conniventia petendam non urgebat) dictam Parochiam administravi, instituta verò per ordinarium in suâ Diæcesi & Juliacensi patriâ, Visitatione omnes quotquot, investituram de eo docere non potui, sed ipsam me procuraturum promisi, quærebant illi à quo collationem haberem, respondi non alium me cognoscere, nec nisi fulmine Excommunicationis feriri vellem, collatorem agnoscere posse, quam Abbatem sancti Pathaleonis, ad cujus præsentationem investituram ut peterem æquum & justum judicavi. D. Decanus S. Georgii aliunde satis de non alio collatore quam Abbate sancti Panthaleonis bona conscientia ad prædicti Domini Abbatis Præsentationem & collationem investituram requiri suasit, sed D. Decanus Dusseldorpiensis Principis indignationem timens, voluit investituram petendam ad præsentationem Serenissimi. Hæsi dubius, & violentiæ resistere non valens, nolens volens, velut à Serenissimo præsentatus ad Officialem investituram petiturus accessi, & per eundem investitus hucusque cum Abbatis sancti Panthaleonis præjudicio Parochiam in Ælstorff administravi. Hæc pro conscientiæ meæ tranquillitate infirmus ita se habere, coram testibus ad hoc vocatis testor."

§. XIII.

CONTINUATIO.

Ex quibus hactenus deductis facilè patet, quod II) ex factis & attentatis Collationis actibus circa Ecclesias parochiales in Turno apostolico, qui in Registraturâ ecclesiasticâ Dusselanâ vulgo in die Erkundigungs-Bücher notantur nihil in præjudicium Ordinariorum Collatorum erui possit: Etenim *A*) si actus illi ex sui initio considerentur, primus, qui illos attentavit, fuisse scribitur Joannes IV. Dux Juliacen- & Montensis ab anno 1525, & quidem *ad Suggestum Statuum suorum provincialium* consequentur via facti, non suffragante aliquo legitimo Titulo, & quidem ex causa oppido falsa, quod Ecclesiæ curatæ subessent Mensibus papalibus; verum quidem est, quod Curia romana

sub

ſub multis prætextibus eodem tempore ad ſe attraxerit Collationem beneficiorum etiam curatorum ſub titulo reſignationum, permutationum, præventionum, piſcationum &c. &c. &c. atque inde factum fuerit, quod poſthabito Jure ordinario collatorum perpetuorum redierint ex Curia romana proviſi bullis circa Beneficia curata, & forſan quod facile fieri potuit ad Beneficia curata parùm qualificati (quæ firmantur ex famoſis illis centum Gravaminibus anno 1522 in Comitiis Norimbergenſibus à Natione noſtra exhibitis) at vero non inde Jus erat Statibus provincialibus ſuggerendi Domino ſuo territoriali Menſium papalium uſum in Eccleſiis curatis; neque ad hunc Statuum ſuorum ſuggeſtum ſibi factum de Jure potuit Dominus territorialis procedere via facti ad Menſium papalium uſum, ſed ad Summum poterat Jure territoriali in quo continetur jus cavendi circa ſacra cavere, ne promoveantur indigni, atque inde fatemur juſtum eſſe placiti uſum à neoproviſis rogandi pro territoriis Juliacenſi & Montenſi; quin potius Dominus territorialis jure Advocatiæ Eccleſiis & Collatoribus eccleſiaſticis circâ horum jus Patronatûs impendendæ debuiſſet patronos ordinarios manutenere in exercitio ſui juris patronatûs, ne hi tria gravamina in faſciculo centum gravaminum Norimbergenſium anno 1522 contra Curiam romanam obmota, anno 1525 mox potuiſſent retorquere in attentationes fieri tunc cæptas in ſui præjudicium à Domino territoriali Montenſi, & Juliacenſi circa Parochias de ſuo jure Patronatûs inibi exiſtentes.

§. XIV.

Continuatio.

Porro *B.*) illud, quod ex Regiſtratura eccleſiaſtica, ſeu denen Erkundigungs-Büchern prætenditur fundamentum, quaſi hæ illæve Parochiæ in Menſe papali aliquando vacantes ſubfuerint Turno apoſtolico, à Sereniſſimis Dominis territorialibus exercito nihil omninò roboris continet; nam etſi libri ab Officialibus de publico deputati conſcripti, nec non in Archivo Principis aſſervati probationem faciant, id tamen in caſu ſubſtrato de libris notitialibus aſſeri nequit; quemadmodum enim via facti conſtat fuiſſe attentatos collationum actus circa parochiales Eccleſias reclamantibus conſtanter illis, quorum intererat, videlicet Patronis eccleſiaſticis, ita quoque actus illi libris notitialibus inſerti, non facta mentione contradictionis à parte altera interpoſitæ, quæ quantum potuit, ſalva Principum potentia, jus ſuum conſervavit, non præbent parti adverſæ præjudicium aut fundamentum cuidam præſcriptioni; &, ſicut Officiales ſuo Domino territoriali omni ſuffragio juris deſtituti ſuggere-

bant uſum Menſium papalium circa Eccleſias parochiales, facile fieri potuit, imò factum fuiſſe prudenter credendum eſt, quod ad promovendum exercitium Menſium papalium iidem notaverint, ac relinquere voluerint poſteris collationis actus nullos, & propterea effectu ſuo penitus deſtitutos, aut ſi effectum habuerint, à Patronis eccleſiaſticis potentiæ Principum coactò cedentibus contradictos. Etenim non eſt dubium, quin ille collationis actus, circa Parochiam Ælſtorff, de quo ſupra §pho XII actum fuit, inſertus quoque legatur libris notitialibus. At vero quis ex hoc actu, utut in libro notitiali contento vel umbram quidem juris etiam in poſſeſſorio in favorem Turni apoſtolici eliciet? huic adjungendum porro eſt, quod ejusmodi libri notitiales ſibi non ſint conſtantes ſatis, in aſſerendo jure prætenſo Menſium papalium; nam quoad parochialem Eccleſiam in Niderembt Monaſterio ad S. Panthaleonem incorporatam in libro notitiali ad annum 1550 notatur ſolum Abbatem ejusdem Eccleſiæ eſſe collatorem; ad annum 1577 notatur prædictam Parochiam ſubeſſe juri alternativo; in alio ad annum 1582 notatur, ſolus Sereniſſimus, ceu Collator ejusdem Parochiæ ordinarius. *a*) Quis varianti ejusmodi notitiali libro, & quidem in jure proprio ac intereſſe ipſius Principis fidem plenam habendam eſſe aſſeret? cum illi, qui citra jus ſuggeſſerunt Principi uſurpationem Menſium, facilè quoque notâſſe actus pro promovendo illo attentato quoslibet ſuſpecti ſint, atque hæc quoque cauſa fuit, cur ſuæ prætenſioni Sereniſſimi Duces ceſſerint, atque, uti Author Diſſ. cit Duſſelanæ inquit p. 17. omnes Parochiæ abbatiæ ad ſanctum Panthaleonem intra Coloniam pro liberà diſpoſitione in omni Menſe fuerint relictæ; non dubitamus, alias easque multas variationes ejusmodi in his libris notitialibus deprehendi, ſi lucem forſan publicam quoad alias Eccleſias parochiales paterentur circa prætenſum Turnum apoſtolicum.

a) Id colligitur ex ſequentibus extractibus, anno 1721 in cauſa Principis adversùs Abbatiam ad S. Panthaleonem intra Coloniam, Parochiam in Niderembt concernente productis & impreſſis in der Beleuchtung Ihro kurfürſtlichen Durchlaucht zu Pfalz als Herzogen zu Gülich an dero Paſtorat zu Niederembt gnädigſt bevorſeyenden Turni apoſtolici &c.

1) Extractus Gülisch-Geiſtlichen Erkundigungs-Buchs *de anno* 1550 wegen der Paſtorat zu Niederembt. Iſt eine Moder-Kirch, der rechte Paſtor iſt des Bürger-Meiſters zu Cöllen Broichs Stief-Sohn, hat einen Huyrling darauf geſatzt Hn. Henrichen von Bracht, derſelbig dann ſo ſchwach geweſen, daß er nicht hat er-

erscheinen können, so haben die Nachbahren von sich gethan, was ihnen bewust, sagen die Nachbahren, daß der Abt von St. Panthaleon sollte Collator seyn, und Herr Broichs Stief-Sohn solle dieselbige Kirch durch primarias preces von Kayserlicher Majestät erlangt haben, wiewohl daß dieselbige in des Abten, und nicht in des Pabst Monath gefallen seye, &c. Pro Extractu cum Orginali concordante J. R. Müllheim, Mpr.

II) Extractus aus dem Gülisch-Geistlichen Erkundigungs-Buch *de anno* 1577 wegen der Pastorat zu Niederembt. *Fol.* 89. Niederembt eine Kirspels-Kirch Patron sant Martin. Collatoren: den ersten Monath mein gnädiger Fürst und Herr, und den folgenden ein Abt und Convent St. Panthaleon in Cöllen, und also hinfurro das Jahr durchaus. Pastor Herr Christianus Croschs von Angelsdorff, &c. Pro Extractu cum Originali concordante J. R. Müllheim, Mpr.

III) Extractus aus dem Gülischen Erkundigungs-Buch *de anno* 1582 wegen der Pastorat zu Niederembt.

Folgen Articulen, so *Fol.* 33. *pag.* 2. sich finden:

1) Wie die Pastoreyen, Vicareyen, Capellen und Officia genennet werden?
2) Item ob auch einige Capellen, Vicareyen, oder Officia ausserhalb den Städten, Dörfern, und Flecken, im Felde oder sonst auf den Häusern vorhanden gewesen, oder annoch seynd?
3) Item, welche die Collatores oder Patronen der Pastoreyen, Capellenen, Vicareyen, und Officien seyen?
4) Item, welche die letzte und jetzige Possessores seynd?

Folgen Responsiones, so *Fol.* 48. *pag.* 2. sich befinden:

ad 1) Sagt der Pastor zu Niederembt bey Aydts-Pflicht, die Kirch seye genandt Pastorey zu Niederembt.
ad 2) Sagt eine Capell im Ambt Caster genandt Leich, gehöre unter Niederembt, wird aber im Ambt Caster verdingt.
ad 3) Sagt, Hocherw. Unser gnädiger Fürst und Herr, Hertzog zu Gülich, Cleve und Berg.
ad 4) Herr Arnold Hafft, nun Christian Crosch.
Pro Extractu cum Originali concordante J. R. Müllheim, Mpr.

§. XV.

§. XV.

Continuatio.

Demum C.) circa Ecclesias parochiales territoriorum Juliacensis, Montensis, & Clivensis, quæ existunt de jure Patronatûs eorundem Dominorum territorialium maximam habendam esse fidem credimus, Extractui Libri Archivi Archiepiscopalis Coloniensis in quo nomina Beneficiorum, & Pastoratuum dictæ Archidiœcesis, eorundemque Collatorum specificè continentur, quem Extractum hic subjungimus:

I.) Dux Juliacensis. Euskirchen. Gerode. Juchem. Büren. Duren. Norvenich. Olmetzheim. Boislar. Glimbach. Lammerstorff. Weme. Barmen. Roislar. Zyrne superius. Mertzenich. Ad S. Mariam in Tulpeto. Cuchenheim Lamberti. Rödisheim. Zylsch. Hergarden. Vlatten. Hengerbach. Werenstein. Vylpe. Dittel. Keldenich. Wylre prope Burg. Myrweiler. Birckestorp. Wysweiler. Lyniche. Dynkirch. Gurtzenich. Lendestorp. Item omnes Præbendæ in Nideggen.

II.) Dux Montensis. Nemget. Dusseltorp. Eicktrop. Blanckenberg. Heynsberg. Olpe prope Kurten. Heyncheshoven. Burgel. Sande. Merrhem prope Tuitium.

III.) Dux Clivensis. Immite vel Innemeren inferius. Kalcker. Cleve. Wyschel. Griete. Warbegde. Keyen. Duysberg. Dusselwerde. Meer. Rees. Vyden. Cranenburg unà cum Præbend. Dronsburg. Ravensberg. Weys. Ordhem. Breiderich. Indenrogend. (L. S.) Archiepiscopalis. Pro Extractu supradicto & collationato & concordante Casp. Buck mp.

In hoc Extractu nec ulla fit mentio parochialium Ecclesiarum aliarum, quod sint de alternativâ collatione mensium, seu Turno apostolico Summis Ducibus Montensi & Juliacensi competente.

§. XVI.

Continuatio.

Hæc novissimis temporibus nata prætensio Turni apostolici circa Parochias Ecclesiis collegiatis incorporatas causa erat, cur expresse ejusmodi Ecclesiæ in Statutis suis de jure suo perpetuo in omni Mense cavere cæperint, atque neoprovisos Parochos adstringere ad Juramentum de non resignando in quocunque Turno Ecclesias parochiales, nisi ad manus sui collatoris perpetui, ut ita tortura spiritualis præcluderet forsan viam dimittendi Ecclesias curatas

Duca-

Ducatuum Juliæ & Montium ad manus Serenissimi in Turno apostolico, sed potius ut inde palam fieret Ecclesias curatas non subesse alternativæ concordatorum, & propterea non possent dimitti in quocunque mense, nisi ad manus ordinariorum collatorum; atque hæc ex Statutis Ecclesiarum collegiatarum Ss. Cassii & Florentii intra Bonnam, & S. Gereonis, ac S. Andreæ intra Coloniam, quorum extractum hic apponimus, probantur.

A) Extractus ex Statutis Ecclesiæ Ss. Cassii & Florentii intra Bonnam. *Cap.* 5. *artic.* 3.4.: "Harum Parochialium unitarum seu Vicariarum perpetuarum ea est natura, quod ex constitutione Pii Papæ V., quæ incipit: *Ad exequendum pastoralis Officii debitum &c.* cura animarum penes Capitulum quà Rectorem, curæ verò exercitium penes Vicarium in Beneficio unito deputatum resideat, & ejusdem perpetui Vicarii ordinatio spectet non ad liberam ordinariorum electionem vel concursum, sed ad nominationem illorum, in quorum Ecclesiis unitis ponitur, pertineat indefinitè, semper & absque aliquâ temporum & mensium distinctione, adeoque in omnibus Mensibus anni etiam Sedi apostolicæ reservatis, nec cadat sub Concordatis Germaniæ aut regulis Cancellariæ apostolicæ vel indultis corferendi, ipse tamen capitulo, ut suprà, præsentatus, habitâ capitulari collatione, cum dictorum ordinariorum seu eorum Vicariorum prævio examine & approbatione deputetur. Hinc liberum non erit hujusmodi Vicariis perpetuis sine prævio capituli præscitu & assensu suas Ecclesias dimittere aut resignare, cavebuntque & promittent tempore collationis dato reversali se id non facturos, sed ad manus solius capituli resignaturos."

B) Juramentum perpetuorum Vicariorum Vice-curatorum in Parochiis Ecclesiæ collegiatæ ad S. Gereonem intra Coloniam incorporatis: "Ego N. Rector, seu Vicarius perpetuus Ecclesiæ parochialis in N. juro, quod ab hac hora in antea ero fidelis, & obediens Archiepiscopo Colon. ac Domino Decano & Capitulo Ecclesiæ S. Gereonis Colon. in licitis, & honestis, apud dictam Ecclesiam meam, seu perpetuam Vicariam curatam personaliter residebo, illique, & curæ animarum mihi commissarum, in prædicatione verbi Dei, & administratione Sacramentorum secundum & doctrinam, & ritum Ecclesiæ catholicæ, & exemplo vitæ per Dei gratiam laudabiliter præero, aliasque officium mihi ex debito incumbens diligenter adimplebo, redditibus & portione Rectori illius assignatis, & quas hactenus percepit de cætero contentus ero, inventa jura conservabo, &

de-

deperdita pro posse & nosse recuperabo, eandem Ecclesiam meam, seu perpetuam Vicariam meam curatam sine expresso consensu Dominorum meorum Decani, & Capituli supradictorum non permutabo, aut quovis modo dimittam; orthodoxam Fidem &c.

C.) Juramentum Rectorum parochialium Ecclesiarum ad collationem, & præsentationem Ecclesiæ S. Andreæ Coloniæ conjunctim, vel divisim spectantium: "Ego N. Pastor parochialis in N. juro, & promitto, quod ex nunc, & in antea venerabili Illustrissimo, & egregiis circumscriptis Dominis, & Superioribus meis Decano, & Capitulo Ecclesiæ S. Andreæ Colon. & eorum Successoribus fidelis & obediens ero, & esse volo, & illorum præceptis, & mandatis parebo, ac reliquias, ornamenta, reditus & bona dictæ Ecclesiæ meæ inventa pro posse, & nosse meis conservabo, ac deperdita recuperabo, ac in dicta Ecclesia mea personalem residentiam faciam, nisi de licentia Dominorum meorum prædictorum ad tempus ab hujusmodi residentia revelatus fuero, nec eandem Ecclesiam sine expresso consensu dictorum Dominorum resignabo, aut permutabo, ac portione, si quamvis in dicta Ecclesia prædecessoribus à sæpe dictis Dominis Decano & Capitulo pro competentia forsan assignata fuerit contentus ero, & esse volo, nec ullo unquam tempore per me, aut alium quemcunque occultè vel manifestè, directè vel indirectè, seu quovis alio quæsito colore aut ingenio quidquam ultra hujusmodi portionem ratione competentiæ meis prædecessoribus fortasse datum, aut aliud quodcunque prædium insuetum à dictis Dominis meis dictæ Ecclesiæ, aut illius Regiminis petam, seu exigam, sed eorundem Dominorum honorem, commodum, utilitatem, & Statum fideliter omni fraude semota procurabo, nec contra præmissa, aut aliquod illorum directè vel indirectè per me ipsum, aut aliam personam veniam, aut faciam, neque contra ea dispositionem impetrabo, neque ulla etiamsi motu proprio mihi concessum fuerit, ullo nunquam tempore utar, neque uti volo, sic me Deus adjuvet, & hæc S. ejus Evangelia".

§. XVII.

Bulla EUGENII IV. *de anno* 1445 *non obest juri patronorum ordinariorum circa Ecclesias curatas.*

Restat nunc, ut Bullam illam Eugenii IV., quæ occasio imò fundamentum erat attentati Turni apostolici (ceu Relatio D.D. Consiliariorum de REDINGHOVEN & EHRMANS teste Diss. Dussellanæ cit. p. 15. edisserit) exami-

examinemus, atque quantum pro Turno apostolico ferat subsidii, videamus. Eugenius P. IV. anno 1445 decimo septimo Kalend. Februarii *a*) ad *Episcopum Trajectensem* dedit Bullam, quâ eidem datur facultas conferendi Beneficia quæcunque pro Territoriis ac Dominiis Adolpho Duci Clivensi subjectis, personis per ipsum Ducem nominandis, *si NB. vacaverint in Turno sive Mense Ordinariorum*, & *nisi Sedi apostolicæ fuerint reservata* — Occasio hujus Bullæ datæ erat dissidium tunc existens in Ecclesia inter EUGENIUM IV. & FELICEM V. qui in locum EUGENII IV. à Concilio Basileensi depositi fuerat surrogatus — Natio nostra germanica factâ hac depositione neque Eugenio, neque Felici adhærere voluit, sed anno 1439. iniit *Neutralitatem* Moguntiæ sub ALBERTO Rege — hanc neutralitatem eodem anno amplexi sunt THEODORICUS Archiepiscopus Coloniensis & JACOBUS Trevirensis. — Hi anno 1444 excesserant fines neutralitatis & transierant ad partes FELICIS V. — inaudiens hoc EUGENIUS eos exauctoravit, atque Mitram Coloniensem Adolpho Duci Clivensi à partibus EUGENII existenti in favorem Filii ejus secundo-geniti ADOLPHI detulit, sed Cæsare & Imperio fortiter resistentibus — præterea literas concessit prædictas Episcopo Trajectensi, ut institueret in Beneficiis vacantibus in Turno Ordinariorum personas sibi à Duce Clivensi nominandas — anno 1446 Natio germanica redire tentavit in unionem cum EUGENIO IV. — quæ unio anno 1447. fuit facta sub variis conditionibus, inter quas erat ista: *ut Papa restitueret suis Sedibus Archiepiscopos Coloniensem & Trevirensem, quos exauctorare præsumpsisset, atque revocaret omnia, quæ in eorum præjudicium à Papa essent concessa* — Papa petitis Nationis annuit; duos Archiepiscopos suis Sedibus restituit atque omnia in præjudicium eorum acta revocavit signanter Bullam in favorem Adolphi Clivensis ad Episcopum Trajectensem datam quoad collationem Beneficiorum *b*). — Videamus nunc, quâ ratione JOANNI IV. Duci Montensi Bulla hæc potuerit esse causa attentandi *Turni apostolici*? 1) Bulla loquitur de Beneficiis vacantibus in Turno Ordinariorum, quomodo trahi poterit ad Turnum apostolicum, quem Bulla Adolpho prædicto expresse negat? 2) Bulla hæc in terminis mox fuit revocata, atque THEODORICUS Archiep. Coloniensis fuit per eundem Papam omnibus suis Juribus plenè restitutus — 3) Conditis ex post Concordatis Bulla Eugeniana prætensa omni quoque effectu mansit destituta — 4) Bulla ipsa in radice *ceu nulla* facilè impugnari posset, ex eo, quòd Imperator FRIDERICUS III. Exauctorationi non consenserit — Quomodo autem ejusmodi Bulla possit esse Pallium prætensi cujusdam Turni apostolici, & quidem pro Territoriis Montensi & Juliacensi, pro quibus nequidem data erat, non capimus.

a) Conf. HARTZHEIM *CC. germ. Tom. V. p. 283.* — Ex quo corrigi poterit error Dissertationis Dusselanæ cit. videlicet Bullam hanc non fuisse datam 17 Julii, neque *Adolpho Duci*, sed Episcopo Trajectensi.

b) Vid. HARTZHEIM *l. cit. p. 394.*

§. XVIII.

Remedia contra futura attentanda in Præjudicium Patronorum ecclesiasticorum.

Quoniam (ceu Resolutum Senatûs Regiminis Dusselani elapso anno conceptum Ecclesiam parochialem in Wittlar de Jure patronatûs perpetuo & in omni Mense R[dmæ] Abbatissæ in Vilich p. t. existentem concernens testatur) prætensiones Turni apostolici circa parochias Territoriorum Montensis & Juliacensis, etsi notoriè nullæ sint, continuantur, superest, ut de remediis, quibus attentata illa in irritum revocentur, agamus; & quidem, cum notissima sit Serenissimi Principis ac Electoris Palatini CAROLI THEODORI erga Ecclesias earúmque jura pietas, nec non in conservandis germaniæ Concordatis sancta Religio, I.) suademus, ut, si Patroni ecclesiastici sese per Senatum ejus intimum in Jure suo patronatûs læsos & gravatos sentiant, justissima remonstratione juris sui ipsum FONTEM justitiæ pro Ducatibus Juliæ & Montium exercendæ adeant, atque ab illo sollicitent solamen, quo invito experti sunt gravamen; non dubitamus, quin Gravamina illata tollantur è medio, atque in Jure suo patronatûs secundùm Concordata germaniæ manuteneantur Patroni ecclesiastici ab illo, qui pro tuendis Concordatis principum anno 1764 efficacissimas dedit literas ad Summum Pontificem CLEMENTEM XIII. hunc pro justitia secundùm Concordata facienda germanâ pietate exorando, &, quod petiit, impetrando; *a*) sanè hic in suo Senatu intimo non patietur, quod Sedi apostolicæ non convenire arbitrabatur; viam hanc inierat R[dma] Abbatissa in Vilich D[na] de Bucholtz anno 1704 in causa Ecclesiam parochialem in *Wittlar* Ecclesiæ Villicensi incorporatam concernente; hæc Ecclesia parochialis anno 1700 vacabat *in Mense papali*; provisus de illâ fuit à R[dma] Ordinaria Collatrice Villicensi CHRISTOPHORUS SIEBERG, qui impetrato quoque placito in quartum modo annum erat in pacifica possessione prædictæ Ecclesiæ parochialis; quarto anno à tempore captæ pacificæ possessionis Regiminis Senatus intimus illum turbabat per Mandatum de impetranda novâ provisione à Serenissimo; ast factâ ad ipsum SERENISSIMUM solidiori Remonstratione ad ejus Mandatum pacificæ suæ possessioni fuit relictus *b*).

a)

a) Extant desuper literæ Pontificis datæ ad Serenissimum Palatinum in *Tom. II. Conc. germ. p.* 270.

b) R[dma] Collatrix se fundabat in Collationis actibus hactenus continuatis; & potissimum in Diplomatibus, quibus Ecclesiæ parochiales existerent Ecclesiæ Villicensi incorporatæ & de jure hujus Patronatûs, quæ Diplomata in Adjuncta sub lit. B) adferemus.

§. XIX.

Continuatio.

Quodsi, præter omnem exspectationem primus ad Serenissimum ipsum factus Recursus absque fructu succederet, præsto est aliud Remedium illudque justissimum ac efficacissimum, videlicet Recursus ad Augustissimum Imperatorem & quidem immediatus posthabitis omnibus instantiis Inferioribus *etiam Romanis*; quam protectionem Patronis ecclesiasticis ex notoria praxi & Observantiâ Imperii *per Archidicasteria Imperii* immediatè hactenus impertitus fuit; hoc Remedium est ex jure & praxi certissimum; quamvis nonnulli Germaniæ nostræ Canonistæ id capere nequeant; in quorum gratiam, doctrinam hanc paulò fusiùs demonstrabimus. Et quidem I) in *Capitulatione Cæsarea Articulo XIV*. §. 1. & 3. Augustissimus omnibus Capitulis & Ecclesiis Germaniæ promittit manutenentiam *in Concordatis ac Jure suo Patronatûs*, quoties Ecclesiæ putant se contra Concordata esse læsas; Imperator se obligavit *ex facto* juramento se protecturum esse Ecclesias germaniæ & Capitula in jure ex Concordatis quæsito: quare ergo *in Casu læsionis* locum non habeat Recursus ad Imperatorem, quem obligatum fore ex Officio advocatiæ ad sananda vulnera Concordatis illata, voluit per Augustum Electorale Collegium tota nostra germanica Natio?

§. XX.

Continuatio.

Porro II) certissimâ praxi supremam hanc Augustissimi Jurisdictionem immediatè & privativè fundatam esse constat in Casibus Concordata, ceteráque Jura majestatica ac suprema reservata Cæsarea concernentibus; innumeris aliis omissis duos solummodo Casus adferam, quorum primus est ille, qui in Ecclesia cathedrali Osnabrugensi versabatur anno 1774 in quâ tres Canonici Aug. Conf. libertatem nubendi in Statu canonicali suo prætendebant; Corpus Canonicorum catholicorum inibi existentium huic

 præ-

prætensioni sese opposuit; Augustissimum Imperatorem imploravit pro manutenentia suorum Statutorum ac observantiæ legitimè introductæ; tres Canonici A. C. opponebant exceptionem fori, eo quod Jurisdictio Cæsarea non foret immediatè fundata in Causis personas immediatas Imperii non concernentibus; adeoque primam Instantiam Episcopi osnabrugensis in hâc causa esse fundatam; verùm hæc exceptio fori declinatoria à Senatu Imperii Aulico anno 1775 die 8. Augusti rejecta, atque Decretum paritorium contra opponentes fuit impetratum *a*). Novimus hunc procedendi modum contra tres Canonicos Protestantes Ecclesiæ Osnabrugensis Judicii Imperialis aulici non arridere quibusdam Catholicis Canonistis, in quorum Principiis causa illa debuisset remitti in prima Instantia in favorem Protestantium cognoscenda ad Judicem inferiorem, verùm sinendi illi sunt.

a) Conf. MOSER Reichs-Staats-Handbuch, 2ter Theil, ed. 1776. p. 337. seq.

§. XXI.

CONTINUATIO.

Alterum est exemplum quòd in Ecclesia Hildesiensi de anno 1753 sub Archiepiscopo nostro Coloniensi CLEMENTE AUGUSTO in causa beneficiali Hildesiensi refert cl. KÖNIGS *a*) in qua sacra sua Cæsarea Majestas ad Archiepiscopum & Electorem Coloniensem dedit Rescriptum sequentis tenoris: „Die Frage, wem die Erkänntniß über strittigen Besitz der geistlichen Beneficien, und Canonikaten in denen Fällen zustehe, wo die Concordata Nationis germanicæ, oder andere kaiserliche allerhöchste Vorrechte wollen angefochten werden, sey sogar außer allen Zweifel, daß solche durch eine ohnunterbrochene Observanz von vielen Jahrhunderten die unablehnliche Entscheidung bekommen, wie dann auch der Herr Kurfürst selbst in der bekannten hildesheimischen Scholasterie-Sache die kaiserl. Jurisdiction anerkannt, und bekanntermaßen **Ihro kaiserl. Majestät, als dem höchsten Schutz- und Schirmherrn der teutschen Kirchen die Handhabung der Concordaten, wie auch der gesammten Kapitel-Freiheiten jederzeit alleinig** gebühret, die bey dergleichen Fällen erfolgte Obrist-richterliche Aussprüche aber wären sowohl die geistlichen als weltlichen Reichsstände nach den Fundamental-Gesetzen zu befolgen schuldig".

a) Selecta jur. publ. Tom. 29. à p. 1. bis 19.

§. XXII.

§. XXII.

Continuatio & Conclusio.

Cum itaque Recursus ad Augustissimum Protectorem jurium & libertatum Ecclesiarum Germaniæ immediatus sit fundatissimus, hic quoque patebit Patronis ecclesiasticis, si Turnus apostolicus prætendatur circa Ecclesias parochiales sibi incorporatas; etenim hic observari concordatorum casum extra dubium est; cùm 1) quæstio hic sit: *utrum Ecclesiæ parochiales subsint alternativæ mensium?* cujus quæstionis decisionem in favorem Ecclesiarum collegiatarum Germaniæ à Rota romana frustra exspectabis. 2) Utrum usui Turni apostolici, quo Ecclesiæ parochiales Germaniæ existunt liberæ, subsint Ecclesiæ territoriorum Montensis & Juliacensis? 3) Statuta Ecclesiarum Germaniæ collegiatarum in præsenti causa manutenenda sunt ab Augustissimo Imperatore secundùm claram literam Capitulat. cæs. art. XIV. §. 2. Quis itaque dubitet, casu, quo Patroni ecclesiastici gravantur in jure suo ordinario Patronatûs circa Ecclesias parochiales in omni mense, fundatam esse immediatè Jurisdictionem cæsaream, atque ob fundatam Jurisdictionem, ab Augustissimo manutenentiam esse expectandam? Hoc Remedium *tutissimum* est, est *efficacissimum*, *lites abbrevians*, *non sumptuosum*; quis amabit potiùs experiri velle *innumeris sumptibus*, *&* *longissimo tempore* in inferioribus Instantiis neglecto hoc remedio *primo & ultimo?* imò hic Recursus est Ecclesiis præcipuè *parochialibus* utilis, quo his de Rectoribus idoneis eò citiùs providetur, uti exemplum nostris in terris famosissimum de Parochia in *Rüngsdorff* testatur, quæ, gravaminum libello vix per decem dies *Augustissimo Imperatori* exhibito, nacta est Rectorem suum efficacissimo Rescripto cæsareo ut lis sit finita; quæ percurrendo ceteras Instantias ad decem annos forsan & ultra fuisset protracta non in gravissimum ovium & animarum dispendium.—Hunc nostrum Recursum sumant quoque Patroni quoad Parochias Ducatuum Juliæ & Montium sibi reservatas in omni mense, atque certissimam experientur Augustissimi protectionem, qui pro conservandis Concordatis & Legibus Imperii fundamentalibus sollicitè excubat.

ADJUN-

ADJUNCTUM

sub Lit. A.

Sententia Curiæ romanæ, qua Parochia in Nideremmel ad Mosellam Diœcesis Trevirensis de Jure Patronatûs Carthusiæ prope Treviros existens judicatur libera ab alternativa Mensium contra Eminentissimum Trevirensem &c.

Joannes Jacobus Millo Protonotarius apostolicus, ac Sanctissimi Domini nostri Papæ Datarius, Cajetanus Elephantutius, Aloysius Matthejus sacræ Rotæ Auditores, Xaverius Justinianus Subdatarius, Camillus Philippus Sellarius vacationum per obitum Præfectus, omnes Judices Commissarii in Congregatione particulari ab eodem sanctissimo Domino nostro Papa Benedicto XIV. ùt infra deputata.

Serenissimo & Reverendissimo Principi & D. Domino Dei & apostolicæ Sedis Gratia Archiepiscopo & Electori Trevirensi, nec non Illustrissimo & Reverendissimo Domino Nuntio apostolico pro Sanctissimo Domino nostro Papa sanctaque Sede apostolica ad tractum Rheni residenti, ac Illustrissimis & Reverendissimis Dominis in Christo Patribus, & Dominis Episcopis Archiepiscopatui præfato vicinioribus universis quoque & singulis RR. DD. Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, Archidiaconis, Thesaurariis, tam cathedralium, quàm collegiatarum Canonicis, parochialiumque Ecclesiarum Rectoribus, Curatis, Capellanis, cæterisque Presbyteris, Clericis, Notariis & Tabellionibus publicis quibuscunque, illique vel illis, ad quem, seu ad quos præsentes nostræ Litteræ provenerint, aut præsentabuntur, Salutem in Domino. Noveritis, qualiter introductâ lite, & causa primo, & in prima coram Judice deputato à prælaudato Serenissimo & Reverendissimo Domino Archiepiscopo Trevirensi inter Rev. D. Henricum Josephum Braun provisum à prædicto Reverendissimo Domino Archiepiscopo uti Indultario ex una, & ven. Monasterium & RR. PP. Priorem, & Monachos carthus. ad S. Albanum extra Treviros, nec non Rev. D. Petrum Haspon ab eis præsentatum partibus ex altera de, & super Institutione Eccles. parochialis S. Martini in Pago Niederemmel Diœcesis Trevirensis & deinde vigore ejusdem Sanctissimi Domini nostri Papæ specialis Commissionis per sanctitatem suam signatæ nobisque directæ super cognitione, decisione, ac terminatione supradictæ causæ tenoris ùt infra videlicet = Trevirensis parochialis = F. D. de Zelada = Beatissime Pater humiliter exponitur S. V. pro parte & ad instantiam

devoti

devoti illius Oratoris Josephi Braun, qualiter vacato Beneficio curato in Nie-deremmel in Mense Julii anni 1747. fuit de illo provisus Orator antedict. ab Archiep. Trevir. vigore indulti uti vacato in Mense apostolico: Econverso Monachi Carthusiæ ad S. Albanum extra Treviros prætendentes dictum Beneficium curatum non esse subjectum affectionibus ad illud, præsentarunt alium Sacerdotem. Introductaque causa super institutione coram judice de partibus, ista per Sententiam definitivam declaravit supradictum Beneficium curatum esse subjectum reservationi mensium, & pro hujusmodi effectu dandam esse institutionem Oratori, ab ista Sententia Monachi Carthusiæ appellarunt ad S. V. & successivè curarunt illam committi S. Rotæ Auditori, modo Orator antedictus supplicat S. V. ut dignetur causam, & causas hujusmodi unà cum omnibus emergentibus, dependentibus annexis, & connexis, totoque negotio principali cum clausula, quam & quas prævia advocatione à S. Rota congregationi datariæ S. V. una cum adjunctis audiendi, cognoscendi, decidendi fineque debito terminandi committere & mandare cum facultate citandi, & inhibendi in Curia & extra, quos, quibus, quoties, ubi, & quando opus fuerit, etiam per Edictum publicum & sub censuris, omniaque alia facienda, gerenda, exercenda, quæ in præmissis & circa præmissa erunt quomodolibet necessaria, & opportuna. Nec non Constitutionibus & Ordinationibus apostolicis, Stilo Palatii & Curiæ, cæterisque contrariis non obstantibus quibuscunque Statum pro plene &c. = de Mandato Sanctissimi Domini nostri Papæ congregatio datariæ una cum Mag. Elephantutii & Matthei cit. & inhibeant, procedant, ùt petitur, & Justitiam faciant = Placet P. Alexander de Planchis Poregens. Eademque causa coram nobis proposita & diversa, ac pluries auditis partibus in contradictorio Judicio in voce ac in scriptis, tandem sub die 6. Septembris 1752. nostram protulerimus Sententiam tenoris infrascripti videlicet = CHRISTI NOMINE INVOCATO. Pro tribunali sedentes, & solum Deum præ oculis habentes per hanc nostram definitivam sententiam, quam de jurisperitorum consilio in his scriptis ferimus in causa & causis, quæ primo, & in prima coram Judice deputato ab Eminentissimo Domino Archiepiscopo Trevirensi secundo & in secunda, seu alia veriori vigore commissionis signatæ & in actis productæ in executionem Decreti R. D. D. Auditoris sanctissimi prolati sub die 18. Novembris 1749. per acta Paparozi coram nobis ventilatæ fuerunt & vertuntur instantiis inter R. D. Henricum Josephum de Braun provisum à prælaudato Eminentissimo Archiepiscopo uti Indultario S. Sedis de Ecclesia parochiali S. Martini in Pago Niederemmel Diœcesis Trevirensis vacata in Mense Julii anni 1747.

per

per obitum Quirini à Ponte ultimi illius possessoris ex una, ac ven. Monasterium, & RR. PP. Priorem & Monachos Carthusiæ ad S. Albanum extra Treviros, nec non R. D. Petrum Haspon ab eis præsentatum ad supradictam Ecclesiam parochialem ex altera partibus de & super institutione ad dictam parochialem & respectivè confirmatione, vel infirmatione judicati Domini Judicis deputati ab Eminentissimo Archiepiscopo Trevirensi, rebusque aliis in actis ejusdem causæ, & causarum latius deductis ad quæ inhærenter ad resolutionem captam sub die 5. Aprilis currentis anni 1752 dicimus, decernimus, declaramus, & definitivè sententiamus bene fuisse per ven. Monasterium & RR. PP. Carthusiæ ad S. Albanum extra Treviros, ac præsentatum ab eis appellatum, & de nullitate dictum, malè verò & perperam fuisse à Judice deputato Eminentissimi Archiepiscopi judicatum, & propterea Sententiam seu Decretum D. Judicis deputati infirmandam & revocandam, seu infirmandum & revocandum fore & esse, prout infirmamus & revocamus, & pro infirmata & revocata, seu infirmato & revocato haberi volumus & mandamus, & pro hujusmodi effectu dictum R. D. Petrum Hospon uti præsentatum à ven. Monasterio, & RR. PP. Priore & Monachis Carthusiæ ad S. Albanum extra Treviros existen. in quasi possessione præsentandi ad eandem Parochialem S. Martini in Pago Niederemmel in quacunque vacatione, etiamsi in Mense reservato instituendum fore & esse ad prædictam Ecclesiam parochialem, prout ab Ordinario institui volumus & mandamus, eumque sic institutum immitendum fore & esse in actualem, realem corporalem possessionem supradictæ Eccles. parochialis, ejusque Jurium annexorum & pertinentiarum quarumcunque prout prævia dicta institutione immitti volumus, & mandamus. amoto dicto R. D. Henrico Josepho Braun & alio quolibet illicito Detentore, eidemque R. D. Petro Haspon respondendum fore & esse de omnibus & singulis fructibus, redditibus, proventibus & emolumentis quibuscunque ad dictam Ecclesiam parochialem quomodolibet spectantibus, prout responderi volumus & mandamus, mandatumque de immittendo, & aliud quodcunque desuper quomodolibet necessarium, & opportunum decernendum & relaxandum fore & esse, prout decernimus, relaxamus, & pro decretis & relaxatis haberi volumus, & mandamus, perpetuumque silentium de & super præmissis dicto Josepho Braun imponendum fore & esse, proui imponimus, & partem victam victrici *in expensas* & respectivè ad fructum restitutionem condemnamus, quorum taxationem & respectivè fructuum liquidationem nobis, vel cui de Jure imposterùm reservamus, & ita dicimus, decernimus, & definitivè sententiamus non solùm præmisso, sed & omni alio meliori modo. = Ita

pro-

pronunciavi J. Datarius & Judex commissarius. = Ita pronuntiavi Ego A. Matthejus sac. Rotæ Auditor, & Judex Commissarius. = Ita pronuntiavi X. Justinianus Subdatarius & Judex commissarius. = Ita pronuntiavi C. P. Sellarius vacat. per obitum Præf. & Judex commissarius.

ADJUNCTUM
sub Lit. B.

Documenta quibus probatur Parochias Ecclesiæ perillustri collegiatæ in Vilich incorporatas esse de perpetuo Jure Patronatûs.

I.

Nos Adolphus Dei Gratia Romanorum Rex semper augustus ad universorum Sacri Imperii fidelium notitiam cupimus pervenire, quod anno Dni millesimo ducentesimo nonagesimo secundo indictione 5tâ 9nâ Julii illustris Regis Romanorum quondam Conradi secundi donationes, concessiones, privilegia, libertates, immunitates, gratias, & honores, quæ & quas, quos ut insignis divæ Recordationis noster Prædecessor prædictus facere meruit, prout inferius plenariè continetur, prout in suis literis vidimus non cancellatis, non abolitis, nec in sua aliquali particula vitiatis factis Ecclesiæ in Vilich colon. Diœcesis, certo Stylo conscriptis, & suo Signo proprio consignatis, sub forma, quæ sequitur in hunc modum:

In Nomine sanctæ, & individuæ Trinitatis &c. Conradus divina favente Clementia Rom. Rex secundus. Justitiæ definitio est constantem, ac perpetuam habere voluntatem tribuendi unicuique, quod sibi jure competit, quam virtutem, cum omne hominum genus partim à natura, partim institutis legalibus edoctum colere semper & exercere habeat, præcipuè tamen Regiæ Dignitati congruit, talem animi habitum immutabiliter induere, eis aut personis nostra in omni pietatis, & æquitatis defensione dignatio propensiorem debet adhibere Benevolentiam, quæ divinis sincerius sunt mancipatæ obsequiis & nobis in Administratione Regni sollicitè agentibus, & orationis mundæ beneficio & veracis Consilii subsidio, & indefessi laboris studio assistunt, ea propter omnium tam futuræ, quam præsentis ætatis fidelium nostrorum noverit industria, quod nostram celsitudinem adigens, vir prudens, & efficax Arnoldus nostri Imperii Cancellarius petiit quatenus Monasterium Villick Deo dicatarum Virginum, cui Soror ipsius car-

carnalis Hizeka venerabilis Abbatissa præesse dignoscitur in nostræ Regiæ, & Imperialis Tuitionis protectionem, sicut ab antiquo fuit reciperemus, & nostri Præcepti Privilegio fortiùs communiremus, cujus rationabilibus petitionibus aurem Pietatis clementer inclinando statuentes decernimus, ut præmemoratum Monasterium sanctarum Virginum Villicke secundum Regulam S. Benedicti viventium, quod vir nobilis Mengingor cum ingenua & religiosa Uxore sua Herbirga temporibus divæ Memoriæ Imperatoris Ottonis Secundi in sua proprietate condiderunt, & ab omni sæculari Jure seu publica functione Ottonis Tertii Privilegio exemerunt propria & ab antiquis Regibus, vel Imperatoribus jam dicto videlicet Ottone Tertio, nec non ipsius Successore Henrico Imperatore collata libertate potiatur ad formam, & similitudinem Monasteriorum, quæ propiè, & specialiter ad Regni proprietatem, & ordinationem pertinent, id est Quindelingeburg Zandersheim, & Asenda, fundos igitur, & prædia, quæ à prænominatis Constructoribus, vel aliis Deum timentibus viris ad ipsum Monasterium tradita sunt, ab omnium hominum vexatione, & inquietatione libera plena cum immunitate in perpetuum esse in præsentis Edictum paginæ constituimus, ita videlicet ut nullus Dux, nullus Marchio, nullus Comes, nullus Vice-Comes, nullius Officii persona magna, seu parva res sæpe *dicti* Monasterii exactione aliqua, vel Hospotiis inquietare, aut vexare præsumat; has aut possessiones suis Nominibus subternotandis censuimus, Villam Villicke, cum omnibus appendiciis suis secundum Privilegia Regum, & Imperatorum cum Ecclesia Baptismali, & omni Decimatione, & terminum ad ipsam pertinente, cum Capellis, ubi plebanus residet, Urwintern, Dollindorp. Item Dollendorp, Kassalt, Kudeuchoven, & earum Decimationem, tam in agris, quam vineis ortis novalibus, & omni Jure parochiali, præterea in eodem termino sunt aliæ Capellæ Dominorum absque procuratione Matricis Ecclesiæ in Villa Humelgis Ecclesiam cum omni Decimatione, Molendinum unum, & quatuor Mansos indominicatos, & præterea Mansos viginti septem, & dimidium, & curtem unam in Villa Wizelare Ecclesiam unam cum omni Decimatione duos Mansos indominicatos, & præterea Mansos quatuordecim in Villa Marafa quinque Mansos indominicatos, & alios viginti quinque, & dimidium, duo Molendina, & Sylvam unam in Villa Billicke novem Mansos, & duo Molendina in Villa Wanebach sex Mansos indominicatos, & alios triginta duos Mansos, & novale octuaginta Jurnalium in Villa Romershagen Mansos quatuor. In Winterenburen sex solidos Denariorum in Rizenhagen, quinque solidos, & sex Denarios in Villa Hladebach Mansos indominicatos duos, & alios sex, & duo Molendina in Villa Roden. 4. Mansos indominicatos & alios duodecim &c.

Et ut hæc omnia firma, & inconcuſſa omni tempore permaneant præſentis præcepti paginam conſcribi, & noſtræ Imaginis Impreſſione inſigniri, Teſtesque, qui adfuerunt ſubternotari juſſimus, Fridericus Magdeburgenſis Archiepiscopus Henricus Ratisbonenſis Episcopus Otto Friſingenſis Episcopus, Sifridus Spirenſis Episcopus, Boccho Wormatienſis Episcopus, Embrico Wirzeburgenſis Episcopus, Hilbertus Bauenburgenſis Episcopus, Henricus Holomucenſis Episcopus, Wiccherius Brandenburgenſis Episcopus, Fridericus Hermannus noſter Dux Sueviæ, & Alſatiæ, Conradus Marchio de Wittin, Adelbertis Marchio de Brandeburg, Ludovicus Landgravius de Thoringia, Otto Palatinus Comes Wittelenesbach, Therwaldus Marchio de Kambe, Zeverhardus Comes de Sulzebach, Udalricus Comes de Luzeburg; Bertholdus Comes de Avedes. Wiboldus Stabulenſis Abbas anno Dominicæ Incarnationis M C.XLIIII. Indictione VI. regnante Domino Conrado Romanorum Rege 2do anno verò Regni ejus 7mo data eſt apud Babenberg. in Xto Fel. Amen.

II.

Cœleſtinus Episcopus Servus Servorum Dei dilectis in Chriſto fidelibus Abbatiſſæ Villicenſis Monaſterii quoque Sororibus tam præſentibus, quam futuris regularem vitam profeſſis in perpetuum prudentibus virginibus, quæ ſub habitu Religionis accenſis Lampadibus per opera Sanctitatis jugiter ſe præparant ire obviam Sponſo, Sedes apoſtolica debet patrocinium impertire, ne forte cujuslibet temeritatis incurſus, aut eas à propoſito revocet, aut robur, quod abſit ſacræ Religionis enervet, quapropter dilectæ in Xto Filiæ veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & præfatum Monaſterium in quo divino eſtis obſequio mancipatæ, ſub beati Petri, & noſtra protectione ſuscepimus, & præſentis ſuscepti Privilegio communimus. . . præterea quascunque poſſeſſiones, quæcunque bona eadem Eccleſia in præſentiarum juſtè ac canonicè poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, Largitione Regum, vel Principum oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis præſtante Domino poterit adipisci, firma vobis veſtrisque Succeſſoribus, & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis locum ipſum, *in quo præfatum Monaſterium ſitum eſt*, *cum omnibus pertinentiis ſuis Villam ſcilicet Villicenſem cum Eccleſia baptismali*, *& omni Decimatione*, *vel Termino ad ipſam pertinente cum Capellis quinque ad ipſam Plebem pertinentibus ſcilicet Winter*, *Dollendorp. Item Dollendorp*, *Caſſel*, *Kudenhoven*, *& earum Decimationem*, *tam in agris*, *quam in vineis cortis novalibus*, *& omni Jure parochiali. Item in Villa Himmelgeiſt Eccleſiam*

cum omni Decimatione Molendinum unum, curtem unam, & quatuor Manſos indominicatos, & præterea Manſos viginti ſeptem & dimidium. Item in Villa Wittelaer Eccleſiam unam cum omni Decimatione duos Manſos indominicatos &c. Siqua igitur in futurum eccleſiaſtica ſæcularisque perſona hanc noſtræ Conſtitutionis paginam ſciens temere contravenire tentaverit, ſecunda, tertiave emonita, niſi reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis, honorisque ſui dignitate careat, reamque ſe divino Judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoscat, à ſanctiſſimo Corpore, & Sanguine Dei, & Domini Redemptoris noſtri JESU CHRISTI aliena fiat, atque in extremo Examine diſtrictæ Ultioni ſubjaceat, cunctis autem eidem loco ſua Jura ſervantibus ſit Pax Domini noſtri JESU CHRISTI, quatenus & hic fructum bonæ Actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem præmium æternæ Pacis inveniant Amen; Datum Laterani de manu Cardinalis Domini Papæ Camerarii tertio Kalend. Maj. Indictione decima Incarnationis Dominicæ anno milleſimo centeſimo nonageſimo quinto pontificatus verò Domini Cœleſtini Papæ Tertii anno quinto.

III.

Univerſis Præſentes Literas inſpecturis. Sygfridus Dei Gratia ſanctæ Eccleſiæ Colonienſis Archiepiscopus ſacri Imperii per Italiam Archicancellarius ad perpetuam Rei Memoriam cognoscere veritatem; quanto ſincerius dilectas in Xto Abbatiſſam, & conventuales Monaſterii de Villicke Ordinis S. Benedicti noſtræ Diœceſis diligimus tanto libentius ſuper his, quæ ipſarum protectionem, & utilitatem reſpiciunt favorem eis benevolum impartimur, ſane ex parte earundem nobis fuit humiliter ſuplicatum quod cum præbendarum reditus, & proventus, quos de bonis, & poſſeſſionibus ſuis percipere conſueverunt, propter rapinas rerum ſuarum, & hoſtilitates, invaſiones graves, & multiplices eſſent adeo minorati, & facti tenues, & exiles, ut ex illis nequeant commode ſuſtentari & de Himmelgeiſt & Wittlere Eccleſiæ in quibus obtinent Jus patronatûs eſſent abundantes in Reditibus, & Proventibus, quod reditus eosdem Presbyteris in iisdem Eccleſiis perpetuo ſerviturìs portione congrua, de qua commodè ſuſtentari, & alia incumbentia eis onera ſupportare valeant, reſervata ipſi Monaſterio ad ſupplendum defectum hujusmodi deputare Authoritate noſtra in Subſidium dignaremur nos earum in hac parte devotis precibus inclinati, diligenti ſuper his Tractatu præhabito conſideratis conſiderandis, & obſervatis circa hæc obſervandis de Conſenſu Archidiaconi locorum eorundem duximus indulgendum, & Reditus, & Proventus ipſarum Eccleſiarum dicto Monaſterio incorporamus in perpetuum, volentes Presbyteris indictis locis

per-

perpetuo ſerrituris congruam, & competentem portionem, unde commodè ſuſtentari valeant de Reditibus, & Proventibus earundem Eccleſiarum ab ipſis Abbatiſſa, & Conventu aſſignari, & deputari ita quod eisdem Presbyteris hospitalitatem ſervare cathedraticum, Jura Episcopalia & Archidiaconalia, & cætera onera, atque Jura antiqua & nova, quacunque occaſione emergentia, quæ ipſas Eccleſias reſpiciunt commode valeant ſuſtinere, ſtatuentes etiam Authoritate noſtra, quod quandocunque dictas Eccleſias ex nunc in antea vacare contigerit, quoquò modo, etſi vacent in præſenti, quod idoneæ perſonæ præſententur ad dictas Eccleſias earum Archidiacono inſtituendæ in eisdem, qui Paſtoratus præfatarum Eccleſiarum obtineant, Curas earundem recipiant & habeant animarum, ac Reſidentiam in ipſis Eccleſiis faciant perſonalem in cujus Rei teſtimonium, & perpetuam firmitatem, ac Authoritatem, & Conſenſum præſentes Literas Sigillo noſtro duximus roborandas, & Nos Weckeboldus Maldt. Decanus, & Archidiaconus Colonienſis dictorum in Himmelgeiſt, & Wettlere Archidiaconalem Conſenſum noſtrum præmiſſis propter cauſas prædictas, quas adhæc decernimus ſufficientes, adhibentes Sigillum noſtrum in Teſtimonium duximus præſentibus appendendum, Nos etiam Abbatiſſa, & Conventus prædictus Sigilla noſtra in Teſtimonium duximus præſentibus appendendo. Datum, & Actum anno Domini Milleſimo decenteſimo nonageſimo decimo Kalend. Novembris.

(*L. S.*) (*L. S.*) (*L. S.*) (*L. S.*)

ADJUNCTUM

ſub Lit. C. ad §. X. hujus Diſſertationis.

Documenta Parochias Abbatiæ S. Panthaleonis intra Coloniam ſpectantia.

I.

In Nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Noverit univerſitas fidelium tam futurorum quàm præſentium, qualiter ego Sigewinus Archiepiscopus, venerandi Abbatis Humberti circa ſibi commiſſi gregis curam proviſoris ſolliciti crebris commonitionibus & devotis petitionibus pulſatus & ſollicitatus annuerim, quatenus commiſſæ ſibi Eccleſiæ res tenues, nec fratrum neceſſitatibus ſufficientes augerem, & augendo divinum ibidem ſervitium-

tium ſtabilirem. Hujus igitur tam piæ Patris petitioni pro meæ quoque animæ remedio ſollicitus, dum ſatisfacere deſiderarem, contigit *Parochiam quandam Emba videlicet inferiorem ad commiſſum præfato Patri cœnobium pertinentem* ſuo deſtitutam Paſtore vacare, de cujus decimis prælibatus Abbas ſuggeſſit Fratrum ſuorum neceſſitatibus poſſe ſubveniri. Unde convocatis Eccleſiæ noſtræ tam dignitate quàm conſilii ratione Prælatis & Majoribus ejusdem Abbatis petitionem in medium protuli poſcens eorum Authoritate & conſilio roborari, eorum itaque non modò conſilio roboratus, verùm etiam unanimi petitione compulſus, *ſupra memoratæ Parochiæ manſum integrum cum IX. manſorum decimis, quod viſum eſt Fratri curam ſuſcipienti poſſe ſufficere determinavi. De reliquo concedens & ſtatuens Eccleſiam S. Pantaleonis promoveri, & fratrum ibi Domino ſervientium neceſſitatibus ſubveniri.* Quod ut impoſterum ratum & inconvulſum permaneat, banno noſtro confirmavimus, & chartam hanc ſuper his fieri præcipientes, & noſtri ſigilli impreſſione communientes. Omnem Proclamatorem & conceſſionis & ſtatuti noſtri transgreſſorem anathematis vinculo ligatum à S. Matris Eccleſiæ liminibus ſequeſtravimus. Hujus rei Teſtes ſunt Domus S. Petri Præpoſitus Berengerus. Decanus Wigmarus. De S. Gereone Hartwigus Præpoſitus. De S. Severino Arnoldus Præpoſitus. De S. Cuniberto Hecelinus Præpoſitus. Altaris S. Pantaleonis Advocatus Bruno, Gebhard Comes de Juliaco, Adolphus Comes de Norvenich, & Frater ejus Adalbertus de Saphenbergh de familia S. Petri. Hermannus Tiezo. Heinrich & alii complures. Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo LXXXI. qui eſt Annus ſecundus Dni Segiwini Archiepiscopi, Indict. IV. in Sacrario S. Pantaleonis die ſolemnitatis ejus.

II.

In Nomine ſanctiſſimæ & individuæ Trinitatis... Conradus Dei Gratiâ ſanctæ Colonienſis Eccleſiæ Archiepiscopus, ſacri Imperii per Italiam Archicancellarius, omnibus quibus hæ Literæ præſentatæ fuerint in perpetuum. Quia ex officio noſtro circa illa tenemur ſolliciti reperiri, per quæ honor Religionis & Religioſorum ſub regulari obſervantia omni tempore vitæ ſuæ Deo ſervientium utilitas procurantur, eorundem precibus Religioſorum nos decet facilem præbere aſſenſum, ubi vigor æquitati ſuadet & ordo exiguæ rationis. Igitur cum Monaſterium ſancti Pantaleonis in Colonia propter Guerram tempore, quo nos pro obedientia & Reverentia Sedis apoſtolicæ usque ad vincula laboravimus, irrecuperabilem jacturam quorundam bonorum ſuorum

in

in Diœcesi nostra constitutorum sustinuisset, in tantum quod idem Monasterium de cætero non posset gratum, ut laudabiliter consueverat, pluribus exhibere hospitalitatis obsequium, & indigentibus impendere necessitatis subsidium, Hermannus Abbas Devotus noster & Conventus ejusdem Monasterii nobis humiliter supplicârunt, quatenus dicto ipsorum Monasterio, ne propter prædictam causam & propter alios casus molestos collaberetur, paternâ dignaremur sollicitudine providere. Quapropter attendentes sinceram devotionem, quam idem Abbas & Conventus dicti Monasterii circa Ecclesiam romanam, nec non & circa personam nostram & Ecclesiam Coloniensem semper habuerunt, & cum nostris beneplacitis paratissimè sint expositi ad multam ejusdem D. Abbatis & aliorum bonorum pro eis supplicationem nobis factam, *fructus trium Ecclesiarum* in Diœcesi Coloniensi sitarum, scilicet Suchtele, *Embe* & Elstorff, *quarum Jus patronatûs ad Abbatem dicti Monasterii pertinet. Eisdem Abbati & Monasterio suo cum ipsas* Ecclesias vacare *contigerit, in Elemosinam perpetuo duximus concedendos* ad hospitium & pauperum sustentationem, ita tamen quod *Clerici dictarum Ecclesiarum perpetui Vicarii per Abbatem præfati Monasterii præsentandi* curam animarum *habentes, & ipsas Ecclesias officiantes, competentem habeant sustentationem*, & iidem præsentati nobis & Successoribus nostris Archiepiscopis super Juribus nostris, & Archidiaconorum & Decanorum respondeant de Ecclesiis memoratis. Decernimus ergo, ut nullus omnino hominum prædictam concessionem nostram sæpefatis Abbati & Monasterii sancti Panthaleonis in Colonia propter evidentem necessitatem à nobis rationabiliter factam infringere, vel ei temerè contrariare præsumat, alioquin si quid contra eam attemptaverit, nisi commonitus resipiscat, sententiam Excommunicationis super his à nobis latam se noverit incurrisse; hæc autem nostra concessio ut rata & firma in perpetuum permaneat, præsentem paginam exinde conscriptam sæpedictis Abbati & Monasterio suo tradidimus, Sigilli nostri munimine roboratam. Actum & datum Mense Junio Anno Domini M.CC. quadragesimo sexto.

(L. S.)

III.

INNOCENTIUS Episcopus Servus Servorum Dei, dilectis filiis Abbati & Conventui Monasterii S. Panthaleonis Coloniens. Ordinis S. Benedicti salutem & apostolicam Benedictionem. Ex parte vestra petitio nobis exhibita continebat, quod Monasterium vestrum, quod olim pro se ac aliis bonis plurimis consueverat abundare pro fidei puritate, quam ad romanam ha-

habetis Eccleſiam & defenſione libertatis eccleſiaſticæ diripientibus ac invadentibus inimicis Eccleſiæ bona ejus attenuatum eſt plurimum & attritum, quod venerabilis Frater noſter Colonienſis Archiepiſcopus pia conſideratione perpendens & gerens ad Nos piæ compaſſionis affectum, *pro veſtris neceſſitatibus relevandis de Suchtele, de Embe, & de Elstorp Eccleſias ſuæ Diœceſis, in quibus Jus patronatûs vos habere proponitis*, quarum redditus triginta Marcarum valentinam annis ſingulis, ut dicitur, non excedunt, *vobis in proprios uſus Capituli Colonienſis accedente conſenſu de gratia contulit liberali*; prout in ipſis litteris ſuper hoc confectis dicitur plenius contineri. Nos igitur exigentibus devotionis veſtræ meritis, *nec non conſideratione præfati Archiepiſcopi & Communitatis Colonienſis, ac Nobilium virorum Comitis Juliacenſis, & Arnoldi Domini de Driſt apud nos pro vobis per litteras interponentium* Preces ſuas, volentes vos proſequi ſpeciali gratiâ & favore, quod per dictum Archiepiſcopum de præfatis *Eccleſiis providè factum eſſe dignoſcitur, ratum & gratum habentes illud Authoritate apoſtolicâ confirmamus*, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Ita tamen ut in eisdem Eccleſiis *aſſignentur earum Vicariis congruæ portiones, ex quibus commodè ſuſtentari valeant*, & Episcopis de juribus Episcopalibus & Archidiacono de Archidiaconalibus reſpondere; nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Lugduni VII. Idus Octobris, Anno Pontificatûs noſtri ſexto, qui eſt Annus Chriſti 1249.

XI.

DISSERTATIO
JURIS ECCLESIASTICI
DE
CLERICO REGULARI BENEFICIORUM SECULARIUM
præcipuè
CURATORUM SINE VENIA EPISCOPI ABSOLUTE INCAPACI.

DEFENDENTE D. JOANNE FRANCISCO GUISEZ, BONNENSI.

§. I.
Occasio scribendi.

Nihil decantatum magis, æquè ac certissimum est in jure nostro, quàm regula illa: *Beneficia regularia Regularibus*, SECULARIA SECULARIBUS *esse conferenda* — quare Interpretes nostri ad unum omnes ad Tit. *de præb. & dign. docent*: quod si Beneficium *seculare* à Patrono clerico regulari collatum fuerit, Collationem esse ipso jure invalidam, nisi accesserit venia Episcopi, de quo infra per Decursum agemus — hâc tamen regulâ inattentâ, dum elapso anno 1780 per obitum D. Petri Schopen, Pastoris Clerici secularis & Decani vacabat Ecclesia parochialis in Bettenhofen, Territorii Juliacensis ac Diœcesis Coloniensis, Monasterium sanctimonialium nobilium Ordinis Præmonstratensis in Fussenich, de cujus jure patronatûs prædicta Ecclesia curata existit, non solùm præsentavit ad illam Canonicum Regularem Ordinis ejusdem Præmonstratensis, sed insuper postquam præsentatus rogatam à Rdmo in Spiritualibus Generali Vicario institutionem authorizabilem, nec non Investituram ab Archidiacono impetrare non potuit, quia non foret qualificatus ad Beneficium seculare, posthabito prorsus omni jure Diœcesano Serenissimi Principis Electoris Palatini Con-

ſilio Duſſelano intimo præſentationem ſibi factam exhibuit, placitum territoriale rogavit & impetravit, atque ad inſtantiam à ſe factam de mandato ejusdem Conſilii in poſſeſſionem *frugiferam* ſeſe intromitti curavit, non reflectens ad prohibitionem ſibi ab Eminentiſſimo ac Celſiſſimo Archiepiſcopo & Electore ceu proprio ſuo Epiſcopo imò & Dno territoriali in perſona Rmi Vicarii Generalis factam, ſed potiùs præſentatus unà cum Monaſterio Patrono ſuo cucurrit Romam accuſans ibi factum Emmi in perſona ſui Vicarii; cui immediato ad Tribunal romanum tentato Curſui ſeſe oppoſuit Rdmus Dnus Officialis Colonienſis ceu Judex Ordinarius & Vicarius in contentioſis, vocando præſentatum & patronum ad Tribunal ſuum, eò quòd fundatum ſit jus ſuum primæ inſtantiæ in hâc causâ; — In jus vocati non ſolùm non parebant, ſed inſimul in exhibito 19nâ Decembris anni 1780 novis precibus Conſilium prædictum intimum Duſſelanum implorârunt, ut captam frugiferam poſſeſſionem manuteneret, & ad transactionem proviſionalem inter Wollfgangum Wilhelmum & Ferdinandum Archiepiſcopum Colonienſem anno 1621 concluſam, quà Decanis ruralibus jus primæ inſtantiæ in Cauſis eccleſiaſticis contra Officialem Colonienſem conceditur, reflecteret, atque, cum ex jure devoluto prædicta Eccleſia ab Emmo Archiepiſcopo Colonienſi cuidam Presbytero ſeculari collata foret, omni meliori modo in favorem præſentati regularis provideret; datæ quoque mox ſunt rogatæ proviſiones, atque expeditum reſcriptum, quo in favorem Decani Juliacenſis, caſu quo Roma non ſit in prima inſtantia Judex, jus primæ inſtantiæ in hac cauſa ſecundùm Literam transactionis proviſionalis à Conſilio prædicto intimo prætenditur, contradicente autem Rdmo in contentioſis Vicario Archiepiſcopali, ac contradicente ipſomet Eminentiſſimo ac Celſiſſimo Principe Noſtro Archiepiſcopo Electore. Quos itaque motus attentata illa Religioſi prædicti nec non Monaſterii circa parochiam prædictam ſecularem modò ſuſcitaverint hactenus, ex ſerie facti manifeſtum eſt & quæ majora ſuſcitanda ſint diffidia, quibus concordia Sacerdotii & Imperii diſſolvitur, facilè prævidetur. Equidem mirabantur hactenus eruditiores imò etiam Clerici Regulares plurimi hanc tentatam ex parte Regularium prætenſionem hiſce præſertim temporibus, & quidem circa parochiam, quæ à centum annis & ultra Presbyterum habuit ſecularem, ex conſequenti infundata prorſus ſit hæc Regularium prætenſio, nihilo tamen minus ex placito eorum, quos ſummopere venerari me oportet, & juramento de vindicandis Juribus Archi-Epiſcopalibus præſtito in hâc cauſa aliquid mihi meditandum erat, præcipuè, quia Regulares ſæpiùs dicti ad certum quoddam Reſcriptum Maxi-

miliani

miliani Henrici Archiepiſcopi Col. ad Abbates Steinfeldenſem & Knechtſtedenſem datum, quo ſui Ordinis Religioſi Beneficiorum Curatorum præ aliis regularibus capaces ſint, provocant; quanquam in Literis Sanctiſſimo Domino Noſtro Pontifici Pio VI. Romæ exhibitis prædicti Regulares prætenſionem ſuam non in capacitate Beneficiorum Secularium fundaverint, ſed in eo, quòd prædicta Parochia à ducentis annis & ultra ſemper *pro regulari* fuiſſet habita, quod falſiſſimum eſſe ex dicendis infra patebit. Quodſi verò omnes facti cauſæque circumſtantiæ attentiùs perpendantur, ex iis ſeſe prodit, quæ hac Diſſertatione ſpecialiter demonſtranda veniant; 1) non Clericos regulares eſſe capaces beneficiorum ſecularium ſinè venia Epiſcopi 2) Canonicis regularibus Præmonſtratenſibus nihil ſpecialis juris ac Privilegii favere præ aliis Ordinum Religioſis, nec 3) Abbatiis Steinfeldenſi ac Knechtſtedenſi favere Literas Maximiliani Henrici Archiepiscopi datas de anno 1670. 4) Recurſum immediatum ad Tribunalia romana attentatum à Monaſterio Patrono & Regulari proviſo apertò Conc. Tridentino & Legibus germaniæ refragari, demùm 5) Eccleſiam parochialem quæſtionis non eſſe regularem, quemadmodum falſo literis Ssmo Romæ exhibitis exponitur, 6) nullâ ratione in hàc causâ fundatum eſſe jus primæ inſtantiæ Decani ruralis Juliacenſis ceu à Conſilio Regiminis Düſſelani intimo prætenditur. 7) Mandatum de dandâ poſſeſſione frugifera proviſo regulari ex parte ejusdem Conſilii Legibus eccleſiaſticis præcipuè verò transactioni proviſionali de anno 1621 adverſari; Demum 8) juri devoluto fuiſſe locum, ut ab Emmo Noſtro rectè collata fuerit prædicta parochia in perſonam Clerici ſecularis.

§. II.

Regulares Jure antiquo Eccleſiarum omnium curatarum erant incapaces ſinè venia Episcopi.

Atque primò quidem inquiram, *utrum regulares jure antiquo capaces extiterint Eccleſiarum curatarum ſine venia Episcopi?* hanc quæſtionem omnino negandam eſſe exiſtimo; Et quidem primis Eccleſiæ temporibus religioſam vitam profeſſi erant de ſorte & genere Laicorum, atque vi primævi ſui inſtituti debebant *ſedere ſolitarii*, *tacere*, *lugere* & *plangere*, atque *propriæ ſolius animæ* habere curam; *a*) in ſacris autem percipiendis omnino dependebant ab Episcopis, atque horum Eccleſias frequentabant; qui verò in eremo erant incluſi, pro ſacris faciendis ad ſe vocari curabant Presbyterum ſecularem, aut ex ſuis unum habebant Presbyterum, unum

 duos-

duosve Diaconos, quin tamen illi curæ aliorum sese immiscerent; quæ omnia unius celeberrimi FLEURY testimonio stabilire satis sit: *b*) wenn die Mönchen nahe bei den Städten gewesen, sind sie in die allgemeine Kirche gekommen um die Predigt des Bischofes anzuhören, und den heiligen Geheimnissen beizuwohnen... dessen ungeachtet hatten sie Oratoria in ihren Häusern gehabt, um alldort das gemeinschaftliche Gebeth zu allen angesetzten Stunden zu verrichten. Die von den Städten entfernten Mönche hatten unter ihnen einige Priester, welche den Gottesdienst verrichteten, und ihnen die heilige Sakramenten reichten, und endlich hat man für gut gehalten, daß jedes Kloster wenigstes einen Priester sammt einem oder zwey Diakonen habe: und dieser Priester ist öfftmals auch der Abt gewesen. Indem sie nun solchergestalt keine Gelegenheit gehabt haben auszugehen, sind sie in ihren Klöstern, wie die Todte in ihren Gräbern vergraben geblieben ꝛc.

a) *Can.* 8. *XVI. q.* 1. ESPEN *J. E. U. P.* 1. *Tit.* 24. *C.* 1. *n.* 5.

b) **Von den Sitten der alten Christen** *p.* 537.

§. III.

CONTINUATIO.

Postquam Monachi ad presbyteratum admitti cæperant, adscriptique erant numero Clericorum, *a*) functiones quoque clericales peragere insuescebant, & quidem etiam pro aliis fidelibus, sed nonnisi dependenter *à Veniâ & Consensu Episcoporum*; cujus rei testis est Canon Concilii Moguntini anno 847 habiti, quo decernitur: *nullus Monachorum parochias Ecclesiarum accipere præsumat sinè licentia Episcopi*; *b*) assumpti autem ad Ecclesiarum regimen desinebant esse Monachi & à vitâ contemplativa Monachorum ad clericalem & activam transire censebantur, ceu vir incomparabilis THOMASSINUS *c*) & ex eo AUTHOR des Beweis, daß die Ordensgeistliche und Mönche zur Seelensorge unfähig und von den Pfarreyen abzuberufen seyen. *d*) His Verbis: Wenn die alte Mönche Priester geworden, und zur Seelensorg ausgesetzt worden sind, so hörten sie auf Mönche zu seyn, sie müßen, sagt der Canon: *Nemo* (*apud Grat. XVI. q.* 1. *Can.* 2.) die Mönchsregeln und Gesetz verlaßen, damit sie einem größern und treflichern Amt obliegen könnten, weil beides mit einander zu versehen unmöglich war ꝛc. Incidenter hic nota: Vitæ regularis Sectatores antiquos non fuisse absolutè Curæ pastoralis incapaces, ceu nostrâ ætate plures falsò docuerunt, sed solùm assumpti ad Vitam pastoralem *ab Episcopis*, desinebant esse Monachi.

a) *Can.* 21. *XVI. q.* 1. THOMASS. *N. V. E. D. P.* 3. *L.* 3. *C.* 16. *n.* 7.
b) Apud HARTZHEIM CC. GERM. *Tom.* 2. *p.* 151.
c) *L. cit. P.* 2. *Lib.* 3. *C.* 10. *n.* 11.
d) *Pag.* 12. *seq.* videantur *Canones XVI. q.* 1.

§. IV.

CONTINUATIO.

Hæc disciplina usque ad Sæc. XI. permansit, quo URBANUS Papa II Abbati Suessionensi supplicanti ep. 18. rescripsit: "ut igitur propositi " vestri ordinem secundùm B. Augustini Regulam commissi tibi Fratres " tranquillè valeant, absque sæcularium tumultuum perturbationibus, an- " nuente Domino custodire, postulationi tuæ libenter annuimus, ut in " parochianis Ecclesiis, quæ ad vestrum Monasterium pertinent, Regulares " vobis liceat claustri vestri Clericos ordinare, qui & Ecclesiis ipsis religiosè " serviant, & *adjacentis Populi Parochiam* secundùm timorem Dei, SALVO " EPISCOPI JURE DEBITO sollicitè *procurare* non negligant" quæ Disciplina reddita fuit universalior, ex quo S. NORBERTUS anno 1120 novum Canonicorum regularium ordinem condidit in loco Diœceseos Laudunensis, qui PRÆMONSTRATUS dicitur, quem Virtutibus apostolicis imbuere, atque ad obeundas Functiones parochiales, si quando ad eas vocarentur ab Episcopis, ità efformare conatus fuit, ut etiam mox *ab Episcopis* ad exercendam curam parochialem vocati fuerint, quemadmodum loquuntur Statuta ejusdem Ordinis tum primaria, in quinque distinctiones divisa, tum illa, quæ anno 1290 per Guilielmum vigesimum quintum Generalem & Abbatem Præmonstratensem renovata, & in quatuor tantùm distinctiones redacta, ac anno 1630 aucta fuerunt. *a*) Sed ex his nota: Canonicos hos verè regulares ex primævo suo instituto non aliter à suo sancto Fundatore ad curam animarum destinari, nisi quando *ab Episcopo proprio* eos contingeret vocari; ut igitur Episcopo aut ejus Vicario, vel contradicente curæ animarum exercitio sese immiscerent fratres sui, noluit sanctissimi Instituti Author; *b*) nec aliter CALLIXTUS II idem institutum approbavit, quin potiùs is in Concilio Lateranensi anno 1123 habito disertis verbis *Abbatibus & Monachis interdixerit publicas pœnitentias dare & infirmos visitare, unctiones facere, & Missas publicas cantare*, intellige, *sinè consensu proprii Episcopi*, secundùm Statuta antiquorum Canonum. *c*)

a) Vi-

a) Videantur *Documenta canonico-historica concernentia revocabilitatem Pastorum assumptorum ex Ordine Præmonstratensi* ed. Valencenis 1712. & *Continuatio Documentorum de anno eodem.*

b) Loc. cit.

c) Cf. Alex. NATALIS *Sec. XII. Diss.* 3. *art.* 20. *p.* 386.

§. V.

CONTINUATIO.

Quando *invalescentibus Regularium Exemptionibus*, ac *factis* magno numero *Ecclesiarum parochialium incorporationibus* Abbates aut *motu proprio* sæpiùs attentârunt parochiales Ecclesias suis Monasteriis unitas suis concedere Regularibus regendas *a*) aut etiam ad instantiam suam tale Privilegium à Summo Pontifice impetrârunt, *b*) Concilia Germaniæ particularia constanter secundùm Canones antiquos iis restiterunt, ex quibus unum MOGUNTINUM anno 1261 habitum adducere liceat, quod Canone 47 ità statuit; *c*) *communi necessitate statuimus*, *ut nullæ Ecclesiæ quibuscunque Religiosis de cetero conferantur*, quod si à quocunque eis hujusmodi Ecclesia vel Ecclesiæ collatæ fuerint, Collator ipso actu Jus Patronatûs amittat, & ad loci Episcopum perpetuo devolvatur: Collegium verò, quod talem Ecclesiam acceptaverit, nullum Jus penitùs acquirat, immo si habuerit ante Ecclesias aliquas sibi unitas in Diœcesi illa, vacent per præceptionem hujusmodi ipso facto, & per Diœcesanum vel locorum Archidiaconum personis idoneis conferantur, ad hæc cum Religiosi quidam alicubi per Fratres sui Ordinis officient Ecclesias sic unitas, & in Fratribus ipsis sit dissolutionis occasio, qui Religionis Titulo stulte autumant se esse exemptos, ac Prælati eorum per Archidiaconos tales corrigi minimè patiantur: sed quia pro Ordinis scandalo evitando, ipsos ad Domos revocant, vel ad alias Parochias mittunt; auctoritate hujus sacri Concilii & hoc duximus admittendum, ut Religiosorum Ecclesiæ non per Fratres eorum officientur, sed per Clericos sæculares, ut saltem de Reliquiis, quæ de immensa Religiosorum mensa ceciderunt, sustentari valeant pauperes Sacerdotes, qui in vituperium nostri publicà egestate laborant, ita ut heu! jam sint verissima illa *Jeronymi* dicentis in Canone: *mendicat infelix Clericus in platea.*

a) Vid. *C.* 1. *de Cap. Monach.*

b) Vid. THOMASIN. *l. cit. P.* 1. *Lib.* 3. *C.* 22. *n.* 3. *fin.*

c) Apud HARTZHEIM *CC. Germ.* Tom. III. pag. 612.

§. VI.

§. VI.

Idem JURE COLONIENSI *statuitur.*

Neque alia in nostrâ Diœcesi Coloniensi hactenus viguit Disciplina, etenim præter Concilii Coloniensis anno 1423 habiti Canonem septimum, *a*) in famoso illo provinciali Concilio anno 1536 habito statuitur: *Ut Monachi, qui parochiales Ecclesias Cura animarum apud ipsum Monasterium relicta Monasteriis incorporatas (ùt vocant) Monasteriis suis unitas habent, non per Religiosos, quos in Monasteriis perpetuam vitam agere convenit, sed per Vicarios Presbyteros Seculares, modo haberi possint . . . gubernari curent . . non tamen duri hìc erimus, quominus interdum Viros Monasticos, quos singulari vitæ exemplo insignes comperiemus, apud Ecclesias parochiales relicturi & confirmaturi simus b*) Nota hìc Ecclesiæ nostræ Coloniensis Disciplinam; Nequidem Rdmus Legifer noster absolutè Regulares quoscunque penes *Ecclesias parochiales quoad animarum Curam* Monasteriis *incorporatas* relinquere aut confirmare voluit, nisì ex merà facultate aut arbitrio suo maluerit illos esse ob virtutum ac literarum merita relinquendos. Cùm itaque in vim hujus Concilii particularis nulla sit necessitas in Ecclesiis quoad Curam animarum Monasteriis incorporatis permittendi Regulares, ad Ecclesias planè Seculares quo jure admittendi necessitatem prætendent? *c*)

a) Vid. HARTZHEIM *CC. germ. Tom. II. p.* 220. ubi Statutum Concilii Coloniensis citati *de Religiosis mendicantibus* solummodo intelligendum esse refert; sed corrigendus est ejusdem error *haud venialis* ex Codice Statutorum anno 1554 impresso ex quo acta illius Concilii integra hausit: addendo in textu: *Religiosum mendicantem* AUT NON MENDICANTEM.

b) IBIDEM *T. VI. p.* 270.

c) Statutum hoc Coloniense contra Regulares conditum fuit occasione Decreti editi à Cardinali Campegio à Summo Pontifice pro abolendis abusibus in Germaniam 1524 deputati ceu refert AUTHOR des Beweiß ꝛc. p. 22. Der Cardinal Campegius, welcher in Deutschland geschickt worden um die eingeschlichenen Mißbräuche zu verbessern, hat in seinen zu Cölln und Regenspurg gehaltenen Kirchen-Versammlungen die Mönchen von den Pfarreyen abgerufen, und zugleich verbothen, keinem derselben eine Pfarrey ohne vorwaltende Nothwendigkeit anzuvertrauen ꝛc. Adde THOMASSIN. *l. c. n.* 4. *Vers. Constitutiones.*

§. VII.

§. VII.

CONTINUATIO.

Quæ fuerit Mens vera ac genuina Sereniſſimi MAXIMILIANI HENRICI Archiepiſcopi Colonienſis (ad quam in Caſu quæſtionis provocatur) edocent Statuta ſub eodem à PAULO STRAVIO Suffraganeo ex Mandato illius concinnata & typis impreſſa anno 1661 *a*), quæ ita ſonant: Canonici Regulares tametſi, ſpectato jure antiquo, cum Licentia Epiſcopi & Superioris ſui Ordinis, Eccleſias parochiales, ſeu ſecularia Beneficia curata obtinere queant: dummodò, ſi commodè fieri poſſit, Socium Regularem ſecum habeant: jure tamen novo multùm derogatum eſſe huic licentiæ per concordata Concilii Lateranenſis cum LEONE Papa, & parochiales eccleſias ſeu curata beneficia ſecularia Regularibus nec conferri, nec commendari poſſe ſignificarunt complures ſequentes Summi Pontifices. Secularia enim beneficia Secularibus, & regularia Regularibus ſunt conferenda . . . Hinc quamvis Monachi, & Regulares Canonici parochias monaſteriis ſuis adnexas, quæ vicinæ ſunt, poſſint adminiſtrare; multi tamen jam Prælati experientia cognoverunt, ad Regularis vitæ inſtitutum parùm conducere, ut profeſſos ſuos extra monaſterium & conventum ſuum in parochiis remotioribus ſinant diutiùs habitare. Qua de re Theologus quidam JOANNES NIDER Ordinis Prædicatorum (vir eruditiſſimus) *lib.* 2. *cap.* 20. *de reform. relig.* inter ſedecim cauſas & radices lapſarum Religionum, hanc ponit. *Sexta decima radix eſt apud quosdam, parochiarum plurium incorporatio; propter quam, aut vix reformari poſſunt, aut ſi reformati ſunt, difficulter in bono perſeverant. Non enim dubium, quin per Religioſos viros ſalus animarum multùm procurari poſſit apud plebeios: ſed cùm Monachus ſolus, aut etiam alteri conſociatus, multùm manet extra ſuum cœnobium, ſicut curam animarum habentibus eſt neceſſarium, faciliter eis placet fuga monaſterii, horret exinde Fratrum in clauſtro contubernium, moram trahat neceſſe eſt ſatis ſæpè circa ſexum fœmineum, & implicari habet rebus temporalibus. Ex quibus ſequitur inobedientia ad Superiores, negligentia mandatorum in Regula, caſtitatis periculum, & philargyriæ incenditur vitium. Prudenti igitur Conſilio uſi ſunt primitivi Patres Prædicatorum Ordinis, qui in ſuis ſtatutis inhibent, ne pro eis aliquis recipiatur locus, cui ſit annexa cura animarum. Idipſum faciunt Canonicorum Regularium, ut audio, conſenſu unanimi, multa in Germaniæ partibus reformata monaſteria. Percepi prætereà relatione viri cujusdam fide digni, quendam noſtro*

ſtro tempore Abbatem fuiſſe alterius Ordinis, qui cùm reperiret ſuum monaſterium multarum Eccleſiarum parochialium eſſe plebanum, Literas vel Bullas confectas deſuper omnes ſcalpello diſcerpſit, dicens in contrarium murmurantibus: malo Eccleſias perdere, quàm bonos Monachos: ſunt enim Seculares plurimi, qui providere poterunt Chriſti oviculis. Quare ſatius expedire judicamus, ut parochialia, aliaque curata beneficia Civitatis & Archidiœceſis Noſtræ tam metropolitanæ, ſeu collegiis, aut piis locis quibuscunque perpetuò unita & incorporata, quàm non unita nec incorporata, deinceps per idoneos & Archiepiscopali Noſtra auctoritate approbatos Seculares Parochos, ſeu Vice-Parochos, ſeu Vicarios perpetuos & minimè temporarios, juxta ſacrorum Canonum & Concilii Tridentini præſcriptum, regantur. *b)*

a) Vid. HARTZHEIM *T. X. CC. germ. p.* 899. & Cl. P. PRÆSIDIS *Elementa Juris canonici P. I.* §. 197.

b) Hæc extant in Collectione Statutorum impreſſa *à pag.* 270. *ſeq.* integra verò eorundem Statutorum verba retuli, tum, quia hæc editio eſt rariſſima, tum ut vel ex his conſtet, hâc in re nihil tribui juris ſpecialis à MAXIMILIANO HENRICO Canonicis quibuscunque Regularibus.

§. VIII.

CONTINUATIO.

Speciale Jus ordini ſuo verè Religioſo Præmonſtratenſi competere ſcribit Rdmus Abbas Knechtſtedenſis Leonardus JANSEN *Theol. Mor. Tom.* 2. his Verbis: *Canonicos Præmonſtratenſes capaces eſſe Beneficiorum Secularium Curatorum... clarè habent Ordinis Privilegia, ac declaravit* MAXIMILIANUS HENRICUS *Archiepiscopus Colonienſis die* 14 *Martii* 1670. *in Reſcripto ad Abbates* STEINFELDENSEM & KNECHTSTEDENSEM: quod de Privilegiis Ordinis ſui inquit Author laudatus, non relevat; etenim conſtat 1) eos ad Eccleſias parochiales regendas ex inſtituto ſuo, & mente ſui ſanctiſſimi Fundatoris aliter non deſtinari, niſi NB. ab Episcopo proprio vocati fuerint, non autem hoc invito; 2) quodſi à Summo Pontifice hodie eſſent ſpecialiter privilegiati (quod tamen poſt Conſtit. BENED. XIV. & CLEM. XIII. non eſſe ex ſequentibus patebit) id eâ ratione foret intelligendum, ut ex dato Summi Pontificis Indulto, eorum Inſtituto non repugnet, eos ab Episcopis ad curam animarum vocari, non autem his reluctantibus; oſtendant enim: ubi Summi Pontifices illos privilegiârint, ut invitis ac reluctantibus

Episcopis, quibus in Exercitio curæ animarum ex Jure divino ſubſunt, Dominos territoriales ſollicitare poſſint, ut contra proprii Episcopi declaratam mentem in poſſeſſionem frugiferam Eccleſiarum Secularium intrudantur.— Reſcriptum Eminentiſſimi Noſtri Archiepiscopi Colonienſis Maximiliani Henrici, antequam de eo diſſeram, ex integro, unà cum formâ ac modo, impetrandi hic adnecto:

A.

Literæ ſupplices Rdmorum Abbatum ad Sereniſſimum Maximilianum Henricum Archiepiscopum Colonienſem.

Rdme ac Serenme Princeps
Domine Clemme!

In ſubſidium militantis Eccleſiæ pro cura animarum ſub Directione Episcoporum adminiſtranda labore & ſtudio S. Norberti ſub annum 1115 ex Aula Imperatoris Henrici IV. & Friderici I. Archiepiscopi Colonienſis ad caſtra religioſi Statûs digreſſi fundatus fuit, Præmonſtratenſium Canonicorum Ordo romanis Pontificibus Inſtitutum probantibus, qui fructum ſpiritualem exinde *in* bonum fidei catholicæ redundantem attendentes per diverſa Privilegia ſanxerunt regulares perſonas illius Inſtituti nedum in Beneficiis, quæ Monaſteriis eorum incorporata ſunt, ſed etiam in non incorporatis prævia approbatione per Rmos locorum Ordinarios danda, & de Superiorum Licentia curam animarum exercere poſſe, quod ipſum Serma ac Rma Vra Cels. in Decretis Synodalibus clemmè admiſit, dum p. 3. Tit. 6. de Paſtoribus & Vicep. C. 6. paragr. 2. ſtatuit Beneficia curata adminiſtranda per Sæculares non Regulares perſonas, exceptis tamen iis, qui ſpecialibus Privilegiis ad hoc ſunt muniti &c. cum autem Præmonſtratenſes alias etiam ipſo Jure habilitati hujusmodi Privilegiis à Sede apoſtolica ſint muniti, ſed nominatim in dicto Decreto non exprimantur, idcirco humiliter petitur, ut Serma Celsdo Vra Clemme declarare dignetur eosdem Præmonſtratenſis Ordinis Religioſos ſub dicta exceptione comprehendi, & juxta eorundem inſtitutum per Pontificum diplomata roboratum curæ animarum de conſenſu eorum, quorum intereſt deſervire poſſe.

Cedet hoc ad honorem Dei &c.

F. J. L. A. Steinfeldenſis.
F. P. G. A. Knechtſtedenſis.

B)

B)

Rescriptum Electorale ad Rdmum Aussemium Vicarium Generalem Coloniæ.

Maximilian Henrich.

Der Einschluß weiset mit mehrerem, welchergestalt beyde Aebte zu Steinfeldt, und Knechtsteden behaupten wollen;

1mo Daß ihres Ordens Priester die Pfarren, 2do und andere geistliche Bedienungen, 3tio die seyen den Klöster incorporiret oder nit, versehen können, und was sie dabey ferner gebetten. Und habt ihr 4to den Inhalt und die mit beygelegte päbstliche Privilegia zu examiniren, auch sonsten nachzusehen, was es hierin für eine Beschaffenheit habe, und 5to obberührte Privilegia annoch in observantia seyen, 6to und wie weit denselben statt zu geben, darab ihr dan uns demnegst den Bericht sambt eweren Gutachten, und einem Entwurff wohin wir ermelte Aebte auf des ihr suppliciren hinwiederum zu bescheiden, einzuschicken, und seydt ꝛc. Hülchrath den 9ten 9bris 1669.

C)

Relatio Rdmi Vicarii Generalis.

Hochwürdigster Durchlauchtigster ꝛc.

Was Ewer Kurfürstl. Durchl. unterm Dato Hülchrath den 9ten 9bris mir gnädigst aufgegeben, daß über beyder Aebte zu Steinfeldt und Knechtsteden gethanes suppliciren ob nemlich ihres Ordens Priester die Pfarren, wan schon dero Klösteren nicht incorporirt kraft beygelegten päbstlichen Privilegien bedienen können, mich erkundigen, und die Bewandnuß sambt meinem Gutachten einschicken solle, solches hab in aller Unterthänigkeit, ungesparten Fleißes würklich und gehorsambst verrichtet.

Weilen nun nach gethaner Examinirung jetz berührte apostolica Privilegia in sich allerdings richtig, auch deroselben von undenklichen Jahren her bis hiehin in Ew. Durchl. Erzstift Cöllen üblichen Brauch und gemeiner Observance mit nicht geringen Nutzen der katholischen Kirchen an vielen Oerteren befinden. Dabey ferners in Erfahrung bragt, wie ebener gestalt in negst angrenzenden Erzstifteren Maynz und Trier des

Prä-

Prämonstratenser Ordens Geistliche in all solcher Pfarren administration von den locorum ordinariis nit verhindert, sonderen wohl dazu befördert werden, maßen auch solches den Decretis Synodalibus nit zuwider; so mögen gleichfalls Ew. Durchl. meines onmaßgebigen Erachtens besagten Ordens Priester wan solches behörrlicher Weiß und Orths cum Superiorum suorum licentia suchen, von obberührten Pfarren Bedienung nicht abweisen, sondern beyden supplicirenden Aebten (welche ihre Religiosos per Studia, und klösterliche Zucht ad functiones Pastorales wohl erziehen lassen) nach beygefügtem mir anemfohlenem Entwurf Ihro petitum vergünstigen, und gnädigst verstatten, welches zu schuldigster Antwort andeuten sollen ꝛc.

Paulus Aussemius.

D)

Rescriptum Serenissimi Electoris Coloniensis.

Maximilian Henrich von Gottes Gnaden Erzbischof zu Cöllen, und Kurfürst, Bischof zu Hildesheim und Lüttig, Administrator zu Bergtesgaden, in Ober- und Niederbayern, auch der Obernpfalz, in Westpfalen zu Engeren und Bouillon Herzog, Pfalzgraf bey Rhein, Landgraf zu Leuchtenberg, Markgraf zu Franchimont.

Würdig und Geistliche, liebe Andächtige! Was bey uns ihr wegen Verstattung des Prämonstratenser Ordens Canonicorum zur Bedienung deren Pfarren (obschon dieselbige gem. Orden nicht incorporiret sind) demüthigst supplicando gebetten, darab ist uns mit mehrerem behörend referiret worden, und weilen nun sich befunden, daß gedachter Prämonstratenser Orden hierin vor anderen privilegirt, solches auch in hiesigem unserem Erzstift bis hierzu also verstattet; so können Wir auch geschehen lassen, daß derselb bey berührten Gebrauch forthin ruhig, jedoch dergestalt verbleibe, daß die zur Seelsorg exponirende Religiosi sich jedesmal ad examinandum & approbandum bey unserem Vicario in Spiritualibus Generali der Gebühr angeben, auch dafern ein- oder ander in seiner Pastoral-Function sich nicht allerdings auferbäulich verhalten, und deswegen von ermeltem unserem Vicario oder Obersiegelerer, und anderen Bedienten von dannen nach seinem Professions-Kloster verwiesen würde, dieselbe alsdann denen sich gehorsamlich bequemen, und nach ihrem Kloister unverzüglich begeben, auch von denen Abbatibus ad locum professionis ungesäumt revocirt werden sollen,

len, welches Wir euch hinwieder unverhalten wollen. Denen Wir mit Kurfürstl. Gnaden wohl beygethan. Gegeben in unserer Residenzstadt Bonn den 14ten Merz 1670.

Maximilian Henrich *mppr.*

(L.S.) Joh. Pet. Burman.

§. IX.

Rescriptum Sermi Electoris MAXIMILIANI HENRICI *discutitur.*

Quodsi Rescriptum hoc, &, quæ illud comitantur, circumstantiæ attendantur, *nihil juris*, quod prætenditur, exinde nasci perspectum erit: 1) quia literæ supplices, seu supplicantes ipsi fatentur, se suósque nonnisi *in Subsidium militantis Ecclesiæ* & quidem *sub directione Episcoporum* pro curâ animarum exercendâ vocatos esse; quomodo jus acceptandi ecclesias Curatas & quidem *seculares principaliter* Regendas, & quidem Episcopis, ceu Summis Pastoribus divinitùs constitutis contradicentibus prætendere poterunt? 2) quodsi sinè expressa Episcoporum veniâ sese capaces etiam curæ principalis quoad Ecclesias parochiales seculares in vim Privilegiorum sibi Concessorum agnoverint, cur humillimè adeò supplicarunt, ut Serema sua Celsitudo condescenderet & annueret, ut Ecclesias etiam Curatas seculares administrandas suscipere possent? & 3) quod gratiosè & ex *gratiosissimo suo beneplacito* concessit MAXIMILIANUS HENRICUS in Verbis: So können wir auch geschehen lassen rc. num hoc *ex justitiæ debito* contra Serenmos ac Emmos in sanctâ Sede Coloniensi Successores, prætendi poterit? præsertim cùm 4) tam Relatio Rdmi Vicarii Generalis, quàm ipsum Rescriptum solummodo ad tempus Regiminis gratiam facientis hanc capacitatem ex mero beneplacito concessam restringant in Verbis: So mögen gleichfalls Ew. Durchlaucht nicht abweisen, rc. So können **Wir** NB. auch geschehen lassen rc. Et 5) notorii juris est, quòd hæc gratia *ex mero beneplacito* ab Antecessore concessa non imponat *legem necessitatis* Serenissimis Successoribus. Demum ultimo nihil plus hoc Rescripto fuit concessum supplicantibus, quàm quod 1536 in Concilio Coloniensi (§. VI.) provisum est videlicet: quòd *ex arbitrio suo Emmus Archiepiscopus quosdam Viros Monasticos singulari vitæ exemplo insignes apud Ecclesias parochiales sit relicturus:* at quis exinde relinquendi ac confirmandi necessitatem concludet?

§. X.

§. X.

CONTINUATIO.

Verùm dato (non conceſſo) quòd aliquam juris cujusdam umbram ex hoc meræ gratiæ Reſcripto elicere poſſent, id tamen à Clericis his Regularibus prætendo, ut, ſi ſuprema ſanctæ Sedis apoſtolicæ elogia ipſis ſpecificè contraria oſtendantur, devotiſſimum quoque illis ſuum, prout oportet, obedientiæ reſpectum exhibere debeant — Et quidem aliis omiſſis anno 1754 FERDINANDUS JULIUS S. R. E. Cardinalis Episcopus Olomucenſis ad ſanctam Sedem detulit adverſus Regulares Ordinum S. Benedicti, Ciſtercienſis & PRÆMONSTRATENSIS querelas & varia dubia reſolvenda inter quæ dubium in Ordine *ſextum* hoc eſt: *An Prælati regulares, ubi habent purum jus patronatûs parochiarum adquiſitum, vel ceſſum à Laicis, quibus in hoc ſuccedunt, teneantur Episcopo præſentare Sacerdotes ſeculares, ut antea Laici tenebantur?* ad quod ſacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum reſpondit *affirmativè* TENERI: quam declarationem Emmorum Patrum unà cum aliis BENEDICTUS XIV. in Bulla: quæ incipit: *ad ſolium Juſtitiæ* data XIV. Kal. Oct. anno 1755 ſolenniter approbavit & obſervandam præcepit. Ubi nunc ſunt illa, quæ adeò jactitant ſanctæ Sedis Privilegia pro acceptandis *eccleſiis Secularibus*, in quibus etiam ipſi jus habent patronatûs? Exemplum hoc ſecutus anno 1758 Sereniſſimus noſter Archiepiscopus CLEMENS AUGUSTUS, ad S. Congregationis declarationem citatam nec non Literas Benedicti XIV. relatas provocans à Papa CLEMENTE XIII. ſignanter, quoad Regulares Ordinis S. Benedicti, Ciſtercienſis, & PRÆMONSTRATENSIS petiit, ut eædem Declarationes ſolenni Bulla ad ſuas Diœceſes præcipuè COLONIENSEM extenderentur, quod etiam impetravit, quando Sanctiſſimus Dominus Noſter CLEMENS XIII Bullâ quæ incipit: *Inter multiplices* data anno 1758. Id. Decemb. *a*) ità inquit: „Nos re ſeriò ac maturè perpenſa, animadvertentes omnia in ſuperius relatis Decretis contenta, utpote ſacrorum Canonum & Tridentini potiſſimùm Concilii Sanctionibus conformia, ſæpe etiam romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutionibus inculcata fuiſſe, proindéque æquiſſimum reputantes providis hujusmodi Legibus iteratò confirmatis & promulgatis nova adverſus gliscentes abuſus apoſtolicæ Providentiæ præſidia objicere, prædicti Venerabilis Fratris Noſtri CLEMENTIS AUGUSTI Archiepiscopi & Principis Electoris precibus annuentes exſcripta ſuperiùs Congregationis Concilii Decreta pro Olomucenſi Diœceſi emanata, & pro eadem à præfato BENEDICTO Prædeceſſore approbata & confirmata, ex certa ſcientia & apoſtolica

Aucto-

Auctoritate Nostra iterum approbamus, & ad Coloniensem, Monasteriensem, Hildesimensem, Paderbornensem & Osnabrucensem Dioeceses extendimus & ampliamus. Ita ut Decreta hujusmodi in recensitis Dioecesibus eam planè vim Auctoritatem & Executionem habeant & obtineant, quam haberent & obtinerent, si pro iisdem Dioecesibus nominatim à præfata Congregatione Concilii condita atque edita fuissent, sicque & non aliter per quoscunque Judices, Ordinarios & Delegatos, etiam causarum Palatii apostolici Auditores, & sanctæ romanæ ecclesiæ Cardinales etiam de Latere Legatos & apostolicæ Sedis Nuncios judicari, & definiri debere statuimus, atque decernimus. Præsentes quoque Literas cum omnibus in iisdem contentis omnimodâ firmitate validas & efficaces existere & fore, suósque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere atque à Regularibus cujuscunque Ordinis Congregationis Instituti & Societatis in supradictis Dioecesibus existentibus aliisque ad quos spectat, & pro tempore quandocunque spectabit, inviolabiliter observari volumus, & mandamus non obstantibus quibusvis etiam Apostolicis & in Generalibus, Provincialibus aut Synodalibus Conciliis editis Constitutionibus & Ordinationibus, dictorúmque Ordinum, Congregationum, Institutorum & Societatum Privilegiis & Indultis, Statutis, usibus & consuetudinibus etiam immemorabilibus, cæterísque in contrarium facientibus, quæ olim præfata Tridentina Synodus ac Prædecessores Nostri Romani Pontifices adversùs Decreta super præmissis à se condita & ad evitandam seu retardandam eorum executionem nullatenus obstare voluerunt, quibúsque Nos etiam præsentium tenore & ad præmissorum effectum specialiter & expresse derogamus &c."

a) Bulla hæc extat in Subsidiis Miscellaneis &c. Ed. Bonnæ 1778.

§. XI.

CONTINUATIO.

Ne verò huic Constitutioni apostolicæ opponi queat Promulgationis defectus, adnecto hic legale testimonium ex Vicariatu Generali Coloniensi communicatum sequentis tenoris:

Extractus Protocolli Vicariatus Generalis Coloniensis de 29nâ Martii 1759.

Eâdem 29nâ.

Publicatum fuit per Civitatem & Archidioecesin Coloniensem Jubilæum à Ssmo Domino Nostro Clemente PP. XIII. benignissimè concessum, insimúlque communicata fuit omnibus totius Archidioecesis Decanis ruralibus

con-

confirmatio Pontificia Decretorum Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, concernentium Parochos regulares præsertim Ordinum Præmonstratensis, Cisterciensis, & Benedictini, data Romæ apud S. Mariam majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quinquagesimo octavo, tertio Idus Decembris, cujus initium est: *inter multiplices*, ad effectum, ut eadem Abbatibus & Monasteriis dictorum Ordinum per Pedellos cum notâ executi intimaretur.

In fidem & pro Extractu Protocolli

M. J. Leinen, Protonot. in Spirit.

Quomodo igitur huic Ordinationi sanctæ Sedis, sacris Decretis & Canonibus Concilii Tridentini vel maximè conformi adhuc resisti queat, non video, prætextu prædicti etiam rescripti gratiæ Maximiliani Henrici, quod ex mero beneplacito concessum Successoribus ponere legem non potuit, imò etsi potuisset, per præfatam Sedis apostolicæ Constitutionem acceptatam & promulgatam penitus revocatum; quibus adjungo ea, quæ de Privilegiis Ord. Præmonstr. refert Author *a*) relatus videlicet: *eas solummodo Immunitatum & gratiarum quarumlibet Tabulas Ord. Præmonstr. pro legitimis habendas esse, quæ à Decretis S. Tridentinæ Synodi, sacris Canonibus RR. Pontificum Constitutionibus, & Institutis Regularibus Ordinis non abhorrent*; combinet igitur, quisquis poterit, quæstionatam Ordinis Præmonstratensis prætensionem cum Bullâ præfatâ Clementis XIII.

a) *Continuat. Document. Canonico historicorum concernentium revocabilitatem Pastorum assumptorum ex Ordine Præmonstratensi* p. 62.

§. XII.

CONTINUATIO.

Priusquam ad attentatum Romam hac in causa Recursum progrediar, querelis Emmi ac Sermi Nostri CLEMENTIS AUGUSTI, atque JULII Episcopi Olomucensis hoc Seculo Romam delatis addam plures alias, atque impetratas desuper à sanctâ Sede provisiones: anno 1714 Rdmus Episcopus Basileensis in relatione Statûs suæ Ecclesiæ ad S. Sedem exposuit relevantia gravamina & intolerabiles abusus irreptos ex eo, quod ob præteritorum temporum calamitosorum injuriam, Sæculariumque Sacerdotum penuriam &c. nonnulli exinde Superiores Regulares ansam sumpserint, ex quasi Possessione & juris præscriptione Religiosos suos deputandi: Sacra Congregatio CC. eidem expost annu-

annuente & approbante *Sanctissimo rescripsit*: *quoad Regulares diversorum Ordinum, responderunt Eminentissimi PP. si agatur de Ecclesiis quoad temporalia tantum, in quibus Superiores Regulares habent duntaxat jus præsentandi, tunc ipsos debere præsentare perpetuum Rectorem Sæcularem ordinario Diœcesano.*— Eisdem abusibus occurrens Reverendissimus Episcopus Herbipolensis & Bambergensis longam & dispendiosam litem sustinuit in S. Congregatione CC. contra Monachos sancti Benedicti prætendentes, quod vigore præscriptionis jus acquisiverint Regulares præsentandi, in eaque pluries disputatum: *An Abbas Monasterii S. Michaelis extra mœnia Bambergæ Ord. S. Benedicti teneatur præsentare Rectores sive Curatos ad Eccles. qui sunt Sæculares &c.* ac tandem sub die 17. Septembr. 1722 resolutum fuit teneri D. Abbatem præsentare Rectores Sæculares ab Episcopo instituendos. Denique reproposita causa in S. Congregatione die 16. Januarii 1723 sub dubio: *An sit standum vel recedendum a decisis?* perstitum fuit in decisis. Huc referri possent aliæ causæ: *Frising.* juris deputandi curatos 24. Martii 1713 coram Ansaldo., *Argentina* Parochialium 30. April. 1745 coram Millino., *Colonien.* Paroch. 7. Febr. 1746 coram R. P. D. Bussio., *Herbipolen.* Parochialis Ecclesiæ & primissariæ Buchens. in S. Congregatione 1750 & 51. in quibus una hæc omnium querela est, Monachos ad curam vel Parochias semel illis temporibus vocatos difficulter fore amovibiles; propter hæc— Utraque S. Congregatio Episcoporum & Regularium CC. Trid. Regulam posuit universalem, quod administratio Parochiæ, quæ fuit Regularibus concessa tempore belli, vel durante penuria Sacerdotum Sæcularium, nullum jus tribuere potuerit ad effectum ulterius se confovendi in possessione: quia statim ac cessat illa causa temporanea & urgens necessitas, utique Regulares ad voluntatem ordinarii tenentur d. administrationem dimittere; demum post omnes allatas declarationes Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, & Ss. Pontificum Constitutiones meminerint CANONICI REGULARES Constitutionis BENEDICTI XIV. quæ incipit: quod inscrutabili 1745 editæ, in quâ generaliter decernitur & declaratur: CANONICOS REGULARES *cujuscunque Beneficii ecclesiastici* SECULARIS *sive cum cura sive sine cura & cujuscunque etiam Beneficii simplicis* VERE INCAPACES ESSE *& censeri debere; eisdemque nec Jus commune, nec Tridentinæ Synodi decreta, neque possessionem, aut eorum peculiare institutum, nec denique ullam contrariam consuetudinem, usum, possessionem, seu quasi, aliûmque omnino titulum pro hujusmodi prætensa capacitate ... ullatenus suffragari.*— Evidenter itaque ex his deductis sequi existimo, Rescrip-

tum MAXIMILIANI HENRICI ex mero beneplacito & precario concessum *nihil* omnino *Juris* fundare in favorem Canonicorum regularium Præmonstratensium præ cæteris Regularibus, quin potiùs illi rescripto in specie aliâ posteriore Bulla papali & Declaratione Sermi CLEMENTIS AUGUSTI suprà relata sit derogatum.

§. XIII.

Attentatus à putativè læsis Romam Recursus immediatus *repugnat Concilio Tridentino & Germaniæ Concordatis.*

Constitutioni prædictæ Clementis XIII à Serenissimo Nostro Clemente Augusto signanter contra Canonicos regulares Ordinis Præmonstratensis Diœceseos Colon. impetratæ, & utì supra promulgatæ inhærens Rdmus in Spiritualibus Generalis Vicarius Emmi ac optimi Principis Nostri Electoris à Monasterio Sanctimonialium loci Füssenich proviso Canonico regulari Steinfeldensi negavit Institutionem authorizabilem, negante quoque Archidiacono investituram; tentavit mox prædictum Monasterium unà cum proviso suo cursum Romam in signaturâ Justitiæ exhibens literas supplices quas, quia hisce nostris temporibus quoad Regulares notatu dignæ sunt, integras hic subnecto sequentis tenoris... Bme Pater: Exponitur humiliter pro parte ad instantiam Rmæ Abbatissæ, & monialium capitularium nobilis & exempti Monasterii de Füssenich, nec non R. Everhardi Hansel Canonici regularis Steinfeldensis devotorum sanctitatis Vestræ Oratorum, quod, quamvis Pastoratus de Bettenhoven à pluribus Seculis fuerit dicto nobili Monasterio tàm quoad spiritualia, quàm quoad temporalia Authoritate ecclesiasticâ incorporatus, quoindeque *quamvis idem Pastoratus à pluribus Seculis pro regulari habitus semper fuerit*, nihilominus quum nossimè Abbatissa & Moniales prædictum eundem Pastoratum suprafato Canonico Everhardo Hansel Steinfeldensi contulerint, dictusque Hansel in ejus possessionem fuerit missus, Rdmus Vicarius Generalis Coloniensis, quo jure nescitur, per suam definitivam sententiam non minus nulliter, quàm injustè declaravit dictum Pastoratum esse secularem, nullamque esse collationem factam in personam dicti Canonici Hansel, & nonnisi Prebyterum secularem per Abbatissam & Moniales supradictas esse præsentandam. Læsi igitur summopere Oratores antedicti humiliter supplicant S. V., quatenus dignetur circumscriptis omnibus gestis per suum Vicarium, causam & causas hujusmodi alicui ex S. V. Palatii apostolici causarum Auditoribus, seu locum tenenti ex integro committere, sin minus, causam & causas appellationis & appellationum nulli-

lita-

litatis, & nullitatum ex tribus iniquitatis & notoriæ injustitiæ attentatorum, & innovatorum quorumcunque, ac restitutionis in integrum, prout de Jure cum omnibus & singulis inciden. emergere: depedend. annexis & connexis, tantoque negotio principali ac quam & quas alicui S. V. Palatii apostolici causarum Auditori seu locum tenenti audiendam, cognoscendam deciden. fineque debito terminan. committere, & mandare cum facultate *citandi & inhibendi*, quos, quibus, quoties, & quando opus fuerit, etiam per Edictum constito constitutionibus, & Ordinationibus apostolicis Stylo Palatii, & Curiæ cæterisque contrariis non obstantibus quibuscunque Statutis pro plen.

H. Alramus Sig. Justit. Aud.

Ad has Emmus CORSINI signaturæ Justitiæ præfectus de die 7mâ Oct. 1780 ex Stylo & more solito emisit citatorias contra Emmi Nostri Vicarium in Spiritualibus, contra Archidiaconum, Promotores fiscales, & quoscunque consortes, quas citatorias hìc omitto, quia more solito conceptæ sunt, nihilque novi ad rem nostram facientis continent. *a*)

a) Ità in nostra Diœcesi Regulares exempti, quibus Serenmi Antecessores ex beneplacito suo gratiam precario fecerant, deserviendi in Ecclesiis curatis secularibus molestare audent in Curiâ romanâ Episcopum suum sibi, cæterisque animabus regendis divinitûs concessum, ejúsque Vicarios Rdmos legitimè ordinatos.

§. XIV.

CONTINUATIO.

Quod antequam demonstratum eam, hìc subjungam necesse est ineditam adhuc ordinationem Sermi CLEMENTIS AUGUSTI de 13 Novemb. 1741. à sæpe fatis Canonicis regularibus coram Regimine Düsselano die 19. Novembris 1780 sub Lit. I) exhibitam, adeóque ipsis satìs notam super controversia jurisdictionali inter Officialem & Vicarium Generalem Curiæ Archiepiscopalis Coloniensis: sequentis tenoris:

CLEMENS AUGUSTUS Dei Gratiâ Archiepiscopus Coloniensis &c. Cum super genuino sensu Ordinationis Rmi & Sermi glor. mem. Ferdinandi Archiepiscopi Coloniensis Prædecessoris nostri de triplici Vicario Generali & cujusvis Officio ac Potestate inter Vicarium nostrum in Spiritua-

libus

libus Generalem & Officialem Curiæ nostræ Archiepiscopalis Colon. nonnullæ dissensiones exortæ fuerint, hinc nos earundem progressum impedire cupientes præsentium tenore declaramus. 1mo Quemadmodum Vicarius noster in Spiritualibus Generalis *in Causis spiritualibus jurisdictionis merè contentiosæ, quæ ordinarium Juris Processum Judicemque pro tribunali sedentem requirunt*, juxta literam præfatæ Ordinationis nullo modo se debeat ingerere, ita vicissim Officialis Curiæ nostræ Archiepiscopalis *in Causis spiritualibus jurisdictionis merè voluntariæ, quæ talem Processum & Judicem non exigunt*, disponente sic eadem Ordinatione se nullatenus immiscebit. 2do *Permissum quidem erit Vicario nostro in Spiritualibus Generali, si recurratur ad ipsum summariè & extrajudiciali causæ cognitione præmissa, id quod Juris esse crediderit, ordinare non tamen per* SENTENTIAM DEFINITIVAM *ut Judex, sed per provisionem merè extrajudicialem instar Patris & Pastoris juxta formam in ultimo dicta Ordinatione præscriptam.*

Ex hàc Ordinatione quoad exercitium Potestatis ac Jurisdictionis Archiepiscopalis in Nostra Diœcesi in tres Vicarios Episcopales divisum oppidò constat, & Canonicis regularibus constare debuit & potuit, Ordinationem Rdmi in Spiritualibus Generalis Vicarii, quâ negavit Institutionem authorizabilem, non fuisse *Sententiam definitivam* (prout in libello gravatoriali sanctissimo Domino nostro exhibito falsò & contra propriam scientiam asserebant) sed provisionem merè extrajudicialem instar Patris & Pastoris; ubi igitur causam suam ordinario Juris processu ventilandam introducere, cujus Judicis in primâ instantiâ tribunal adire debebant juxta literam præfatæ Ordinationis, quàm Rdmi Generalis Vicarii Archiepiscopalis in contentiosis seu OFFICIALIS; quare igitur fundatam Rdmi hujus Officialis jurisdictionem legentes in hisce literis, pro se exhibitis, tentârunt *per saltum* recurrere Romam?

§. XV.

CONTINUATIO.

Præter ordinationem specialissimam Clementis Augusti (§. præc.) Canonicis Regularibus sæpe dictis ignota esse non potuit Constitutio S. Concilii Tridentini, in quo *Sess.* 24. *de ref. Cap.* 20. ità decernitur: *Causæ omnes ad Forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, in primâ Instantia*

coram

coram ordinariis locorum duntaxat cognoſcantur; huic Conſtitutioni occaſionem dederê abuſus multi, quibus cauſæ eccleſiaſticæ ex diverſis Eccleſiis particularibus trahebantur ad Tribunalia Nunciorum, imò & ipſa Tribunalia Romana; quapropter in eodem Decreto ſubjunxerunt Patres: *Legati etſi à Latere, Nuntii, Gubernatores eccleſiaſtici, aut alii quarumcunque facultatum vigore Episcopis impedire, Jurisdictionem iis præripere, aut eos turbare non præſumant.* Nonne è diametro huic ſaluberrimo Decreto Concilii univerſalis adverſatur tentatus Romam hâc in cauſa recurſus? quando Eminentiſſimum Signaturæ juſtitiæ romanæ Præfectum ſollicitârunt Regulares pro emittendis, emiſsíſque de facto citatoriis, quid aliud petebant, quàm ut violentia fieret ſacris Legibus, quarum ignorantia in iis præſumi nequit?

§. XVI.

CONTINUATIO.

Quæ prætacto Concilii Tridentini Decreto definita ſunt in favorem primæ Inſtantiæ ordinariorum, pridem antè in Concilio Baſileenſi nervoſiùs decrevêre Patres Seſſ. XXXI. Decreto: *de Cauſis & Appellationibus*; *a*) in Verbis: „Eccleſiaſticæ ſolicitudinis ſtudium jugiter invigilare convenit, ut fraterna charitas in clero ac populo Chriſtiano vigeat, nec quisquam per vexationes & afflictiones indebitas proximum ſuum opprimere permittatur: ſicque juſtitia ordine debito cuilibet miniſtretur, ut & viris doloſis auferatur nocendi licentia, & quies & tranquillitas rectorum non facile perturbetur. Inoleverunt autem hactenus intolerabilium vexationum abuſus permulti, dum nimium frequenter à remotiſſimis etiam partibus ad Romanam Curiam, & interdum pro parvis & minutis rebus ac negotiis quamplurimi citari & evocari conſueverunt, atque ita expenſis & laboribus fatigari, ut nonnunquam commodius arbitrarentur juri ſuo cedere, aut vexationem ſuam gravi damno redimere, quam in tam longinqua regione litium ſubire diſpendia. Sic facile exiſtit calumnioſis opprimere pauperes, ſic Beneficia plerumque minus juſte per litium anfractus obtenta ſunt; dum juſtis poſſeſſoribus eorum, ſeu quibus illa de jure competebant, neque opes, neque facultates ad illos ſumptus ſufficere poterant, quos longinqua profectio ad Romanam Curiam, & litis agitatio in eadem depoſcebant. Confunditur etiam exinde ordo eccleſiaſticus, dum ordinariis judicibus ſua juris-

dictio

dictio minime servatur, pecuniæ & facultates regnorum ac provinciarum hoc pacto non parum diminutæ sunt. Et quod universo ecclesiastico ordini admodum nocere compertum est, hi, quos ad summa negotia christianæ Religionis sublimitas dignitatis evocabat, minus illis reddebantur intenti, dum ipsorum mentes nimium occupabat assidua causarum multitudo. Quæ attendens hæc sancta Synodus, & pro reformatione Ecclesiæ Dei in Capite & in membris, juxta potestatem sibi à Domino concessam evigilans, ut omnia deinceps ordine congruo, peragantur, ad salutem animarum & pacem ac quietem cunctorum, statuit & decernit; quod in partibus ultra quatuor diætas à Romana Curia distantibus omnes quæcumque causæ, . . . apud illos judices in partibus, qui de jure aut consuetudine præscripta vel privilegio cognitionem habent, terminentur & finiantur". Decretum istud Natio nostra Germanica anno 1439 Moguntiæ recepit inter Concordata sua: quis autem non videt tentatum Recursum immediatum hisce germaniæ Concordatis manifestò reprobari?

a) Vid. TOM. I. CONC. Germ. *p.* 123.

§. XVII.

CONTINUATIO.

Verùm suum tentatum immediatum Recursum Romam justificare *praxi* nituntur Canonici REGULARES in suo exhibito coram Senatu Dusselano intimo die 19. Decemb. 1780 in adjuncto sub Lit. K) sequentis tenoris:

Clausula Concernens ex Actis ventilatis coram sacra Congregatione Concilii.

Ab ordinatione gravatoriali lata à Rdmo Domino Vicario Generali 24tâ Junii 1756 puncto Examinis quoad curam principalem subeundi à Rectore Dünwaldensi approbato quoad curam subsidiariam appellavit, Rdmus Dominus Abbas Steinfeldensis 1756. 27ma Julii quæ erat dies post factam insinuationem 2da & hæc appellatio apud Sedem apostolicam fuit introducta, altum autem in his Actis est Silentium de prætenso jure 1mæ Instantiæ Rdmo Domino Officiali competente.

Præterquam quòd ex adjuncto illo sit evidens, quanta sit & fuerit Exemptorum Regularium in exercenda animarum cura, adversus Episcopos suos veros Apostolorum Successores sibi divinitus datos sub odioso Ex-

emptio-

emptionis pallio indecens planè prætensio sacris Canonibus prorsus reprobata, in præjudicium instantiæ primæ Rdmi Vicarii Generalis in contentiosis exinde omnino nihil concluditur: Etenim si illo tempore Rdmus Officialis in contentiosis non urgeret Jus Eminentissimi sui Principalis, num inde consequitur, quod unico hoc facto jus primæ instantiæ Ordinariorum Concilio universali definitum penitus perimatur, facto quidem, quod congruit tempori, quo alia principia non gustare solebat Germania nostra inferior præcipuâ ex parte, quàm quæ placerent auribus exterorum, posthabitis propriis libertatibus & juribus; ast hodie libertates Jurium Germanorum factæ sunt universaliores, veritati detractum velum est, ut ipsi Summi Pontifices non sint dedignati, deferre juri non solummodò primæ Ordinariorum instantiæ, sed atque adeo in Appellationibus Romam delatis omisso judice medio videlicet metropolitico, causas ad ordinarios Judices in partibus remittendo, ceu famosa illa causa anno 1764 inter Decanum & Capitulum Spirense agitata testis est. *a*)

a) Vid. *Tom. I. & II. Concord. Germ.*

§. XVIII.

Parochialem Ecclesiam quæstionis non esse Regularem ostenditur.

Ut Regulares Canonici exempti Romæ sperarent salutem (qui desperatam suam causam esse planè prævidebant, si Ecclesiam parochialem fore *Secularem* narrarent) narrabant, Ecclesiam parochialem in Bettenhofen fuisse *pro Regulari* habitam, eámque Ecclesiæ Sanctimonialium in Füssenich existere incorporatam (vid. lib. Gravaminum Romæ exhibitus supra §. XIII.) Itaque ut ostendam, restat, Ecclesiam prædictam verè esse *Secularem*; & quidem hoc mihi facillimum esse arbitror: Etenim testimonio relati Rdmi Abbatis Knechtstedensis L. JANSEN (*loc. cit.*) quem rejicere ipsis nefas erit, in dubio: *an Beneficium sit seculare vel regulare*, *Status ultimus inspiciendus est*, *utrum nempe vacaverit per obitum personæ Regularis vel Secularis?* Ecclesia quæstionis vacabat ex obitu personæ *Secularis*, videlicet Petri Schopen Decani Christianitatis Juliacensis; Status igitur ultimus Ecclesiæ illius est *Secularis*, quo itaque ausu coram ipso adeò Summo Pontifice allegari poterat ceu *Regularis?* quem ex Statu ultimo & regularis Provisus, & Sanctimoniales Collatrices noverant esse *Secularem?* signanter autem Collatrices ipsæ in ultimis collationis Literis de anno 1743 fatentur, esse *Secularem*, sequentis tenoris:

Wir

Wir Anna Maria Magdalena Freyin von Ahr, zur Zeit Fraw-Meisterin des freyadlichen Gotteshaus Sti Nicolai in Füssenich &c. bekennen hiemit, und fügen zu wissen, demnach der Wohlehrwürdiger Herr Andreas Krantz Weltgeistlicher und Pastor der Pfarrkirchen Sti Pancratii in Bettenhoven, Cöllnischer Diœces im Herrn entschlafen, und dan uns das Jus Patronatûs inhabenden von etlichen hundert Jahren hero, und annoch in unserem Gotteshaus Sti Nicolai in Füssenich gebühret, so oft gemelte Pfarr vaciren thut, eine andere qualificirte Person zu derselben mit ihren jährlichen Intraden, Recht und Gerechtigkeiten in genere, & specie, nichts darab ausgeschlossen, zu nominiren, und zu præsentiren: Dahero Uns unseres Rechtens zu bedienen Wir den Ehrwürdigen Herrn Joannem Petrum Schopen Vicarium in Niederembt tanquam habilem & idoneum zu unserer vorgemelter Pfarr kraft dieses pleno jure, wie solches mit beständigster Rechtsform, und Manier geschehen könnte und mögte, zu præsentiren, und nominiren, und præsentirt und nominirt haben ꝛc. Geschehen Füssenich den 10. Jan. 1743.

His collationis Literis adnectere facile possem tria Serenissimi Juliacensis Ducis placita diversis Clericis Secularibus ad Parochiam prædictam data quorum *unum* est de anno 1670 de 22. Aprilis, alterum de 1719. tertium de anno 1743 ultimo *Seculari* Presbytero concessum; ex quibus omnibus ad oculum patet, prædictam Ecclesiam ex tot Actibus collationis & placiti in Presbyteros Seculares à centum annis & ultra continuatis, redditam esse & præsumi *Secularem*, fatentibus id inter Canonistas, ipsis adeo Regularibus celeberrimis; *a*) Id adhuc notatum esse volo, quod ex his pateat, quàm periculosus quàmque noxius sit Clero Seculari hìc Canonicorum Regularium agendi modus: unâ ex parte in vim Privilegiorum sibi à Summo Pontifice concessorum habiles sese fore prætendunt ad capiendas Ecclesias parochiales seculares; alterâ verò ex parte, si vel semel Ecclesiam parochialem secularem possederint, sibi suffragari sustinent principium: *Ecclesiam ex Statu ultimo à Regularibus possessam*, *Regulari esse conferendam*; quò autem hæc omnia tendant, facilè colligere licet.

a) Böckn, Schmier, Reiffenstuel, Wiestner, Pirrhing; aliisque.

§. XIX.

§. XIX.

CONTINUATIO.

Sed neque *incorporationis titulo* parochia quæstionis est regularis, etenim 1) ejusdem Ecclesiæ jus patronatûs duntaxat unà cum jure decimandi ex donatione nobilis D. de ALFFTER transiit in monialium Monasterium loci *Füssenich* nuncupati, adeóque, cùm ex Concessione *Laicorum* habeant Regulares adquisitum purum jus patronatûs, titulo incorporationis dici nequit Ecclesia regularis, sed ex constitutione citata CLEMENTIS XIII à Sernmo CLEMENTE AUGUSTO rogata, acceptatâ & promulgata præsentandi erunt *Clerici Regulares*; quodsi enim sacra Congregatio Concilii Tridentini interpretum, unà cum Beatissimo Patre Canonicos Regulares habiles esse judicaverit (uti prætenditur) Ecclesiarum sæcularium, cur ipsos Prælatos ejusdem Ordinis obligatos esse voluit, ut præsentarent Clericos Sæculares ad Ecclesias, in quibus ex Concessione Laicorum adquisitum habent purum jus patronatûs? Porro 2) Ecclesia titulo incorporationis intelligi nequit regularis, nisi Monasterium jurisdictionis quoque spiritualis capax fuerit, ut cura pastoralis primæva & habitualis resideat penes Monasterii Capitulum ceu *Pastorem primitivum*, atque Rector Ecclesiæ nonnisi nomine *Vicarii* veniat; at verò quis sinè Crimine læsæ sacræ in Ecclesia catholica Majestatis asseverare ausit, penes monialium seu mulierum sacrarum conventum, quas tacere jussit Apostolus in Ecclesia, residere curam pastoralem, ut earum nomine Vicarius Presbyter Ecclesiam curatam administret, & sacra faciat? sanè hæc omnia à Systemate Catholicorum abhorrent. Porro evolvas omnia incorporationis Ecclesiarum curatarum diplomata, etiam Virorum Monasteriis data, nuspiam invenies in iis copiam esse factam, ut per Regulares Vicarios Ecclesiæ administrari queant, & quidem *sinè Consensu Episcoporum*; ineptias igitur libelli Gravaminum Romæ exhibiti, in quo Ecclesia parochialis narratur incorporata monialium Monasterio non solùm *quoad temporalia*, sed *etiam spiritualia*, nemo non videt.

§. XX.

Mandatum de introducendo Canonicum Regularem in Possessionem Ecclesiæ prædictæ Sæcularis Legibus manifestò adversatur.

Quanquam prædicta parochia foret *Sæcularis*, & Canonici Regulares, obstantibus tot Constitutionibus apostolicis, essent incapaces prorsus Ecclesiarum sæcularium, atque ex hoc capite justè denegata fuerit à Rdmo

Vicario Episcopi cura Principalis, nec non ab Archidiacono investitura, nihilominus Canonici Regulares ausi sunt sollicitare à Domino territoriali loci Parochiæ placitum, quod & die 22dâ Junii elapsi anni impetrârunt, unà cum Mandato territoriali, de introducendo *provisum Regularem* in possessionem frugiferam Beneficii curati; quod factum adversari Legibus sacris demonstratu mihi facile erit: Etenim, qui vel primos salutavit juris nostri sacri Limites illi notissima est & esse debet prima REGULA juris in 6. *Beneficium ecclesiasticum non potest licitè sinè Institutione Canonica obtineri*; ubi inpræsentiarum est Institutio, quam vocant, *authorizabilis*, seu collativa curæ animarum? ubi Institutio illa, quam ante possessionem frugiferam Ss. Canones desiderant, & *investituram* vocant, quæ est collativa Tituli? duplex hæc Institutio ab Episcopo justis ex causis denegata fuit, itaque Mandatum de danda possessione frugifera Beneficii curati absque prævia canonica Institutione illicitè omnino & contrà Canones sollicitatum, & impetratum fuit.

§. XXI.

CONTINUATIO.

Verùm prædictum Mandatum non solùm juri sacro communi, sed juri quoque Coloniensi specialissimo, signanter Transactioni provisionali anno 1621 inter Seremos WOLFFGANGUM Ducem Palatinum & Ferdinandum Archiepiscopum Coloniensem pro Territoriis Juliacensi & Montensi conclusæ manifesto adversatur; Transactio prædicta *a*) ità habet: Als viel den 10ten Punct belangt, sollen die Investituren und Zulassung der Personen zu den geistlichen Lehnen bey den Archidiaconis gesucht, wie von alters, und wie von Uns Pfaltzgrauen Wolffgang Wilhelmen, und den Unserigen præsentirte, sofern sie tauglich und bequem gefunden, nit zurück gestellt, und gemelten Archidiaconis, pro omnibus juribus investituræ, Sigilli, und sonsten einen Goltgulden und zween Reichsthaler, und ferner nicht gegeben werden, jedoch wan einige Pastores glaubwürdigen Schein ihrer grosser Armuth vorzeigen würden, soll alsdan mit denen gebührliche Moderation gebraucht und gemeiner Befelch von Uns Wolffgang Wilhelmen Pfaltzgrauen, rc. obgemelt, an die Landt-Dechanten ergehen, alle Pastores, so curam animarum haben, vorzuforderen, jre investituras vffzulegen, oder aber jnwendig dreyen Monaten dieselbige außzubringen, und ihnen vorzuweisen sub pœnis amissionis fructuum, zu bestimmen, wie dan Uns Pfaltzgrauen Wolffgang Wilhelmen, rc. vnbenommen sein solle,

die

die von andern præsentirte Pastores durch Unsere deputirte Geistliche, non ad dandum titulum, sonder allein damit Wir Wissenschafft haben, was für Seelsorger Unseren Unterthanen vorgestelt, und wie sie qualificirt, examiniren zu lassen, denen Wir nach Befinden Unser Placet geben, sie deßhalben mit ungebürlichen Außgaben bey Unser Cantzley nicht zu beschweren verschaffen, und dabey jhn die investituras an gebürenden Oerteren zu gesinnen, in gemeltem Schein oder Placet einbinden, und daneben Unseren Beampten befehlen wollen, keinen zu admittiren, er habe sowoll Unser Placitum als gebürende Investitur vorgewisen. Ex hâc Transactione sequitur 1) quòd Pastores curam animarum habentes debeant intra tres Menses petere & ostendere *investituram*, & quidem *sub pœna amissionis fructuum* 2) promisit sanctè Dux Juliacensis, neminem ad possessionem Ecclesiæ curatæ admittendum esse, nisi præviè tum Placet territoriale, tum literas investituræ provisus ostenderit iis, quibus jus est in possessionem intromittendi; quomodo igitur absque manifesta hujus Pacti infractione expediri potuit Mandatum de concedenda possessione frugifera absque præostensis literis investituræ?

a) Vid. *Subsidia Miscell. pag.* 50.

§. XXII.

Continuatio.

Alia hâc in re ante octo annos vix elapsos erat sententia Senatûs Düsselani intimi, quando anno 1773. vacabat Ecclesia parochialis loci *Oberpleis* per obitum ultimi possessoris *Canonici Regularis* Canoniæ Bödingensis, eandémque Rdmus Abbas Sigbergensis contulerat in personam alterius Canonici Regularis; sed denegatâ curâ principali à Rdmo Vicario Episcopi, denegatum quoque fuit placitum territoriale, donec Clerico sæculari de illa Ecclesia intra semestre currens à patrono fuit provisum ceu præsentes literæ Serenissimi, nec non Relatio adjuncta satis testantur.

A)

Carl Theodor von Gottes Gnaden Kurfürst ꝛc. ꝛc. Unsern ggsten Gruß zuvor, Würdig lieber Andächtiger! Bey Uns hat Mathias Meys demüthigst angezeigt, daß er auf Absterben des Pastoren zu Oberpleis Mappius von dem Abten zu Siegburg qua Collatore mit sothaner Pastorat

storat versehen, mithin ggst gebeten ihme darüber das gewöhnliche Placitum zu ertheilen; Gleichwie Wir aber an vordrist ggst wissen wollen, ob ged. Meys ein Ordens- oder Weltgeistlicher seye, also befehlen Wir euch ggst darüber inner 8 Tägen gehorsamst zu berichten. Düsseldorf den 20. Merz 1773.

Anstatt und wegen Ihrer Kurfürstl. Durchl.
Graf von Goldstein

An Landdechant der Christianität
Siegburg

Vt. Reiner.

B)

Tenor des Berichts.

Euere Kurfürstl. Durchl. befehlen mir p. clemmum Mandatum vom 20ten dieses gehst zu berichten, ob der mit der Pastorat zu Oberpleis versehener Mathias Meys ein Ordens- oder Weltgeistlicher seye;

Zu schuldigster Befolgung ohnverhalte gehst, daß gleich nach erfolgtem Tod des ehemaligen Pastoren Mappius der Abt zu Siegburg zwarn einem Ordensgeistlichen der Canonie Bödingen Hüsgen gem. Pastorat zu Oberpleis conferiret habe, als aber der General-Vicarius zu Köllen in gemäßheit der Synodal-Statuten diesem die Approbation entsaget, so ist dermalen die Pastorat dem Mathias Meys, welcher ein sehr fähiger Weltgeistlicher, auch ein Landeseinsaß ist, von dem Abten zu Siegburg conferiret worden.

Ich muß indessen Euer Kurfürstl. Durchl. jene höchste Attention demüthigst verdanken, welche Höchstdieselbe für den weltlichen Clerum zu hegen geruhen, wodurch so vielen sich mit schweren Kösten qualificirenden Landeskindern die Eröffnung zu einer anständigen Beförderung gegeben wird, welche bis dahin von bereits wohl versehenen Klostergeistlichen entrissen worden, in tiefester Submission bestehend 2c.

Quodsi itaque tum temporis Senatus prædictus intimus adeò sanctè inhæserat principio: *Beneficia secularia Secularibus esse conferenda*, præcipuè ubi Status ecclesiæ curatæ ultimus erat *regularis*, mirari profectò oportet, eundem in principiis suis omninò inconstantem Canonico regulari dedisse Placitum & Mandatum de occupandâ Ecclesiâ curatâ, cujus Status ultimus notoriè erat secularis.

§. XXIII.

§. XXIII.

Jurisdictio Decani ruralis Juliacensis hâc in causâ nullatenus est fundata.

Postquam Canonicorum regularium tentatus Romam Cursus per saltum A. posthabita Jurisdictione contentiosa episcopali sisti cœpit, oppositis exceptionibus, atque timebant à signatura justitiæ ad proprium forum Epispale causam hanc beneficialem forsan remissum iri, Regulares in aliud extremum deviantes, novis Senatum sæpe fatum intimum precibus aggressi sunt, pro reflectendo ad Transactionem provisionalem prædictam, quâ causæ beneficiales & aliæ ecclesiasticæ in primâ Instantia statuuntur relinquendæ Decanis Ruralibus, novam suscitantes Collisionem inter Episcopum SUUM & Dominum territorialem Vicinum, atque judicari detractantes à proprio Episcopo;—Verùm Jurisdictioni episcopali nullatenus obstare Literam transactionis provisionalis nullo negotio vel ex ipsa transactione elicitur: Verba transactionis hæc sunt: Als viel den 29ten Puncten berührt, wird es bey dessen Inhalt dergestalt provisionaliter gelassen, daß die Unterthanen Geist- und Weltlich in erster Instanz in Ehe- und andern obgem. geistlichen Sachen, nit ausser Lands gezogen, sondern durch die Archidiaconos, Befehlhaber, und Landdechanten nach altem Herkommen binnen Lands verhört, und entscheiden werden sollen, und wiewohl Wir Ferdinand Erzbischof und Churfürst &c. dafür halten, daß den Landdechanten solche Jurisdictio contentiosa nicht gebühre, Wir Pfalzgraf Wolffgang Wilhelm &c. aber vermeint, daß die Landdechanten ab immemoriali tempore solche Jurisdictio herbracht, und also aus dem und andern Fundamenten in Unseren Fürstenthumben und Landen behalten, so ist doch der Punct bis zu endlicher fernerer Vergleichung provisionaliter dahin geschlossen, daß ad salvandas conscientias, & evitandum periculum nullitatum Wir Ferdinand Erzbischof und Churfürst &c. die Landdechanten nach erhaltener Confirmation, ohne sie deshalben mit einigen Ausgaben zu beschweren, irrevocabiliter, so lang als sie Landdechanten sind, habilitiren wollen, die Cognitionen in Matrimonial- Beneficial- und anderen geistlichen Sachen, als viel sie sonsten darzu von Alters nicht befügt, in prima Instantia zu haben und zu gebrauchen, salva tamen appellatione an Uns und die Unserige ex causa legitima, secundum terminos juris &c.— Ex hoc Concordato equidem constat, Decanis Ruralibus Ducatuum Juliacensis & Montensis in causis ecclesiasticis matrimonialibus & beneficialibus con-

concessum esse jus primæ instantiæ, sed non alia de causa, quàm ne subditi è territorio suo evocarentur; quis hìc non videt, Jus decanale primæ instantiæ eo solùm in casu fundari, si subditi Montenses aut Juliacenses sustineant personam *rei*, non autem si *actores* fuerint, contendentes cum subditis extraneis? Videamus autem quis in causa substratâ sustineat personam actoris, & quis personam rei? denegata cura principali & investitura Regulari proviso à Rdmo Vicario Generali, regularis ceu pars putativè gravata *agere* cœpit contentiosè, ceu libellus gravaminum Romæ exhibitus satis edocet; igitur regularis provisus, & quidem ex abbatia territorii Coloniensis ceu actor *insurgit* implorans judicem ad finem judicari & declarari se suósque capaces esse Ecclesiæ parochialis sub quæstione existentis: ubi hìc est subditus Ducatûs Juliacensis aut Montensis è territorio evocatus? itaque neque fundatum erit Jus primæ instantiæ decanale. Neque aliud quid evincit præjudicium à Regularibus coram Senatu relato intimo nuper exhibitum, videlicet in causa matrimoniali *sub* RUBRO: *Stephan Witgens contra Elisabeth Haaß loci Grevenbroich* in qua reo subdito Juliacensi ad Tribunal ecclesiasticorum Novesiense evocato sub pœnâ 50 imperialium fuit inhibita paritio, obstante transactione provisionali; hìc enim agebatur de subdito reo extra territorium evocato, itaque subintraverat transactio provisionalis, at verò in casu substrato nihil tale subesse manifestò liquet.

§. XXIV.

CONTINUATIO.

Quanquam ex prævię deductis modò palam sit, in causa substrata non esse fundatum jus primæ instantiæ decanale, iis tamen ex superabunti adjungere volui, quòd hìc agatur de discutiendo facto Rdmi Vicari Episcopalis, an justum an injustum sit? certum præterea est, factum Vicarii Episcopalis haberi ceu factum ipsius Episcopi; demum indubitatum est, Decanos rurales fungi solummodo munere & Officio Judicis delegati; cùm itaque indecens prorsus sit, ut Judex ad certum causarum genus ab Episcopo delegatus, & quidem inferior examinet factum Episcopi delegantis & superioris, præterea in generali Concessione causarum non veniant causæ factum Episcopi concernentes, nisi exprimantur, denique Delegationes causarum ità sint semper interpretandæ, ut in odium delegantis nullatenus detorqueri debeant, abunde confirmabitur doctrina: Jurisdictionem decanalem non esse fundatam in causis quarum objectum constituit factum Episcopi delegantis, sed secundum formam, quâ exercitium jurisdictionis Episcopalis in Archidiœcesi Coloniensi determinatur, siquis à Rdmo Vicario in Spiritualibus seu actibus

vo-

voluntariæ jurisdictionis per provisionem merè extrajudicialem gravatum se esse putat, ab hoc ad Vicarium Episcopi in contentiosis seu Officialem provocandum est, qui ordinario processu instituto pro tribunali sedens pronuntiabit factúmne Vicarii in Spiritualibus gravatoriale sit, nec ne?

§. XXV.

Quodsi Regulari cuicunque conferatur Ecclesia secularis Collatio erit nulla, & locus juri devoluto.

Tandem ultimò inpræsens mihi dispiciendum venit, utrum juri devoluto propterea fuerit locus, quòd Monasterium fœmininum præsentâverit *Clericum Regularem* ad Ecclesiam, cujus Status ultimus inventus fuit Secularis? atque hanc quæstionem absque omni dubio adfirmandam esse censeo: Etenim Collationem ecclesiæ *secularis* in personam Canonici cujusque *regularis* factam esse *notoriè invalidam* quis dubitabit, & quidem post tot Constitutiones RR. Pontificum, quibus nulla prorsus exceptio qualiscunque Privilegii opponi poterit; elogiis enim sanctæ Sedis apostolicæ hactenus adlatis si addas 1) Gregorii XIII. Oraculum, de cujus mandato in durioribus terminis Canonicorum Regularium majorem similitudinem habentium cum Clero seculari *a*) generaliter fuit quæsitum: *an Canonici Regulares de Licentia sui generalis possint assumere Curam animarum tam ad tempus, quàm perpetuò?* Sanctissimus Dominus noluit licere istis Regularibus, quod idem 2) declaravit S. Congregatio Episcoporum & Regularium ex mandato Clementis X. die 17. Martii 1671. quod Decretum per modum legis generaliter promulgatum perpetuo observandum esse decidit Rota Romana *b*) adeò, ut ex certissimo Stylo curiæ romanæ Beneficia *secularia* inventa, Secularibus sint conferenda, ità, ut omnes Curialistæ practici doceant, si Beneficium Seculare, Regulari conferatur, nisi duplex gratia dispensativa & provisiva simul concurrant in taliter proviso, Collatio sit irrita, & Beneficium per alium impetrari possit; *c*) hæc inquam si jungantur relatis sanctæ Sedis oraculis, præcipuè Benedicti XIV. & Clementis XIII. signanter contra *Canonicos Regulares* Ordinis quoque Præmonstratensis & quidem pro nostra Diœcesi acceptatis & promulgatis, quæ Monasterio præsentanti ignota esse haud potuerunt, manifestò sequitur præsentationem esse notorie nullam & invalidam, quis autem ignorat, casu, quo præsentatio sit facta à patrono *notoriè* invalida, lapso fatali ad superiorem jus providendi eâ vice devolvi; quod eò magis in præsenti causa tenendum, ubi Rdmus Episcopi Vicarius, negatâ curâ principali proviso regulari, ex Constitutionibus RR. Pontificum præsentandum esse Clericum Secularem intra

seme-

ſemeſtre currens monebat Conventum Monialium, habentem Jus patronatûs; quare extra omne dubium eſſe ait celeberrimus Canoniſta Moguntinus SCHLÖR *d*) præſentato Canonico Regulari ad Eccleſiam Sæcularem, præſentationem fore invalidam, atque *Beneficium per alium impetrari poſſe*, addens, quòd HIERONYMUS de CÆVALLUS Hiſpanus in *Speculo aureo* opinionum Communionum referat, *e*) ità fuiſſe Judicatum per Dominos Auditores Archiepiscopi TOLETI; Atque hoc volunt Ss. Canones, dum intra tempus fatale cuique patrono ſive laico ſive eccleſiaſtico præſcriptum perſonam *inhabilem* præſentare neglectum fuit: quæ ſtatuitio de iis ſane patronis intelligenda eſſe venit quibus ſanctæ Sedis Conſtitutio promulgata fuit, quam propterea ignorantiæ prætextu elidere nequeunt, accedente inſuper monitione Vicarii Episcopalis, de præſentanda perſonâ Sæculari ad Eccleſiam pariter Sæcularem.

a) Cf, FAGNAN. *ad Cap.* I. *de Stat. Monach.*

b) Apud Cardin. de PETRA *Tom.* 2. *Comment. ad Conſt.* I. *Anaſtaſii IV. Sect.* I. *à n.* II. 26. — *c*) Teſte PETRA *loc. cit.*

d) *Diſſ. de Eccleſ. paroch. ſæcularis. C.* I. §. 21. *in Theſ. J. E. Germ. p.* 512.

e) Q. 281. apud SCHLÖER *loc. cit.*

§. XXVI.

CONCLUSIO.

Ex his itaque concluditur, corrigendum eſſe 1) Eximium P. Thom. SCHMITZ Doctorem Theologum in Univ. Colonienſi, qui anno 1753 in actu inauguirali pro Licentia Theologica III Kal. Martii *Officium Curæ animarum pro Clero Regulari aſſertum & vindicatum* putabat, prorſus immemor Conſtitutionis BENEDICTI XIV. quæ incipit *quod inſcrutabili* ed. 1745. in quâ Cleri Regularis inhabilitatem ad Beneficia curata ſæcularia apertò legere poterat; 2) corrigendum eſſe LEONARDUM JANSEN, dum gratiam MAXIMILIANI HENRICI precariò conceſſam in jus tranſiiſſe docet, ſuique Ordinis Privilegia ſibi patrocinari; præcipuè cùm 3) iisdem notoriè adverſetur Bulla Clementis XIII promulgata & acceptata, ut Privilegia prætenſa prorſus concidant, neceſſe ſit; Cùm porro non obſtantibus tot legibus ſibi contrariis manus ſuas extendere moliantur Regulares ad Eccleſias Sæculares præcipuè curatas in grave Cleri Sæcularis præjudicium jure merito Eminentiſſimus ac Celſiſſimus Archi-Episcopus Noſter Elector Colonienſis, reſuscitare poteſt ſaluberrimos Canones antiquæ Eccleſiæ, atque *Exemplo Emmi Archiepiſcopi Electoris Moguntini* omnes Eccleſias Curatas etiam *incorporatas* in ſuo Territorio & Diœceſi exiſtentes conferre Clericis Sæcularibus, hóſque utroque ſuo brachio tum *Sæculari*, tum *Eccleſiaſtico* in earum Poſſeſſione manutenere.

TANTUM.

XII.

TENTAMEN ACADEMICUM
DE
SPONSALIBUS CLANDESTINIS PENITUS PROSCRIBENDIS.

DEFENDENTE D. JOANNE PETRO JOSEPHO HUNGS, AQUENSI.

§. I.
OCCASIO SCRIBENDI.

Ob infinita ferè desponsandorum pericula & mala in plurimis germaniæ nostræ Ecclesiis (ceu infra ostendetur) Sponsalia exulant clandestina; nostra Diœcesis ferè unica superest, ubi Sponsalia clandestina adhuc impunè abeunt, atque ostia judiciorum ex illis quotidie pulsantur, non absque gravissimis molestiis & litigantium damnis; utut itaque innocens, justissima, æquè ac verissima sit positio: *Episcopus potest annullare Sponsalia Clandestina ceu nociva Reipublicæ & Ecclesiæ*: quondam hic propugnata, sub Crisin tamen revocata fuit à Jurisconsulto non infimæ notæ, imo accusata ceu *falsa*, & in jure *minus fundata*; quanquam is nequidem verum *clandestinitatis sponsalitiæ* Conceptum habuerit, utpote *sub Sponsalibus clandestinis* intelligens ea quæ *finè Voto & parentum Consensu fuissent* contracta; quare operæ pretium esse putabam, breviter tentandi, num possint & expediat Sponsalia clandestina prorsus è Republica & Ecclesiâ proscribi.

§. II.

Sponsalia ex omnium Ecclesiarum consensu & præscripto matrimoniis præmittenda, sunt aut *publica* aut *clandestina*, prout aut solo perficiuntur desponsandorum consensu, aut celebrantur adhibitis *solennitatibus* à lege *præscriptis* *

* Oppido itaque falsum est & vel iis, qui prima de Sponsalibus principia gustârunt, notissimum, Sponsalia clandestina non esse

illa, quæ contrahuntur absque parentum consensu: quare denuo hic publicè repono prædicto Jurisconsulto, quæ tum privatim desuper eidem opposui: übrigens ist zu bemerken, daß der Verfasser der unpartheyischen Gedanken sehr irre, da er nach seinem willkührlichen Begriffe per Sponsalia clandestina verstehet jene, so absque parentum & tutorum consensu beschlossen werden, und diesen Sinn dem ponenti fälschlich aufbürdet — denn ein ganz anders ist, Sponsalia clandestinè contrahi, und absque consensu parentum contrahi, die Sponsalia können *publica* seyn, sinè consensu parentum; diesen seinen offenbaren Irrthum hätte der Verfasser gar leicht aus dem Conc. Tridentino Sess. 25. de Ref. Mat. ersehen und verbessern können, wo matrimonia *clandestina* id est: absque Parocho & Testibus contracta annullirет, jene aber, so absque parentum consensu geschlossen unter den clandestinis nicht verstanden werden.

§. III.

Primis Ecclesiæ Seculis, quibus fidelibus sanctitas in servandis promissis Cordi erat, atque viguit in Tribunalibus ecclesiasticis brevitas sacerdotalis in amputandis litibus, *Sponsalia* nudo contrahentium consensu constituebantur, * ast ex quo effrenata cupiditas, sui prodiga & mater litium innumera circa materiam sponsalitiam generavit litigia, & cessare cepit sacerdotalis brevitas in amputandis litibus, mox Legislatores sacri præcipuè in Ecclesiis Germaniæ Seculo XIII. certas solennitates definierunt in contrahendis Sponsalibus deinceps observandas **.

* Vid. Rupprecht Not. Hist. ad Lib. IV. Decret. p. 78.

** Syfridus Archiepiscopus Coloniensis inter primos Legislatores extitit, qui Sponsalia clandestinè contracta damnavit in Synodo Coloniensi habita anno 1281 apud Hartzheim *Tom. III CC. germ. pag.* 666. his Verbis: *probibeant frequenter sacerdotes omnibus subditis suis sub pœna excommunicationis ne sibi fidem dent mutuo & clandestinè & in occulto super matrimonio contrahendo, sed publicè coram presbytero & pluribus hoc faciant*, & *si aliter fidem dederint de contrahendo, ipsi, quos in his scriptis excommunicamus, denuntientur excommunicati.* — Iisdem Verbis damnavit Sponsalia clandestina Joannes Ep. Leodiensis anno 1287.

apud

apud HARTZHEIM *loc. cit. p. 695.* — Anno 1291 ſub CONRADO *Archiepiſcopo Salisburgenſi* contra Sponſalia clandeſtina ordinatum fuit: *ut quandocunque Sponſalia contrahuntur, non minus, quàm ſex perſonæ honeſtæ & fide dignæ interſint, quodſi ſecus fuerit attentatum, contrahentes, operam dantes, ſententiam excommunicationis incidant ipſo facto* vid. HARTZHEIM *Tom. IV. p. 3.* — Idem ordinavit Synodus Cameracenſis anno 1300 apud HARTZHEIM *loc. cit. pag. 73.* — Anno 1310 ſub BALDUINO *Archiepiſcopo Trevirenſi* in Synodo habitâ, ſub pœna pariter excommunicationis prohibitum fuit, *ne ſponſalia clandeſtinè contrahantur* apud HARTZHEIM *loc. cit. p. 149.*

§. IV.

CONTINUATIO.

Ejusmodi Ordinationes contra Sponſalia clandeſtina Seculo XVI. ante Concilium Tridentinum celebratum in variis germaniæ Synodis * continuatæ fuerunt.

* Anno 1520 LUDOVICUS Episcopus TORNACENSIS in Synodo habita prohibuit, *Curatis & Vice-Curatis, ne ad matrimonii ſolemnizationem admittant illos, quos ſciverint Sponſalia clandeſtinè contraxiſſe* HARTZHEIM T. VI. p. 154. Concilium CAMERACENSE contra Sponſalia clandeſtina anno 1550. idem decernit, *ut Sponſalia contrahantur coram alterutrius deſponſandi Parocho & teſtibus* apud HARTZHEIM loc. cit. p. 702 — Adde Ordinationem Concilii GLACENSIS eodem anno apud HARTZHEIM loc. cit. pag. 805.

§. V.

CONTINUATIO.

Poſt Concilium Tridentinum ceu Oecumenicum quamplurimæ Ordinationes particulares in Eccleſiis germaniæ prodierunt, queis Sponſalia clandeſtina damnantur ab Episcopis *, ut inde ad oculum pateat, falſiſſimam eſſe Sententiam Theologorum & Canoniſtarum aſſerentium, contra Sponſalia clandeſtina ab Episcopis nihil agi poſſe reluctante Concilio Tridentino.

* Has Ordinationes ſpecialiſſimas ex ordine hic adferam:

A) Synodus CAMERACENSIS habita anno 1567. (tertio post absolutum Concilium Tridentinum anno) *antiquum bujus Ecclesiæ Decretum innovantes præcipimus; ne Sponsalia contrabantur nisi coram proprio alterius contrabentium Parocho, qui aliter contraxerint, ad matrimonium contrabendum non admittantur.* Vid. HARTZHEIM Tom. VII. p. 225.

B) Synodus NAMURCENSIS habita anno 1570. apud HARTZHEIM l. cit. pag. 637. *laudabilem consuetudinem, quâ Sponsalia nonnisi coram Parocho & testibus fide dignis contrabantur, omnes observent.*

C) Synodus GANDAVENSIS habita anno 1571. apud HARTZHEIM l. cit. pag. 681. ità ordinat: *sicut rectè in Concilio Tridentino matrimonia clandestina annullantur: ità quoque Sponsalia de futuro, aliter quàm coram alterutrius Parocho & duobus ad minùs testibus vetamus*— quì igitur subsistet doctrina interpretum, quâ Ordinationes speciales Episcoporum Sponsalia clandestina annullantes dicunt non convenire cum Concilio Tridentino.

D) Eodem anno Laurentius Episcopus Buscoducensis in Synodo apud HARTZHEIM l. cit. p. 717. prohibuit: *ne Sponsalia aliter, quam coram alterutrius Parocho & duobus testibus contrabantur, atque taliter contrabentes ad matrimonium solennizandum nullatenus admittantur.*

E) Synodus TORNACENSIS habita anno 1574 apud HARTZHEIM l. cit. p. 775. similiter ordinat: *Sponsalia de futuro, quas affidationes vocant, non aliter fiant, quàm in loco sacro & in manibus Parochi vel alterius Sacerdotis ex nostra vel Parochi licentia duobus præsentibus.*

F) In Synodo IPRENSI habita anno 1577 de iis ità decernitur: *solùm coram proprio alterius contrabentium Parocho & adbibitis fide dignis testibus Sponsalia celebrari mandamus.* Vid. HARTZHEIM loc. cit. pag. 855.

G) Concilum AUDOMACENSE celebratum anno 1583 ordinat: *in Sponsalibus contrabendis adsit proprius alterius contrabentium Parochus, adbibeantúrque testes fide digni.* HARTZHEIM l. cit. p. 936.

H)

H) Synodus ipsa TRIDENTINA particularis (cujus patribus utique nota esse debuit mens Patrum Concilii Tridentini) habita anno 1593. apud HARTZHEIM Tom. VIII. p. 418 de Matrimonio clandestino æquè ac Sponsalibus clandestinis ordinat: *ut, sicuti à Clandestinis Matrimoniis ità etiam à Clancularis & furtivis promissionibus & pactis de contrahendo abstineant.*

I) Similiter Synodus TORNACENSIS habita anno 1600 in terminis confirmat ordinatum Synodi Tornacensis (lit. E.) apud HARTZHEIM loc. cit. p. 485.

K) Concilium pariter CONSTANTIENSE habitum anno 1609 apud HARTZHEIM l. cit. p. 872. statuit: *Sponsalia posthac non fiant in angulis, sed coram aliquot testibus, in domo aliqua honesta ... præsente etiam Parocho.* Imo in formula vulgari & Germanica omnibus fidelibus publicanda ait: daß das Eheliche Versprechen, wann es in Gegenwart des Pfarrherren und zweyer oder dreyer Gezeugen, wie obgemeld nicht vollzogen, unbündlich und kraftlos seye. HARTZHEIM l. cit. p. 439.

L) Concilium SEDUNENSE habitum anno 1626 apud HARTZHEIM Tom IX. pag. 387. ità inquit: *volumus & mandamus, ut Sponsalia coram aliquot testibus & Parocho fiant per verba de futuro, atque Sponsalia clandestina declaramus nulla, etiamsi copula carnalis intercesserit, ità enim vitabuntur discordiæ & simultates infinitæ.*

M) Synodus CAMERACENSIS habita anno 1631 confirmat Statuta Diœcesana contra Sponsalia clandestina. Vid. HARTZHEIM l. cit. p. 555.

N) Concilium NAMURCENSE habitum anno 1639 ordinat: *Sponsalia nonnisi coram alterutrius desponsandorum Parocho contrahantur, nec etiam alibi, quam publicè in Ecclesia & præsentibus testibus.* Vid. HARTZHEIM loc. cit. pag. 584.

O) Synodus ANTWERPIENSIS celebrata anno 1643 decrevit: *ut Sponsalia solemnicentur coram proprio Parocho superpelliceo & stola induto.* HARTZHEIM l. cit. p. 644.

P) Episcopi *Lausanensis* & *Constantiensis* anno 1673 Sponsalia clandestina damnârunt, & nulla declarârunt, & quidem his verbis: *con-*

for-

formiter ad mentem Concilii Tridentini Sponſalia clandeſtina nulla declaramus. Vid. GOBAT Theol. mor. Tom. I. P. II. p. 366.

Q) In Synodo BRUGENSI de anno 1699 ità ordinatum eſſe legimus apud HARTZHEIM Tom. X. p. 199.: *decentia & praxis communis exigunt, ut Sponſalia & Matrimonium contrahantur coram Parocho ſponſæ, cui impoſterum omnes ſe conformare tenebuntur.*

§. VI.

CONTINUATIO.

Plures quoque Eccleſiarum germaniæ Præſules poſt Concilium Tridentinum lege ſpeciali extra Synodos hoc Seculo latâ damnârunt Sponſalia clandeſtina ceu nociva Reipublicæ & Eccleſiæ *.

* Siquidem

A) Archiepiscopus SALISBURGENSIS anno 1726 die 9. Februarii Decretum edidit ſequentis tenoris: "Statuimus, ut Sponſalia clandeſtina „ etiam jurata aut conſuetis donis firmata, quæ absque præſentia „ duorum vel trium teſtium inita ſunt, pro nullis & invalidis „ haberi, tanquam penitus prohibitos & firmitate carentes contractus „ caſſari, partibus audientia denegari, à judicibus & tribunalibus „ repelli & illæ pro merito ac qualitate delicti puniri debeant, ut „ alii à memoratis contractibus deterriti eosdem amittant, & inde „ enata probra ac libidines præscindantur.

B) Princeps FULDENSIS anno 1730 t. t. adhuc Abbas ADOLPHUS contra Sponſalia clandeſtina edidit legem inhæſivam, quam ceu notatu dignam, hic integram adpono, ut palam fiat, Abbatem adeò Sponſalia clandeſtina damnâſſe: Wir ADOLPHUS &c gleichwie ſeith unſerer durch Gottes Gnad und Fürſichtigkeit angetrettenen fürſtlichen Regierung ꝛc. alſo haben wir uns auch gnädigſt dahin verſehen, es würde deme von unſerem Herrn Vorfahrer Adalberto unterm 28ten Februarii 1710 publicirten Prohibitional und reſpectivè Pœnal-Decreto gegen die heimliche Winkel-Eheverſprechungen der unbeſonnenen Jugend ſchuldigſt und gehorſamſt nachgelebet worden ſeyn. Da wir nun aber, und zwar nicht ohne ſonderbahres Mißfallen vernehmen müßen, daß zeithero verſchiedentliche

von

von oberegten Verordnungen Adalberti abgetretten und durch heimliche Winkel-Eheversprechungen sich zusammen verlobet haben; wodurch der Höchste Gott beleidiget, die Elteren betrübt, das gemeine Weesen geärgeret, und denen also vorbelobten selbste Schand und Spott auf den Hals gewelzet worden. Wir aber sothanen höchststräflichen Unordnungen abhülfliche Maaß zu setzen ernstlich gesonnen seyn, als thuen wir jedermänlichen kund und zu wissen, daß diejenige, so sich zusammen verloben und versprechen willens, ein solches anders nicht als mit entweders beyderseiths Eltern Vorwissen, oder wenigstens in Anwesenheit zweyer Zeugen vornehmen sollen, welches sie demnach des Orths Pfarrern gleichwohlen anzeigen können; sollte aber jemand von unseren Stifts-Unterthanen gegen dieses unseres Gnädigsten Decretum inskünftig ungehorsamlich handlen, und darunter so strittig werden, daß die Sach zu gerichtlicher Erkantnuß gelangen thäte, als sollen dieselbige nicht allein von dem uns nachgesetzten geistlichen Consistorio abgewiesen, und wan zugleich ein Schwängerungen darzukommen wäre, sie dannoch gehörloß gelassen, sondern auch mit unausbleiblicher schwerer Strafe und Andung angesehen werden.

C) Archiepiscopus Pragensis MAURITIUS GUSTAVUS a. 1746 similem pro Archidiœcesi suâ Dispositionem fecit Synodalem: "Ad præcavendas fraudes varias, dolos non raró etiam perjuria Circumventiones, „aliáque tam ipsarum partium ad Depauperationem usque litigantium „quàm aliorum incommoda ac optimorum parentum sæpissimè tristitiam & tædia, quæ Occasione clandestinorum sponsaliorum nimis „sæpè eveniunt & committuntur, statuit, siqui aliter Sponsalia quàm „coràm duobus aut tribus testibus idoneis & jure non prohibitis, quibus „urgente necessitate concludenter probari possint, aut per authenticum instrumentum scriptum ab utraque contrahentium parte propriâ „subscriptione roboratum (qui posterior probandi modus de Personis, „quæ sui juris sunt, intelligendus est) contracta fuerint, & dein in „hac Curia Archiepiscopali actionem judicialem intentare vellent, „non esse audiendas, sed à limine Judicii repellendas".

D) Eminentissimus Archiepiscopus Trevirensis JOAN. PHILIPPUS an. 1757. 10. Febr. pro Treviratu Decretum edidit, quo voluit, *Sponsalia aliter*

ter non contrahi, *quàm præsente Parocho vel duobus aliis testibus fide dignis*; *secùs verò Contracta sint nullius effectûs*: Proin Sponsalia clandestina destituta sunt actione, eáque in Judiciis nullatenus attenduntur: sed quia, plus quàm denegationem actionis importare videbantur hæc verba: *sint nullius effectus*: responsum fuit ab Eminentissimo ejusdem Successore consulto: num Sponsalia ejusmodi pro Conscientia quoque sint irrita? *etiam pro foro Conscientiæ esse nulla*. Quærebatur dein: an saltem *jurata clandestina* valerent? Responsum fuit in Contradictorio, quod non: quia ratio ea prohibendi fuisset *bonum publicum*, contra quod non valet Juramentum: absque dubio hic subintrat illud tritum juris: *Lex justa pro foro externo censetur quoque justa pro foro interno*: leges illas contra Sponsalia clandestina justas esse pro foro externo, nemo inficiabitur.

§. VII.

Sponsalia clandestina in Archidiœcesi Coloniensi.

Post recensitas tot Ordinationes specialissimas contra Sponsalia clandestina ad Diœcesin Nostram Coloniensem facio transitum, pro quâ Patres in Synodo Coloniensi novissima MAXIMILIANI HENRICI anno 1662 Sponsalia clandestina declarârunt valida *, clandestinè tamen contrahentes *pœna trium florenorum Rhenensium Aureorum* puniendos esse ordinârunt **.

* *P. II. Tit. XI. Cap. I.* §. 1 ibi: *Certum est Sponsalia sive publicè sive privatim absque præsentia Parochi & testium contracta valida esse, nec sinè peccato posse violari.* — Patres Colonienses absque dubio præ oculis habuêre Constitutionem Synodi OSNABRUGENSIS de anno 1628 ubi eadem in Verbis decernuntur contra Sponsalia clandestina apud HARTZHEIM *Tom. X. p.* 457 Mirandum sanè hic est, relictâ ac prorsus neglectâ aliarum ordinationum Copia PP Colonienses unicè respectum habuisse ad unius hujus Synodi Constitutionem, eamque de Verbo ad Verbum secutos esse.

** *Loc. cit.* §. 2. Oppidò hic constat, Patres Colonienses turpitudinem agnovisse in Sponsalibus clandestinis, adjectâ quippe pœnâ contra clandestinè contrahentes.

§. VIII.

§. VIII.

Continuatio.

Delatis ad Sereniſſimum Archiepiſcopum Colonienſem CLEMENTEM AUGUSTUM querelis graviſſimis contra Sponſalia clandeſtina, is equidem ſubvenire abuſibus voluit, ſed non aliter quàm Conſulto Pontifice BENEDICTO XIV. atque ex hujus Conſilio rogavit anno 1755 de dato Bononiæ 16. Dec. Decretum ſequentis tenoris *:

* Re ultrò citroque perpenſa idem S. S. D. N. cenſuit à Nobis haud deveniendum ad Legem ferendam nullitatis ex præciſo Capite clandeſtinitatis, ſed adverſus graves abuſus ſæpè ſæpius ex clandeſtinis Sponſalibus ſuborientes ſufficiens remedium exiſtimat repoſitum in veſtri judicis officii debità adminiſtratione, ſi nempe in caſibus particularibus cum aliquali rigore proceſſeritis; ponit enim Beat. Pater, *poſſe vos absque multa hæſitatione diſſolvere ſponſalium ligamen, quoties filii, filiæque familias præſertim minores ſeſe obligaverint ad Sponſalia talibus im circumſtantiis, ut parentes eorum ſive tutores rationabiliter ſeſe illis opponant, perque Sponſalium effectuationem naſci poſſent gravia ſcandala, familiarum inimicitiæ ac diſturbia, ſed & una partium contrahentium à Contractu recedere intendit*, dummodo tamen ſive poſt datam promiſſionem, ſive ante illam ſub illiusque fide haud fuerit facta copula carnalis, ſiquidem tali caſu Sponſalia dari effectui debebunt adhibitis etiam validiſſimis remediis per Ss. Canones ſubminiſtratis. Quod ſi verò ambo contrahentes ad Sponſalium effectuationem inſiſterent, non obſtante parentum ſive tutorum ſuorum contradictione, renuntiando cuivis proprio præjudicio, tali caſu non erit vobis prohibitum contrahentes experiri per aliquod tempus aut in carcere diſcreto, aut aliâ ſimili pœnâ perſonarum qualitati proportionatâ. Inſuper de mente ejusdem S. D. N. poſſunt etiam quandoque Sponſalia à vobis reſcindi, ſi conſtiterit, quod alter Sponſorum ad ea contrahendum abreptus fuiſſet tali amoris vehementiâ, alteriusve paſſionis, quæ concurrente ſeductione, alterâve circumſtantià ſuadere poſſet, non adfuiſſe in conſenſu ſufficientem deliberationem, uti etiam, ſi dictus conſenſus præſtitus fuiſſet tempore ebrietatis, quæ tamen ſit talis, ut per eam tollatur uſus rectæ rationis, quamvis in his duobus caſibus *Paſſionis* ſcilicet, & *Ebrietatis* idem Beat. Pater conſultum

velit, ut à judice valde circumſpectè procedatur, eò quod non ſit ita facile, ut una alterave in eo ſit gradu, qui requiritur ad hoc, ut dici poſſit, non interveniſſe ſufficiens judicium ad contrahendam obligationem: cum tamen hoc non ſit de planè impoſſibilibus, ſanctitas ſua ſtatuit & hoc nonnullam attentionem mereri; Demum ad Ejusdem ſanctitatis ſuæ mentem Vobis hic expreſſam, quamque nos inparticulari pro lege veneramur, *quotiescunqne ſine Concurſu Copulæ ipſis Sponſalibus contradicere çontinget Sponſorum parentes ſive tutores, atque una contrahentium partium à Contractu recedere intendit, haud vos eritis ad decernendam reſciſſionem multum difficiles*: hæc ad Directionem veſtram in judicio ferendo vobis nota eſſe volumus. Datum Bononiæ 16. 7bris 1755.

CLEMENS AUGUSTUS ELECTOR.

(L.S.)

BOMBAY mppria.

§. IX.

CONTINUATIO.

Circa Ordinationem iſtam duo præcipué inveſtiganda ſunt: 1) *an pro rogando Decreto contra Sponſalia clandeſtina neceſſaria ſit autboritas Summi Pontificis?* 2) *an Decreto altè fato ſatis ſit proſpectum contra abuſus reipublicæ & Eccleſiæ ex Sponſalibus clandeſtinis oriri ſolitos?* ℞. ad utrumque: NEGATIVE.

Equidem A) fateor, à Concilio Tridentino nihil eſſe Statutum contra Sponſalia clandeſtina; aſt quis inde concludet, Episcopis eſſe ademptam poteſtatem, Sponſalia clandeſtina prorſus annullandi ut nulla ex iis obligatio naſcatur & actio? Certè nullus negare poteſt, Episcopum poſſe in ſuâ Diœceſi Sponſalia clandeſtina *ùt illicita* prohibere, etſi jure Tridentini non ſint damnata ùt illicita; eccur non poterit ea prorſus reddere *invalida*; nec enim Jus commune, nec Concilium Tridentinum hanc Episcopo poteſtatem ullibi ademiſſe legitur — Sanè Ordinationes tanto numero contra Sponſalia clandeſtina mox poſt Concilium Tridentinum non prodiiſſent ab Episcopis (*vid.* §. *V.*) ſi crediddiſſent in jure communi aut Tridentino hanc poteſtatem ſibi fuiſſe ademptam non conſulto prævié Pontifice — Qui contrarium tuentur, ſine canone & lege loquuntur, quod prorſus reprobandum eſt ceu *incivile* in Jurisconſulto. (*vid.* §. I.) —

Cir-

Circa Sponsalia igitur clandestina salva subsistit nativa Episcoporum potestas, vi cujus potest ea omnia, quæ pro communi suæ Diœcesis bono vel utilia vel necessaria videntur; Imo ipse BENEDICTUS XIV. *Inst.* 46. laudat Constitutiones *irritantes* Sponsalia clandestina ceu *justas ac sanctas atque ad eliminandos abusus quodammodo necessarias.* Unde rectissimè ait P. WOLLFGANGUS SCHMIDT in *suis Inst. J. E. Lib.* 3. *p.* 151. *de justitia ac valore legum contra Sponsalia clandestina non est cur dubitemus.*

Porro B) non satis esse prospectum bono Reipublicæ & Ecclesiæ contra abusus ex Sponsalibus clandestinis exortos per altè fatam legem quotidiana testis est experientia; Etenim I.) ex Sponsalibus clandestinis conceditur actio contra renitentem, atque partes litigantes coguntur experiri gravissimis sumptibus in Judicio; ut ferè ad paupertatem usque utrimque litigetur; exhaustis demum litigandi viribus pars renitens ùtùt averso à parte altera animo ad matrimonium condemnatur, quod promiserat clanculo æstu abrepta libidinis, & blanditiis, ex quo mala sequuntur inextricabilia, matrimonia coacta, quæ infaustos & difficiles solent habere exitus ceu loquitur Cap. 17. *De Sponsalibus.*— II.) Sponsalia clandestina quia difficulter probantur in judiciis, *juramento* in praxi locus est, inde persæpè nascuntur perjuria, ut pars renitens pejerare malit, quàm cum Sponso, erga quem renitentia & interna animi aversio amorem conjugalem in renitente penitus suffocavit, individuam vitæ inire societatem.— III.) Perdurant peccandi pericula & occasiones, etenim sæpe æstu libidinis ad peccata rapiuntur, datâ Sponsæ clandestinâ fide de matrimonio contrahendo, quod non fieret, si Sponsa nosset sibi nullam ex clandestinis ejusmodi promissionibus obligationem & actionem dari. — IV.) Evitarentur lege contra Sponsalia clandestina latâ graves inter familias etiam nobiles inimicitiæ, aliáque non levia incommoda & mala, parentum Contristationes &c. — V.) Quodsi etiam secundùm legem altefatam Sponsalia rescindantur à Judice ecclesiastico, superest remedium appellationis ad extera tribunalia, etiam Romana, quâ ratione procrastinantur lites, matrimonia impediuntur non absque præsenti incontinentiæ & animarum periculo.— Quare concludo Verbis celeberrimi germaniæ Juris Antecessoris cl. BARTHELII ad *Tit de Sponf. Optandum esset, & quam maximè expediret Ecclesiæ* (Coloniensi) *planè annullari & irrita declarari Sponsalia clandestinè Contracta, sicut jam in pluribus Diœcesibus practicatur*, atque hæc contra Jurisconsultum (§. I.) inconsultè loquentem

D I X I.

XIII.

XIII.
DIATRIBE
JURIS ECCLESIASTICI SPECIALISSIMI
DE
TESTAMENTI FACTIONE CLERICI COLONIENSIS ILLIUSQUE FORMA.

DEFENDENTE D. LIBERTO JOSEPHO SCHMITZ BONNENSI.

RATIO SCRIBENDI.

Quod universim de Testamentis Clericorum illorúmque Forma notat BOEHMERUS *in suo Jure Eccles. Prot. Tit. de Testam.* §. 2. videlicet: *de Formâ Testamentorum à Clericis condendorum non leves fluctus fuisse motos;* id deprehendi verum in Testamentis Cleri Coloniensis; de quorum Forma & validitate non obstante Lege ab Eminentissimo ac Celsissimo Principe Nostro Electore MAXIMILIANO FRIDERICO anno 1763 die 13tia Maji latâ, insignes hactenus controversiæ sunt exortæ; atque hæc est ratio, cur præsentibus etsi paucis pagellis de materia isthâc meditationem instituerim, præmittendo in *Parte primâ* FACULTATEM TESTANDI, *Parte alterâ* examinando FORMAM IN TESTANDO Clericis præscriptam.

PARS I.

De Facultate testandi.

§. I.

TESTAMENTI FACTIO, quam hodie habet Clerus Coloniensis de bonis suis clericalibus, * exemplo reliqui Germaniæ Cleri, nullum in Jure ecclesiastico communi reperit fundamentum, utpote quod Testamenti factionem etsi ad pias causas de bonis istis Clero penitus interdicit;** solamque CONSUETUDINEM *pauperibus & religiosis locis & illis, qui viventi Clerico servierunt, aliqua juxta servitii meritum relinquendi* NON IMPROBANDAM esse ***.

*De

* De rebus ſui Juris ſemper Clerici teſtari Poterant, ceu utriusque Juris textus docent. *l.* 34. 42. §. 2. *l.* 50. *C. de Ep. & Cler.* Nov. 123. *Cap.* 19. Nov. 131. *Cap.* 13. In GRATIANO *XII. q.* 5. *per totum. Cap.* 7. & 9. *de Teſtam.*

** Pragmaticus eſt Canon Concilii LATERAN. III. anno 1179 habiti in *Cap.* 7. *b. t.* his Verbis exceptus: *Cum in Officiis charitatis primo loco illis teneamur obnoxii, à quibus Beneficium nos cognoscimus recepiſſe, è contra quidam Clerici cum ab Eccleſiis ſuis multa Beneficia perceperint, bona per eas adquiſita in alios transferre præſumunt; hoc igitur quia* ANTIQUIS CANONIBUS CONSTAT INHIBITUM, *nós indemnitati Eccleſiarum providere volentes, ſive inſtanti deceſſerunt, ſive aliis conferre voluerint, penes Eccleſias eadem bona præcipimus remanere.* Adde *Cap.* 8. & 21. *eod.* GRAT. XII. q. 1. nec ullus in Jure communi textus in hunc usque diem aliter loquitur.

*** Vide ſis *Cap.* 12. *cit.* in Verbis „Conſuetudinis tamen eſt *non improbandæ &c.*„

§. II.

Neque hodierna generalis Teſtamenti factio Clero Colonienſi à GUNTHARIO Archiepiscopo Colonienſi conceſſa, & in Synodo Colonienſi anno 873 ſub WILLIBERTO Archiepiscopo habita confirmata fuit, ceu ſcribit HARTZHEMIUS in TOMO II. CONCILIORUM GERMANIÆ *.

* *Pag.* 356. & *in Supplem. ad Tom. III. pag.* 57. Equidem Synodus Colonienſis citata ait: *hoc illis* (Canonicis) *quaſi in Jus hæreditarium firmiter concedens, quatenus quisque illorum, ſive nobilis, ſive ignobilis eſſet, usque in ſempiternum liberum haberet arbitrium ſuam manſionem cum ceteris quibuscunque rebus donare, ſeu etiam tradere cuicunque ſuo confratri voluiſſet, poſt obitum ſuum poſſidendam absque ullius Episcopi Conſultu ſive Contradictone:* aſt quis inde hodiernam licentiam teſtandi eliciet? ubi de Canonicis *in communi* viventibus ſermo eſt, ubi ſolummodo conceditur licentia disponendi de cella & rebus relictis in favorem Fratris Concanonici non alterius, & quidem ſinè conſenſu Episcopi; ubi facta quoque diſpoſitione bona Canonicorum debebant manere penes Collegium & Eccleſiam; quæ omnia in hodiernam teſtandi licentiam non quadrant.

§. III.

§. III.

Ante Seculum XIV. Clerus Coloniensis de bonis suis clericalibus testari non poterat, sed utebatur *Jure communi* in *Statutis* WICHBOLDI Archiepiscopi Coloniensis *expresse recepto* *. Etsi alibi gratia testandi in Clero modò Seculo XII. invaluerit **.

* Hic Archiepiscopus anno 1296 electus *de Testamentis Clericorum* (vid. Codex Stat. Colon. antiquus p. 52.) ita ordinat: *Clerici bona maximè immobilia & quæ per Ecclesiam sunt adepti sive per modum Testamenti sive aliàs non transferant ad filios vel nepotes, aut ad alios suos consanguineos, sed relinquant ea Ecclesiæ à qua sunt profecta; sed intuitu eleemosinæ pauperibus, religiosis & piis locis & illis, qui ipsis servierunt sive consanguinei sint sive alii, aliqua juxta servitii meritum de mobilibus dare possunt?* En dispositionem Juris communis (*Cap* 7. & 12. *b.t.*) in terminis receptam! quodsi itaque Seculo XIII. exeunte Clero Coloniensi Testamenti factio adhuc manserit interdicta, sinè fundamento asseritur ab *Hartzhemio* Seculo IX. licentiam testandi eidem à WILLIBERTO fuisse confirmatam. (§. *præced.*)

** Clero Moguntino FRIDERICUS I. Imp. anno 1173. consuetudinem testandi solenni diplomate confirmavit his Verbis: *Universum Moguntinæ civitatis Clerum & Canonicos in tribus Municipiis degentes videlicet Aschaffenburg, Franckenfurt, & Pingia in libertate immunitatis quam longâ consuetudine obtinuerunt..confirmantes imperiali lege sancimus, ut mobilia sua quæ infra immunitatem habuerint Ecclesiis, seu Personis pro arbitrio suo inter Viros, seu in ultima voluntate donandi liberam habeant facultatem.* Vide WURDWEIN *Subsid. Diplom. Tom.* 1. *p.* 369. — Hanc consuetudinem Lege imperiali firmatam innuit Statutum CONRADI Sedis apostolicæ legati in Concilio Moguntiæ anno 1225 habito §. 5. prohibens: *ne Clerici* GRATIA TESTANDI *abutentes fructus Beneficiorum ecclesiasticorum spuriis suis concubinis dimittant.* Vide HARTZHEIM *CC. Germ. Tom. III. p.* 520.

§. IV.

Privilegia testandi Clerus noster Coloniensis primò impetravit à FRIDERICO III. Comite Saarwerdensi Archiepiscopo Coloniensi anno 1372 die 26 mensis Augusti*, à Successoribus ejusdem in Sede Coloniensi videlicet à THEODO-

RICO

RICO I. Comite Mœrsensi anno 1414 die 19 mensis Februarii à ROBERTO Bavaro anno 1479 die 30 Augusti ab HERMANNO IV. Hasso anno 1480 à PHILIPPO Comite Daunio & Obersteinio anno 1509 confirmatum **.

* Tenor Privilegii est sequens: *Adjungentes præmissis, quod quilibet Prælatus & Clericus nostrarum Civitatis & Diœcesis Coloniensis prædictarum coram duobus vel tribus Testibus fide dignis suum Testamentum seu ultimam voluntatem* DE BONIS SUIS QUIBUSCUNQUE *liberè valeat ordinare, habéantque Testamenta & voluntates hujusmodi & ipsorum executiones absque cujusquam impedimento vel obstaculo roboris plenitudinem efficacem.* Vid. *Cod. Stat. Colon. antiquus p.* 200. Rationes autem concedendi hoc Privilegium inter alias erant 1) ut aboleretur corruptela spolii bonorum à Clericis relictorum quæ in Ecclesia quoque Coloniensi viguit; 2) ne intestabilitas malos in Clero faceret œconomos omnia consumentes; & ne 3) minueret respectum Cleri, qui non studeret honestiori suppellectili, non compararet sibi bibliothecam majoris pretii, inde minor Cleri litteratura, quæ despectum facit: in necessitatibus indigenti Clerico nemo facile subveniret per mutuum propter periculum amittendæ sortis; neque Clericus vice versa daret mutuum, vetens, ne ante mortem non reciperet; demum 4) difficultas separandi bona clericalia à non clericalibus; atque ita periculum esset, ne tota fere hæreditas abiret *per inventaria & judiciales Personas*, atque ita nihil Fisco, nihil Christo, nihil consanguineis obveniret &c.

** Vid. *Cod. Stat. Col. cit. p.* 268. *p.* 284. *p.* 395.

§. V.

HERMANNUS V. Comes à Weda anno 1515 electus quidem inhærens vestigiis Prædecessorum suorum Privilegium testandi Clero Coloniensi anno 1516 die decima mensis Septembris confirmavit, insimul cum eodem Clero concordans: quod Executores Testamentorum seu ultimarum voluntatum Cleri Coloniensis Testamenta hujusmodi unà cum Inventario intra XXX. & unum dies à die obitus defuncti computandos Sigillifero præsentare debeant, approbationem seu confirmationem petituri *; sed in Synodo provinciali Coloniensi anno 1536 habitâ addidit 1) *salvis Privilegiis Ecclesiæ majoris* ** 2) *ut à Sigillifero siquid in quempiam stultum, aut Jure probibitum usum temerè relictum sit, in pium convertatur* ***.

* Vid.

* Vid. *Cod. Stat. cit. p.* 297. ne vero taxa exceſſiva pro confirmatione exigeretur ſtatuit: *ut, ſi bona clericalia ad centum Florenos auri, una marca argenti, ſi ad trecentos, duæ, ſi ad ſexcentos ſeu nongentos incluſivè, tres, ſi ad mille ſeu plura millia aſcenderent, quatuor marcæ argenti ſolverentur pro Confirmatione & Literis ſigillatis.*

** Codex Statutorum MSs. Eccleſiæ Metropolitanæ Majoris Tit. *de Teſtamentorum Executionibus* pag. mihi 56. ità habet: „Quandoquidem ante „multos annos & ultra memoriam hominum cum noſtris Archiepiſcopis „ità conventum & concordatum ſit, prout etiam cum moderno Rmo D. „Adolpho convenimus & concordavimus, quod gratiæ ſuæ Officialis „Sigillifer ſeu Commiſſarii jurisdictionis ſuæ ordinariæ non debeant ſe „de rebus & bonis mobilibus & immobilibus per Prælatos & Canonicos „Eccleſiæ Noſtræ defunctos relictos, quovis modo intromittere illa arreſtare „ſeu apprehendere ſed illorum diſpoſitionem ipſius defuncti Executoribus „omni turbatione ceſſante permittere &c.„ & pag. 57. „Statuimus & „ordinamus ut deinceps Executores . . intra menſis ſpatium Teſtamenta „originalia unà cum inſtrumentis authenticis tam inventarii, quam „taxationis, ſeu æſtimationibus bonorum relictorum coram nobis capitu„lariter congregatis exhibeant, & ulterius Teſtamenta exequatur &c.„ Itaque Capitulationibus Illum Capitulum Colonienſe onere petendi approbationem liberatur.

*** Quisnam eſt ille uſus, præter ſtultum, hic jure prohibitus? ℞. Si Canonici vel Clerici relinquerent bona clericalia perſonis, cum quibus turpiter vivi ſunt converſati vide *Cod. Stat. Col. p.* 3. *p.* 10. & *p.* 36. *inhibemus etiam ne Sacerdotes filios aut filias, vel concubinas dotent aut ditent de patrimonio, vel deſcendentibus à patrimonio Crucifixi.*

§. VI.

Maximilianus Henricus Archiep. Colon. in Synodo Colonienſi anno 1662 habita Privilegium Clero Colonienſi ab Anteceſſoribus ſuis conceſſum, & variis retro Seculis modo continuatum equidem confirmavit reſervato ſibi Jure approbandi * verum inſuper Clero ſuo revocare in memoriam voluit Spiritum Ss. Canonum antiquorum & Juris communis ut in condendo Teſtamento Eccleſiæ & pauperum eſſet memor, neve in ſuprema voluntate declarandâ carne & ſanguine moveretur, ſed Eccleſiæ Dei utilitatem & pauperum ſublevamen ſibi proponeret **.

* In

* In Statutis Colon. novissimis *P. II. Tit. XII. Cap.* 13. ubi: „*Archiepiscopali Privilegio venerabili Clero nostro in- & extra Civitatem Nostram Coloniensem testamenta condere & de redditibus, etiam Beneficiorum validè & licitè disponere permittitur &c.* — Equidem ejusdem Suffraganeus *Paulus Stravius* in Statutis antiquis à se collectis & 1661 editis *Parte II. Tit.* 14. *Cap.* 2. *in fine* Cleri Coloniensis testandi libertatem penitus abolere voluisse visus est in Verbis: *Scire tamen Clerici debent, ipsis non permitti libertatem de bonis clericalibus legandi testandique in quosvis fines & usus instar patrimonialium.* Verùm hoc suffraganeo anno 1661 defuncto ad oppositionem Cleri Coloniensis Statuto huic utpote libertati testandi ex Concordatis quæsitæ noxio factam Sermus illud non permisit publicari. Adde ELEM. *Juris Can. P. I.* §. 197.

** STATUTA *Col. cit. Cap. II.* §. 1. & 2.

§. VII.

Itaque Clerus Coloniensis hodiè & validè & licitè ex Privilegio sibi à Rdmis Archiepiscopis concesso testatur de bonis suis clericalibus etiam in favorem quorumque civium seu usus non pios * propriâ tamen approbatione seu confirmatione per Executores ab ordinario rogandâ, & soluta solita approbationis taxa **, atque relictis legatis ad usus pios ***.

* Super hâc Doctrinâ, & Privilegio, quo consuetudo testandi inter Clericos ad usus quoque profanos firmatur, vehementer hæret., P. Antonius SCHMIDT in *Institutionibus suis Jur. Eccles. germ.* §. 38. *Tom. II. ed.* 2. utrum coram Deo subsistat? itane Præsules germaniæ & NOSTRI per modum meræ tolerantiæ permiscere tot Seculis & adhuc permittunt licentiam testandi de bonis prospectu Ecclesiæ adquisitis ad duritiam forsan cordis Clericorum? absit: hoc Jus Episcoporum est, ut hi, qui ingentissimam bonorum copiam è republica ad Ecclesias transiisse optimè nôrunt, rursus licentiam concedere queant transmittendi bona, quæ congruæ sustentationi Clericorum superfluunt, ad rempublicam— imo notam ingratitudinis incurreret Ecclesia, si cives reipublicæ, ex qua tot bona nacta est, inhabiles reddat, quominus possint esse hæredes in bonis à Clerico relictis — quid? si Princeps jure retorsionis Ecclesias omnésque Clericos, utpote qui ab Ecclesia satis aluntur, redderet inhabiles, quominus in bonis quoque mobilibus possent esse hæredes

civium?

civium? qui itaque contrarium hic tuentur, ad jura Imperantium, reipublicæ favorem, ac bonum Ecclesiarum, quod aliunde ex Indultu Imperantium à civibus promovetur, minimò reflectunt.

** Confirmatio hæc roganda à Legislatore Coloniensi in *Stat. nov. cit. C.* 3. §. 1. Executoribus imponitur — Exceptio autem 1) est in Clericis Ducatûs Juliæ & Montium, aliorumque Territoriorum unitorum, ubi disjunctivè aut à Decanis & Capitulo, si Testator Canonicus fuerit, aut à Decano rurali vel Ordinario confirmatio roganda; 2) in Territorio Ahrenbergensi, ubi copulativè præter approbationem Ordinarii etiam confirmatio Domini territorialis requiritur.

*** Ultimus hâc in re Legifer Coloniensis MAXIMILIANUS HENRICUS Clericos onere antiquo disponendi ad usus pios de bonis clericalibus prorsus exonerare noluit, relinquens quorumque Clericorum conscientiæ, quid relinquere malint causis piis. — Verùm vix sperabunt aliquid causæ piæ præsertim pauperes ab iis, qui motivo carnis & sanguinis trahuntur; itaque cùm fabricæ Ecclesiæ & Episcopo pars sua hodie sit assignata, Episcopus Germaniæ, qui simul est Dominus territorialis, cui Clerus Coloniensis facultatem testandi unicè debet, justissimè ordinabit taxam *pauperibus* relinquendam, e. g. decimam partem sub quâ conditione & non aliter approbanda forent Clericorum testamenta, quam ordinationem Clerus Coloniensis lubens amplectetur, utpote qui illâ *pro foro poli* penitus reddetur securus.

§. VIII.

Vocce Privilegio Cleri Coloniensis testandi de bonis quoque clericalibus ad usus quosque aliàs honestos & licitos non obstante, Clerico Coloniensi, si intestatus decesserit, in bonis ecclesiasticis Jure Coloniensi succedunt causæ piæ à solo Eminentissimo determinandæ *.

* Antiqua Statuta Coloniensi (*Cod. Stat. ant. p.* 297. 404.): hic prætermitto — novissimus hàc in re Legifer MAXIMILIANUS HENRICUS *loc. cit.* §. 7. ità ordinat: *Si Clericus quispiam planè intestatus, vel sufficienti & legitimo testamento non condito decesserit, ejus necessitas per Notarium Sententiarum, in præsentia tamen promotorum Officii describatur; ex Beneficiis ecclesiasticis provenientia per Sigilliferum Majorem administrentur, solutisque funeralibus & debitis ad usus pios in refrigerium animæ defuncti à Nobis præscribendos applicentur; patri-*

monia-

monialia verò hæredibus ab inteſtato relinquantur. — Nota hìc 1) diſtributionem bonorum relictorum ad uſus pios *non Sigillifero* ceu ab hoc perperam prætenditur, ſed *immediate* & *ſoli* EMINENTISSIMO reſervari — nota 2) *bona patrimonialia* hìc adjudicari *hæredibus ab inteſtato*; dubitatum fuit, utrum in numero eorum eſſent bona ex artificio adquiſita? ℞. diſtingue inter artificium *juſtum* & *injuſtum*, à ſacris Canonibus in Clero damnatum: in illis non in iſtis *Succeſſioni ab inteſtato* locus eſt.

§. IX.

Rigoroſum de non teſtando de bonis clericalibus interdictum Juris eccleſiaſtici communis ſeverius in Eccleſ. noſtra Colonienſi ſervatur in Eccleſiis collegiatis mixtis ex utroque ſexu, ubi Canoniſſæ de bonis ex *Fundatione* adquiſitis aliter teſtari nequeunt, quam de licentia Abbatiſſæ præviè impetrata, neque Abbatiſſa aliter, quàm de expreſsâ licentia ab Eminentiſſimo ante actum teſtandi ſollicitatâ & conceſsâ ſub pœna nullitatis *.

* Ità Statuta & praxis illarum Eccleſiarum; ſingularis deſuper eſt ſtatuitio Eccleſiæ collegiatæ Villicenſis à FERDINANDO *Archiepiſcopo Col. anno* 1618 *erecta*, quam hìc adpono: Cap. XI. **Von den Nachjahren und Testamentmachung.** §. 3 Sowohl die Abtißin, als jede Canonißin solle bemächtigt seyn, von dem Ihrigen zu disponiren nach ihrem Gefallen, und werden zu solcher Dispoſition ferner keine Solennitäten erfordert, als folgende; nemlich wan p. t. Abatiſſa von Gott dem Allmächtigen zur ewigen Freud gefordert wird, daß selbe unter ihrer Hand, und Siegel von dem Ihrigen disponiren möge; und obwöhl keine fernere in Rechten erfordete Solennitates darin erfindlich: solle solche Dispoſition ihren würklichen Effect erreichen, und für eine beständig in Rechten gültige Verordnung gehalten werden; die Canonißin aber, wenn sie von ihren Gütern disponiren, und ihren letzten Willen aufrichten wollen, mögen sie solches gleichfalls ſub manu propria thuen; doch solle zuvorderst ſuper Jure teſtandi conſenſum Abatiſſæ begehren, welche dan ohne erhebliche in recht beständige Ursachen nit verweigern solle, auch den widrigen Fall aber, id eſt: non impetrato conſenſu Abbatiſſæ soll der letzter Will unkräftig gehalten werden.

PARS

PARS II.

De Forma testandi Clero Coloniensi præscripta.

§. I.

Quidquid disputent Decretalistæ de Forma testandi à Clericis servanda; hodiè indubitatum est, Clericis in testando de bonis clericalibus servandum esse Jus proprium Episcopale * in hujus autem defectu sequi illos oportet *Jus canonicum commune* **.

* Etenim quemadmodum testandi facultas de bonis Clericalibus unicè dependet à Consensu Episcopi, ceu disertis Verbis eloquitur Rdmus Archiepiscopus Coloniensis ADOLPHUS *in Statutis Synodi Colon. de anno* 1351. ità quoque forma ab Episcopo præscripta servanda erit; cujus enim est qualificare ad actum principalem, illi quoque Jus est ordinandi conditiones ad validitatem actus requisitas; quibus existentibus & non aliter actus subsistet.

** Unanimis feré est & certa modernorum Canonistarum Doctrina Jus decretalium commune non habere authoritatem legis; nisi ex recepto, & ubi deficiunt leges particulares Diœcesanæ; his itaque deficientibus Clerico, qui vult decedere testatus de bonis clericalibus, servanda erit forma præscripta in *Cap.* 10. *de Testam.* ibi „*ut declaret ultimam suam voluntatem coram Presbytero suo & duobus Testibus.*

§. II.

Mox à primis incunabilis privilegii testandi Clero Coloniensi dati, addita quoque fuit Forma ab illo observanda: videlicet: *Clericus coram duobus vel tribus Testibus fide dignis suum Testamentum valet ordinare* *.

* Receditur hic 1) à *Jure Justinianæo*, quod majorem testium numerum requirit: receditur quoque 2) *à Jure canonico communi*, quo requiritur, ut præter præsentiam duorum aut trium testium, Testamenta quoque fiant coram Presbytero suo, id est: Parocho & duobus Testibus; videtur Legislator Coloniensis privilegians hìc ob oculos habuisse Verba finalia *Cap.* 10 & 11. *de Testam.* videlicet*: quoniam in ore duorum vel trium testium stat omne Verbum.* — Inutile autem foret hic inquirere: utrum Testes ad valorem præcisè, an verò probationis gratiâ requirantur; etenim

Verba

Verba Privilegii ſubſequentia: *habeantque Teſtamenta* HUJUSMODI *roboris plenitudinem efficacem* ſatis inuunt requiri ad valorem, ut ſolùm Teſtamenta *bujusmodi*, id eſt: hoc modo præſcripto condita habeant efficaciam.

§. III.

Hæc Forma Teſtamento Cleri Colonienſis præſcripta duravit usque ad Seculum XVII; quo MAXIMILIANUS HENRICUS ordinavit: ut Clerici Colonienſes de bonis clericalibus teſtarentur in præſentia Notarii vel Paſtoris duorúmque ad minus teſtium, iis ſolummodò, quæ ad pias cauſas facta ſunt, exceptis *.

* Extat ordinatio in STAT. NOVISS. COLON. *loc. cit. Cap. 3.* §. 1. ibi: „*Inhærendo Canonicis Sanctionibus, . volumus, ut omnes eccleſiaſtici Civitatis & Diœceſis noſtræ Colonienſis Teſtamenta ſua in Præſentia Notarii vel Paſtoris duorúmque ad minus teſtium condant, vel in Scriptis voluntatem ſuam propriâ manu ſubſcriptam, ſignatam & occluſam Notario vel Paſtori coram duobus Teſtibus exhibeant, & in Charta bujusmodi contineri ultimam ſuam voluntatem declarent: Notarius verò aut Paſtor in Dorſo Chartæ hunc actum ſcribat & ſubſignet: Diſpoſitiones aliter factas nullas & invalidas, legata tamen ad pias cauſas propria Teſtatoris Manu ſcripta vel ſubſcripta ſine Notario & Teſtibus ſubſiſtere declaramus.*„ — Nota hìc evidenter rurſus concludi, privilegium teſtandi Clero Colonienſi de bonis Clericalibus conceſſum, non reſpicere cauſas pias, ſed profanas; quæ enim ad uſus pios voluntate ultima, etſi minus ſolenni à Clerico Colonienſi de bonis clericalibus relinquuntur, valida declarantur; ubi ergo privilegium requirit ſolennitates, iſtud de cauſis non piis neceſſariò intelligendum erit.

§. IV.

Forma hæc à MAXIMILIANO HENRICO præſcripta quoniam in neglectum abire viſa fuit, illam novâ eâque efficaciſſimâ ordinatione denuò ſtrictiſſimè obſervandam præcipit alter Eminentiſſimus ac Celſiſſimus Archiepiscopus Elector noſter, Legifer ſapientiſſimus, MAXIMILIANUS FRIDERICUS lege anno 1763 die 13. Maji lata ita quidem, ut teſtamenta aliter, quàm in præſentia Notarii vel Paſtoris, duorúmque ad minus teſtium condita nulla ſint & invalida, atque à Sigillifero & Officiali ſub nullo prætextu approbanda *

* Le-

* Legem hanc integram hic adpono; tum quia in materia teſtamentaria Clericorum eſt pragmatica cum ſit noviſſima, tum etiam, quia in Codice Maximilianeo, ſeu Edictis Colonienſibus collectis haud continetur.

Poſtquàm circa formam condendi Teſtamenta Clericorum, in hâc Archidiœceſi Colonienſi varii abuſus irrepſerant, ſtatutis Synodalibus omninò adverſi, placuit Eminentiſſimo & Reverendiſſimo Archiepiſcopo Principi Electori Domino Noſtro Clementiſſimo, mediante ſingulari Reſcripto ſub 13tiâ Menſis Maji recenter evoluti, Nobis directo, inhæſivè ad Statuta Synodalia Reverendiſſimi & ſereniſſimi quondam Maximiliani Henrici Archiepiſcopi feliciſſimæ recordationis, inconvenientiis hujusmodi gratioſiſſimè obvenire, modúmque publicandi banc Clementiſſimam Intentionem ſuam, Arbitrio Noſtro benigniſſimè committere tenoris ſequentis:

MAXIMILIANUS FRIDERICUS DEI GRATIA ARCHIEPISCOPUS COLONIENSIS &c. &c. Venerabilis, ac doctè, devotè Nobis dilectè! Leges benè, ſancitas, & Statuta opportunè lata absque omni immutatione ſuo in vigore relinqui & conſtanter obſervari, ſanè Nobis expedire atque neceſſarium videtur. Cum itáque Canonicis Sanctionibus & Prædeceſſorum Noſtrorum Statutis & Ordinationibus, præcipuè verò illis Prædeceſſoribus Noſtri Maximiliani Henrici clarè cautum eſſe reperiatur, qualis forma & ſolennitates in Teſtamentis clericorum ſub nullitatis pœnâ ſint adhibendæ, nimirum: ut omnes eccleſiaſtici civitatis & Archidiœceſis Noſtræ colonienſis Teſtamenta ſua in præſentiâ Notarii vel Paſtoris, duorúmque ad minus teſtium condant; Nos Prædeceſſorum Noſtrorum Ordinationibus inhærentes ultimas diſpoſitiones clericorum ſeu eorum Teſtamenta aliter quàm juxta formam in præfatis Statutis Synodalibus præſcriptam facta nulla, & invalida eſſe, adeóque ſub nullo unquàm prætextu à Devotione tuâ approbanda eſſe, declaramus. Ne quis verò horum ignorantiam impoſterum prætegere valeat, hanc Statutorum Synodalium Ordinationem ultimas clericorum voluntates concernentem modo, quo tibi opportunum magis viſum fuerit, denuò ad eorum notitiam deduci volumus. Bonnæ 13tiâ Maji 1763. MAXIMILIANUS FRIDERICUS Archiepiscopus Elector. De Horn- Goldſchmidt.

Inſcriptio

Venerabili, ac docto devotè Nobis dilecto, Curiæ Noſtræ Archiepiscopalis Colonienſis Officiali Arnoldo Joſepho de Schönheim, Metropolitanæ Noſtræ Eccleſiæ canonico Presbytero Coloniæ.

Quam-

Quamobrem prælaudatum Rescriptum Archiepiscopale ad Protocollum Notarii Sententiarii registrari, Dominis Sigillifero Majori, & Minori, Domino Officiali Werlensi, prout & omnibus Dominis Decanis ruralibus Archidiœcesis Coloniensis unum alterumvè istius exemplar communicari, nec non ad valvas Curiæ affigi, sicque ad eorundem prout & *Clericorum, cæterorumque, quorum interest, notitiam deduci præsentium tenore volumus, & mandamus; Publicatum hâc 17mâ Junii* 1763.

Joannes Arnoldus de Schönheim Officialis.

§. V.

Quemadmodum nulla ferè Lex est à Legislatore scripta, quæ non aliquando in dubium, etsi sæpe perperam, trahatur Sensum; ita etiam circa clarissimam hanc utriusque MAXIMILIANI Celsissimi Legislatoris Ordinationem plurima moventur in praxi dubia: & quidem *primo:* si præsentia Notarii vel Parochi haberi nequeat, utrum suppleri queat præsentia alterius *per duos Testes*, ut valeat Testamentum clerici coloniensis de bonis clericalibus coram quatuor Testibus quibuscunque fide dignis? ℞. NEGATIVE *.

* Rationem reddo istam: quia habemus legem, & secundùm hanc legem debent fieri à clericis Testamenta; quodsi forma præcisè non fuerit servata, nulla esse & invalida declarantur, neque Sigillifer aliter facta audet approbare; in privato autem testatorum arbitrio non est, formæ à lege præscriptæ substituere aliam; non est privatorum unam ex solennitatibus ad valorem actûs requisitis lege expressâ velle supplere per aliud; etenim unum suppleri per aliud posse, est fictio, quâ fingitur *Parochus* aut *Notarius* esse actui præsens in duobus Testibus fide dignis; fingere autem non est hominum privatorum sed Juris seu Legis expressæ.

§. VI.

Verùm si valeant Testamenta Laicorum condita coram quatuor Testibus fide dignis, & qualificatis sine præsentia *Notarii* vel *Parochi*, etsi Statuta territorialia MAXIMILIANI HENRICI præsentiam alterutrius requirant; quare non valebit Testamentum clerici coloniensis hâc ratione conditum? ℞. Quia primum placuit Legislatori coloniensi, non alterum *.

* Legislator coloniensis in Statutis à se erectis pro Electoratu, & Testamentis civium (Vid. *Codex Maximilianeus* Tom. I. Tit. I. Vom Testament=

ment- und letzten Willens- Vermächtniß §. 5. pag. 468.) expressis terminis declarat: Wann der Testirer des Pastorn Gericht oder des Stadtschreibers oder Notarii, wie auch in den Städten der Scheffen nicht mächtig seyn kann, oder sonsten sich ihrer zu gebrauchen Bedenkens hätte, mag er anstatt einer jeder aus dieser angehender Person zween andere Zeugen dazu berufen. — Claris terminis hic Legislator territorialis permittit civibus præsentiam personæ publicæ posse suppleri, substituendo duos testes fide dignos: ubi hoc Legislator IDEM quâ *Canonicus* & *Episcopalis* pro Testamentis clericorum de bonis clericalibus quorum valor unicè ex arbitrio Episcopi, & forma ab hoc præscripta dependet, ordinavit? recte itaque utor argumento ex cap. 12. de decimis desumi solito: Videlicet: si voluisset Legislator canonicus facultatem supplendi seu substituendi valere quoque in Testamentis clericorum de bonis clericalibus utique posuisset; hoc autem non posito seu non scripto in lege, non est privatorum unam substituere alteri solennitati ex lege præscriptæ (§. *præc.*) cùm autem clerici duplicem sustineant personam, videlicet *Civis*, & *Ministri Ecclesiæ*, qua *Cives* de bonis *non Clericalibus* validè testabuntur Jure territoriali specialissimo supplendo unum per aliud —

§. VII.

II) An saltim non valebit Testamentum clerici coloniensis conditum Jure Justinianeo coram septem Testibus fide dignis, quin interveniat persona publica Notarii aut Pastoris? ℞. *Negativè* *.

* Quamquam enim in Comitiis Imperii Coloniæ anno 1512. celebratis, & Recessu condito §. von Testamenten: pro Imperio quoad Testamenta receptum sit Jus Justinianæum; hoc tamen ad Testamenta cleri coloniensis quoad bona clericalia non extenditur; Ratio est, quia Legislator coloniensis canonicus *præcisè* requirit præsentiam Notarii vel Pastoris, & quidem sub pœna Nullitatis; non quidem ut major & exactior probatio fieret ultimarum voluntatum, sed ut Testamenta clericorum de bonis clericalibus fierent coram persona publica ex Legibus ad Actum testandi qualificata, quæ non potest suppleri per *mille Testes*, nisi Lex expresse permittat; etenim Testibus quantocunque numero adhibitis non verificatur Actum fieri coram Notario vel Parocho. quod tamen Lex requirit sub pœnâ Nullitatis & non approbandorum Instrumentorum.

§. VIII.

§. VIII.

III) Cùm in utrâque lege ceu forma requiratur, erigi debere à clerico testamentum coram *Pastore*, quæritur, utrum ejus *Vices-Gerens*, ab illo ad Actus pastorales deputatus, aut expressè commissus ad assistendum clerico ægrotanti aut sic dicti Sacellani sint Pastores secundum Leges qualificati satis, ut testamenta clericorum parochiæ coram iis condita subsistant? ℞. *Negativè* *.

* Ratio est: quia *præcisè* præsentia *Pastoris* ad valorem requiritur; secùs facta approbari prorsus inhibentur; *qualitas* Pastoris, ut sit persona *publica* ab Episcopo commissa coram quâ fiant testamenta clericorum, expressis verbis requiritur: *Sacellani*, reliqui Pastorum commissarii, Regulares mendicantes fortè supervenientes morituro clerico, imo etsi ad solennizandum Actum testandi expressè deputati, non habent, nec induunt *qualitatem Pastoris*; quemadmodum missus à *Notario*, cujus præsentia requiritur ad valorem, non qualificatur ad solennizandum Actum, ità neque expressè deputatus à Pastore. Nec dicas: expressè delegatus à Parocho ad solennizandum matrimonialem contractum est satis qualificatus ad valorem hujus Actûs, cur non ad solennizandum testamentum? ℞. Reflecte ad CONCILIUM TRIDENTINUM *Sess.* 24. *Cap.* 1. *de Ref. Matrim.* ubi declarat: *qui aliter quàm præsente Parocho vel* ALIO SACERDOTE *de* IPSIUS PAROCHI *seu* ORDINARII LICENTIA *Matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus omnino inhabiles reddit*; vides hìc *expressâ Lege* Sacerdotem quemcunque *de parochi licentia* qualificari ad solennizandum Matrimonium; ast ubi Ordinatio Archiepiscopalis ait, quemcunque Sacerdotem de licentia aut commissione parochi fore qualificatum ad solennizandum actum testandi clericorum parochiæ? indignum est Juris consulto argumentum *à pari*, si lex una ad valorem actûs quidquam sufficere permittat, non autem permittat alia; subnecto hìc Ordinationem aliam ab EMINENTISSIMO NOSTRO MAXIMILIANO FRIDERICO editam anno 1774. die 18. Martii, utpotè quæ in Codice Edictorum coloniensium non comprehenditur; quanquam autem hoc Edictum sit territoriale, cadit tamen quoque eatenus in testamenta clericorum, quod sit *Eleuteratio* seu Interpretatio authentica Vocis: PASTORIS, in lege contentæ, quis veniat nomine illius:

Von Gottes Gnaden Maximilian Friderich, Erzbischof zu Köln 2c. 2c. Obgleich die Lands-Ordnung klare Maaß und Ziel giebt, welche Personen zu Errichtung der letzten Willens-Verordnung authorisiret seyen, so vernehmen Wir gleichwohl, daß dadurch, weil unter andern auch jeden Orts Pfarrer darinn benennet ist, viele gemeine unwissende Leute nicht allein bey dergleichen Testaments-Errichtung verirren, sondern auch einige, in Testaments-Sachen unerfahrne Capellän, Vicarien, Beneficiarii, und sonstige Priester, ob sie gleich weder von geistlicher Obrigkeit, weder von ihren Pastoribus zur Haupt-Seelsorg angeordnet sind, in solche, in ihr Amt gar nicht einschlagende Handlungen sich einzumischen, mithin das vor ihnen aufgerichtetes letzten Willens-Geschäft der unvermeidlichen Nichtigkeit, die anmaßliche Erben hingegen denen kostspitterlichen Weiterungen und verderblichsten Rechts-Streitigkeiten blos zu stellen, sich unterfangen; Als erklären Wir hiemit gnädigst, daß obgedachte Lands-Ordnung in diesem Stück blos von würcklichen Pfarreren, und jenen Geistlichen, welchen die Haupt-Seelsorg anvertrauet ist, zu verstehen seye, von diesen aber auch die Testamenten nur in dem Bezirk der Pfarr, welcher sie vorgesetzt sind, und nicht ausser demselben gültig erreichet werden können; Befehlen anmit allen Pfarr-Capellän, Vicarien, Beneficiaten, und sonstigen Geistlichen, sich in dergleichen letzten Willens-Errichtungen so gewiß nicht einzumischen, als sie widrigenfalls durch die geistliche Obrigkeit zu nachdrucksamer Bestrafung gezogen, und zugleich zu Erstattung des, denen eingesetzten Erben aus dergleichen null- und nichtigen Handlungen zuwachsenden Schadens angehalten werden sollen. Urkund dieses. Geben in Unserer Residenzstadt Bonn den 18ten März 1774.

Maximilian Friderich Kurfürst.

(L. S.)

Vt. C. O. Freyherr von Gymnich.

C. A. Guisez.

§. IX.

IV) Si requiratur præsentia *Pastoris* ad testamenta clericorum de bonis clericalibus, coram quo igitur ceu *Parocho proprio* validò testabitur PASTOR COLONIENSIS? ℞. coram DECANO Christianitatis, in quâ existit sua Parochia. *.

*Utra-

* Utraque Ordinatio Maximilianea præscribit, ut testamenta sua clerici condant in præsentia Notarii vel PASTORIS; quis autem est Pastor proprius parochorum coloniensium? ℞. Consule Statuta primi MAXIMILIANI Legiferi & *Parte III. Tit. V. Cap. V.* §. 3. invenies Decretum sequentis tenoris: ARGUMENTUM: *Decani rurales in suis Parochiis resideant.* TEXTUS: *cum Decanorum ruralium eadem sit & potior quidem conditio, quæ Pastorum, utpote qui non solùm secularium sibi commissorum, sed etiam parochorum sui districtus censentur esse* PASTORES *&* CURATI, *ideo ipsi continuo in suis Pastoribus vel saltem exigente id ratione muneris intra Decanatuum suorum limites residere personaliter debent, sub pœna tùm privationis Officii Decanalis, tùm alia graviori arbitrio nostro infligenda*; quem alium hic parochi tenentur recognoscere, ceu verum suum Pastorem, quàm *Decanum*? Parochi christianitatum dicuntur *Oves veræ* Decani, sicuti parochiani Seculares propriæ paræciæ, cui præest Decanus ceu Parochus. Quis itaque dubitet in tanta legum coloniensium perspicuitate, solum Decanum, ceu Pastorem esse personam qualificatam, coram quo Parochus coloniensis testari debeat secundùm legem Maximilianeam, si aut coram Notario nolit, aut nequeat. — His addo ea, quæ in Statutis antiquis coloniensibus sub eodem MAXIMILIANO à PAULO STRAVIO collectis & editis habentur, non ut inde legalem doctrina mea hauriat authoritatem, optime enim & jam pridem mihi notum erat, nunquam Statuta hæc ad authoritatem legalem ascendisse, sed ut hujus eruditissimi Suffraganei tum temporis opinio, cui inædificata sunt Statuta anno 1662, adeoque primo post ejus obitum ab Archiep. Maximiliano edita *de Testamentis Clericorum*, innotescat Clericis Nostris; & quidem *Part. II. Tit. XIV. Cap.* 3. *p.* 202. ità legitur §. 2. *Similiter Testamentum valere decernimus ac statuimus, si Decani rurales, posteaquàm à Nobis scripto fuerint confirmati & approbati* EX OFFICIO SUO *Pastorum & Vice-Pastorum... coram duobus vel tribus aliis Testibus exceperint*; mox additur ratio his Verbis: *Cùm illi sint per Archiepiscopalem Nostram Confirmationem & Approbationem constituti horum* PROPRII PAROCHI; subsequitur §. 3. *Non tamen valet Testamentum, si Pastores seu Vice-Pastores alterius Pastoris, seu Vice-Pastoris, vel alterius Ecclesiastici, nisi fuerit verè suus Parochianus, exceperint ultimam voluntatem.* En claram mentem PAULI STRAVII cujus Statuta concepta præparatoria erant ad illa, quæ anno subsequenti fuerunt promulgata!

§. X.

§. X.

An ergo non erit teſtamentum canonicum legale parochi colonienſis, qui periculosè decumbens rogat parochum confratrem ſuum vicinum pro administrandis ſibi Eccleſiæ Sacramentis, inſimul coram hoc erigens teſtamentum? ℞. Nullius momenti erit *.

* Equidem ſcio in praxi prætendi ejusmodi teſtamenta ceu valida, ſed in graviſſimum pauperum & cauſarum piarum præjudicium, quibus, hoc Teſtamento utpote ex mente Legislatoris privilegiantis evidenter nullo, ab inteſtato expreſsâ lege vocatis modo eſt Jus quæſitum. — Etenim vel Parochi Noſtri Colonienſes utrâque hâc lege Maximilianea obligantur, ut Teſtamenta ſuà erigant coram Notario vel Paſtore ſuo, aut non obligantur? poſterius haud admittes, quia utraque lex generaliter loquitur de clericis. — Si itaque ſub lege comprehendantur, quis *Curatorum* eſt parochus proprius? ℞. Ex aliâ lege Maximilianea ſolus DECANUS. — Nullam legem, nullum canonem invenies, ubi parochus vicinus rogatus pro Sacramentis Eccleſiæ recipiendis, dicatur Paſtor infirmi curati ad effectum, ut poſſit coram eo validè teſtari. — DICES: a quo Jure rogo & recipio *Viaticum*, *extremam Unctionem &c.*, is erit Paſtor meus: ℞. DISTINGUO: à quo *Jure proprio &c.* CONC. Jure ſpeciali conceſſionis expreſſæ aut tacitæ Decani, ceu proprii mei parochi NEG. Lege Statuta noviſſima MAXIMILIANI HENRICI *loc. cit.* §. 4. ubi invenies, quis *Jure proprio* Paſtoribus adminiſtret extrema: *Ordinamus pariter*, ajunt, *ut Decani de ſingulorum ſibi Creditorum ſalute ſolliciti ſicubi aliquem è ſuæ Regiunculæ, ſeu Decanatûs Paſtoribus.... periculosè laborare intellexerint, ad eum ſinè mora ſe conferant, moneantque, ut ſaluti ſuæ conſulens ad Sacramenta Eccleſiæ recipienda ſe diſponat; dein adhortentur, ut Teſtamentum legitimè condat &c.*: En hìc inculcatam Decanis graviſſimam obligationem curandi ſalutem & Teſtamenta parochorum ſui diſtrictûs! quando igitur à parocho vicino, aut ob abſentiam ſive negligentiam Decani in curà ſuà paſtorali neceſſitate exigente poſſunt curati recipere extrema, an inde ſequitur, hos quoque coram illo validè teſtari? ℞. æque parum ac parochianus infirmus Secularis coram Regulari Mendicante, aut Sacellano Parochi validè teſtabitur, etſi ab his ob abſentiam aut negligentiam Paſtoris ſui poſſit Jure petere & recipere Sacramenta Eccleſiæ. — Vigilare

igitur

igitur hìc oportet Promotores fiscales, ut ex Officio suo gerant curam pauperum, qui clamant eorum patrocinium, cùm se ipsos & Jura sua quæsita defendere nequeant.

§. XI.

Coram quo ceu proprio Pastore validè testabitur *Rector* Ecclesiæ *Filialis*, an coram *Pastore Matricis*, an coram *Decano* ceu *Pastore suo*? ℞. Distinguendo: Si *Filialista* curam gerat principalem, independenter à consensu & licentia parochi matricis, sitque Membrum Capituli christianitatis, non aliter testabitur validè, quam *coram Decano* vel *Notario*; si verò curam gerat dependentem in Exercitio à Rectore matricis, coram hoc ceu Presbytero suo validè testatur *.

* Ratio in promptu est, & desumitur à qualitate Pastoris ex lege ad valorem requisita; qui curam gerit principalem sibi ab Episcopo seu ejus Vicario commissam est verus ac proprius Parochus, nemini immediate subjectus ceu *Pastori suo*, nisi *soli* Decano, etsi Ecclesia filialis forsan recognoscere debeat matrem in certis Juribus e. g. *Sepulturæ*, *Fontis baptismalis*, aut *Olei sacri &c.*, quæ non obstant qualitati veri Pastoris. Vide sis ELEM. NOSTRA JUR. CAN. *Part. III. Tit.* DE PAROCHIS. Qui verò curam gerit animarum à consensu Pastoris matricis dependentem in exercitio, adeo ut Pastor matris, sit etiam verus, proprius ac immediatus Pastor Ecclesiæ filialis, Rector hujus Ecclesiæ *coram illo* validè testabitur utpote *Parocho suo*.

§. XII.

Cùm utraque Ordinatio MAXIMILIANEA sit generalis, comprehendátque abs dubio clericos *Ecclesiarum Collegiatarum*, clerici his Ecclesiis adscripti coram nullo alio in *qualitate Pastoris* validè testabuntur, quàm coram DECANO proprio *.

* Hic enim propius clericorum suæ Ecclesiæ Pastor est, ità enim pridem Jure communi statutum esse legitur: Vid. *Cap. 7. de Elect.* ibi: *ut decanatum... & alia, quæ curam animarum habent annexam, nullus omnino suscipiat, nisi qui jam 25. annum ætatis attigerit.* — In Synodo Colo-
nienſi

nienſi anno 1260 habita cura paſtoralis Decanis Eccleſiarum collegiatarum in ſuos clericos committitur, quod innovatur in altera Synodo Colonienſi habita anno 1536.— Vide ſis *Cod. Stat. antiq. Colon.* pag. 12. & 126. 356. 479. conf. ESPEN *J. E. U. P. I. Tit. XI. Cap.* 2. *n.* 1. *& ſq.*—Addere hic denuo liceat Statuta Colon. PAULI STRAVII (§. IX.) loc. cit. ibi: *Decani rurales confirmati & approbati... conſtituti ſunt Paſtorum proprii parochi, non minus ac Decani Eccleſiarum Collegiatarum ſunt Paſtores Canonicorum & Beneficiatorum ſui Collegii, coram quibus non ſecus ac Notariis publicis.. validè quoque confici poſſunt Teſtamenta.*

§. XIII.

Si Canonicus ſe extra locum immunitatis transferat, aut ex gratiâ recreationis, aut ſuam infirmitatem curandi causâ, trahâtque ità moras in aliena Parochia, an coram hujus Parocho tutò & validè teſtabitur? ℞. *Negativè* arg. *Cap. 3. de Sepult. in 6.* *

* Textus citati Capituli ità habet: *Is, qui habens Domicilium in Civitate vel Caſtro, quandoque ad Villam ruralem ſe transfert recreationis cauſa vel ut ruralia exerceat in eadem, ſi non electâ ſepulturâ decedat ibidem, non in Eccleſia dictæ villæ ſed in ſua parochiali... ſepeliri debebit, dummodo abſque periculo ad ipſam valeat deportari*; ex hoc ità concludo: *Parochus loci ubi Canonicus recreationis gratia aut ex alia cauſa moratur, non eſt proprius Paſtor quoad Jus ſepulturæ, ergo nec quoad Actum teſtandi*; quod argumentum videtur *magiſteriale*, quia *Canonici* ſemper ob Obligationem reſidendi ſtrictam ex Concilio Tridentino debent habere animum reſidendi penes *Eccleſiam ſuam* ſecundùm Canones; equidem Paſtores ſolent inhiare ejusmodi cadaveribus, præſertim ſi defuncti fuerint divites, ſed reſiſtente aperto Juris textu; evitarentur facilè iſta, ſi, ceu ſacri Canones jubent, ſepulturæ deberent fieri gratis.

§. XIV.

Si Exemplo Eminentiſſimi ac Celſiſſimi Archiepiscopi Electoris Moguntini EMMERICI JOSEPHI glor, Mem. (qui Eccleſiam Collegii ibidem fecit parochia-

parochialem Academicam sub Inventione S. EMMERICI) Ecclesia Collegii hujatis redderetur Ecclesia *parochialis Academica*, an Academiæ Membra tutò & validè testabuntur coram Parocho Academico? *Affirmativè* *.

* Ut etiam Pedellus coram illo validè testetur; recurrit ratio desumpta ex qualitate *Pastoris proprii.*

§. XV.

Postremò quæritur: cùm in laudatâ sæpe utraque Ordinatione Maximilianeâ sit statutum, ut *Clerici nostri* faciant Testamenta sua coram Pastore vel NOTARIO, coram quo Notario testabuntur validè? An coram *Notario Apostolico*, vel *Cæsareo & in Cancellaria Aulica Colon. immatriculato* *?

* De Testamentis civium non est dubium, illa fieri debere coram Notario adscripto matriculæ in Cancellaria Electorali Aulica, quemadmodum Eminentissimus Noster MAXIMILIANUS FRIDERICUS in eleuterationibus suis ad Jus statutarium Coloniense *Tit. I.* §. 1. *anno* 1767. *die* 12. *Maji* declaravit: bleibt es bey denen mehrmals erlassenen Verordnungen, daß der zu Errichtung eines letzten Willens zugezogen werden wollender Notarius bey unserer Hof-Kanzley immatriculirt seyn müße, sonsten aber das Testament von unwurden und ohnbestand seye: ex hâc Ordinatione certum est, quòd Clericus validè testaturus *qua civis* id est: *de bonis non Clericalibus* nequeat adhibere *Notarium apostolicum* in Cancellaria Aulica haud immatriculatum; sed *an Clericus quà talis testari volens de bonis Clericalibus agere quoque debebit coram Notario ità immatriculato*; ℞. *affirmativè*; Ratio desumitur ex Ordinatione JOSEPHI CLEMENTIS de 26. Junii anni 1717. in Verbis: „Als erklären und wollen gnädigst hiemit, daß alle dergleichen Actus (Testamenten und Contracten) welche nicht von denen bey hiesiger unser Hof-Kanzley immatriculirt, und approbirten Notariis errichtet und beschrieben worden, für null und nichtig gehalten, und darauf von unsern Räthen, auch NB. geist- und weltlichen Gerichtern kein Absehen genommen, weniger einige Execution verhenget werden solle rc.; Vid. COD. MAXIMIL. *Tom.* 1. *p.* 555. hâc Ordinatione sublata est omnis Potestas *Notariis apostolicis non immatriculatis*, (qui à Concilio Tridentino *Sess.* 22. *Cap.* 10 pro *extraneis* habentur, quos Episcopus ad certos

actus

actus inhabiles ex eadem sancta Synodo reddere potest) circà *Testamenta* & *Contractus*, qui actus signanter in prælaudatà Ordinatione exprimuntur, etiam quoad Personas ecclesiasticas; Etenim inhibetur Tribunalibus *ecclesiasticis Episcopalibus*, ne *Testamenta* & *Contractus* à Notariis non immatriculatis conditos ceu validos agnoscant; ubi utique de Notariis *Ecclesiasticis*, videlicet *Apostolicis* sermo erit; *hos* videlicet non posse adhiberi, nisi fuerint adsumpti in matriculam in Cancellaria Aulica; quidquid igitur potestatis & authoritatis in Ecclesiis Germaniæ habent Notarii apostolici, negotia vel in Nuntiaturâ, aut in Tribunalibus Romanis immediate tractanda & exponenda concernit. — Consule ESPEN J. E. U. Tom. I. P. III. Tit. II. *Cap.* 7. *n.* 12. & Concil. TRID. *loc. cit.* ubi *Notarios apostolicos* acriter perstringit, atque ab Episcopis non esse ceu publicos agnoscendos statuit, nisi fuerint ab iis ceu idonei probati.

§. XVI.

Opponet mihi Clerus Noster: *ergo durum erit habere facultatem testandi*; præcipuè in casu, ubi infirmitate mortem accelerante, neque *Pastor*, neque *Notarius* haberi poterit; quo casu Domini territoriales succurrunt civibus, ut horum vices suppleri possint per alios duos Testes fide dignos, quanto magis succurrendum erit Clerico ità arctato de bonis Clericalibus testaturo *?

* ℞. Testetur in usus pauperum aliósve usus pios atque valebit ultima ipsius Voluntas, etsi omni solemnitate destituta, satisfiet Spiritui Ss. Canonum antiquorum atque eò securior erit conscientia clerici rationem Villicationis Deo judici suo reddituri, quòd autem nunc nequeat disponere in usus non pios, imputet sibi, qui novit Voluntatem Legislatoris sui & non disposuit in tempore opportuno.

XIV.

XIV.

DISSERTATIO
JURIS ECCLESIASTICI PUBLICI
DE
VERO AC GENUINO STATU HODIERNO PRIMARIARUM PRECUM CÆSAREARUM.

DEFENDENTE D. BARTHOLOMÆO CRUMBACH EX BECHLINGHOVEN.

PRÆFATIO.

Precum primariarum Statum hodiernum verum ac genuinum meditari dum aggredior, moneo, neutiquam me jura definiturum fore atque limites quibus Preces primarias Cæsaris circumscriptas esse à nonnullis prætenditur. *Ex Actis publicis* tantùm, quorum varia frustra omnino, utpote typis nondum edita, quæsieris, statum Precum hodiernum considerabo, reliquum mittens illis, qui Juris illius exercitio sese gravari conqueruntur, ut omni meliori modo (justo tamen atque Legibus & observantiæ Imperii apprimè adcommodato) sibi consulant; quidquid igitur inpræsens à me scriptum habes, illo nec Juri Augustissimo Cæsareo, nec Juribus sanctæ Sedis, nec Prætensionibus Ecclesiarum, vel in minimo quidpiam detractum esse volo, nec tantus, ut detrahere valeam, non enim sedeo pro Tribunali. Duplici autem parte Dissertatio hæc absolvitur; *priori* meditabor statum primariarum precum *ex parte Augustissimi* illas concedentis, posteriori verò statum precum ex parte Precistarum considerabo. Sit igitur

DISSERTATIONIS
PARS I.
De hodierno vero ac genuino statu Precum primariarum ex parte Cæsaris Augustissimi.

§. I.

Quantum primò attinet statum precum primariarum *ex parte Cæsaris*, præcipuum partis hujus prioris objectum sit famosum illud INDULTUM, quod ad exercendum validè jus precum prætendit Sedes apostolica esse ne-

ceſſarium. Rectè verò & pro more ſuo eruditè ex diplomatibus (medio eruendi veritatem inter omnia optimo) oſtendit unâ ſerie Cl. WURDTWEIN *a*) à RUDOLPHO I. *b*) ALBERTO I. *c*) LUDOVICO BAVARO *d*) CAROLO IV., WENCESLAO, RUPERTO, SIGISMUNDO *e*) atque demum à FRIDERICO III. *f*) datas fuiſſe Preces ad Eccleſias Germaniæ, ſine ullo à Sede apoſtolica impetrato prævie indulto; à tempore verò Concordatorum Aſchaffenburgenſium a. 1448 ſtylo communi, ſtylo autem Bullari a. 1447. concluſorum idem FRIDERICUS III. omnium Imperatorum primus à ſancta Sede impetravit indulta, *unum* quidem à NICOLAO V. a. 1451. *alterum* ab EODEM a. 1454., *tertium* à CALLIXTO III. a. 1455. quo is Anteceſſorum ſuorum indulta confirmavit *g*).

a) *In ſuis ſubſidiis diplomaticis ad ſelecta juris eccleſiaſtici & hiſtoriarum Capita* Tomo II. ed. 1773.

b) *Ibidem*, *num.* I. Rudolphino diplomate antiquius reperiri necdum potuit; promiſerat quidem L. B. de SENCKENBERG Tractatum *de precibus primariis Imp.* atque antiquiſſimam in eo formulam à CONRADO IV expeditam, verùm ſatis præpeditum fuiſſe virum illum, priusquam Tractatum ſuum divulgaret, dolet orbis eruditus.

c) *Ibid. n. II. lit. b.* ubi adfert exemplar ab ALBERTO Imperatore datum ad WICHBOLDUM Archiepiſcopum noſtrum Colonienſem anno 1298, quo huic dedit in mandatis, *ne propter quorundam pertinaciam preces ejus fidelitati & executioni commiſſas effectu deſtitui ſinat.*

d) *Loc. cit. n. III* integrum Precum primariarum Ludovici Bavari libellum ex regeſtis *Bertholdi de Tuttlingen* Notarii regii edidit OEFELIUS Tom. I. *ſcriptorum rer. boic. p.* 735. Ubi inter alias lego datas ab illo Imperatore modò fuiſſe Preces an. 1322. ad Eccleſiam Vilicenſem prope Bonnam: *Item Abbatiſſæ & Conventui in Vilke pro* ALHEIDE *filia Joannis* de LOHAUSEN *pro Præbenda.*

e) Horum Imperatorum diplomata precum referuntur ibidem à n. IX. usque ad n. XI.

f) Hactenus concors fuit opinio, FRIDERICUM III. non dediſſe preces ante obtentum indultum Pontificium, verùm ex variis diplomatibus precum *ibidem à n. XI.* relatis conſtat nullum ei tunc indultum Papale fuiſſe conceſſum.

g) Hæc tria indulta vid. ibid. n. XV. XVI. XVII.

§. II.

§. II.

MAXIMILIANUS I. Friderici III. filius, postquam an. 1486. electus fuerat Rex Romanorum mox ab exordio suæ electionis dedit Preces ad Ecclesias Germaniæ, ceu ex *Executorialibus Bertholdi Moguntini*, ab eodem WURDTWEIN *a*) adlatis certò constat; ast neque, si Precum illarum diploma pervolvatur, ulla prorsus mentio habetur cujusdam indulti papalis, sed unicè *ad jus Antecessoribus suis debitum* provocatur; *b*) Equidem INNOCENTIUS VIII. ad Ecclesias & Capitula Germaniæ dederat inhibitorias ne Preces cæsareas Maximiliani I. recognoscerent; verùm ratio prohibitionis non erat defectus indulti Pontificii, sed, *ne indebite, uti Capitula asserebant, vivente adhuc Friderico III., qui similes Preces intimaverat, Precistis iteratis gravarentur*; *c*) quinimo postquam Imperator per suum Oratorem Romæ iteratis vicibus Papæ exposuit *se per ipsas inhibitorias plurimum gravari in juribus suis*, Papa justitiam causæ agnoscens, Inhibitionis suæ Revocatorias dedit anno 1489. ad omnes Ecclesias Germaniæ. *d*)

a) *L. cit. n. XVIII.*

b) Dedit preces istas ad Ecclesiam Francofordiensem S. Bartholomæi. *Coloniæ* 1486.

c) Manifestò hoc eruitur ex revocatoriis, quibus preces Imperatoris ejusdem admittendas fore mandavit Papa.

d) *L. cit. n. XX.*

§. III.

Ex quo MAXIMILIANO I. in Imperio successerat anno 1519. CAROLUS V. eidem altero mox anno à LEONE X. transmissum fuit indultum primariarum precum *a*) atque jus suum ex inveterata consuetudine, *etiam apostolica Authoritate roborata* exercuit, ceu testantur varia, quæ à WÜRDTWEIN l. cit. adferuntur precum diplomata; *b*) Porro FERDINANDUS I., MAXIMILIANUS II., RUDOLPHUS II., MATHIAS, FERDINANDUS II. atque FERDINANDUS III. Impp. usque ad annum 1648. in suis precibus indulti papalis mentionem reddunt; *c*) Ab anno verò isthoc, utpote quo *Pax Osnabrugensis* conclusa fuit, cœpit FERDINANDUS III. Imperator, Pristinis Antecessorum suorum juribus inhærere, atque sinè ullâ Papalis indulti mentione preces ad Ecclesias Germaniæ direxit. *d*)

a) *Loc. cit. n. XXV.*

b) *Ibid.*

b) *Ibid. n. XXVI. & seqq. usque ad n. XXXI.*

c) *Ibid. à n. XXXII. usque ad n. XLVIII.* Memoratu autem dignum est, quod de MAXIMILIANO II. memorat L. B. de SENCKENBERG in Tractatu: vorläufige Einleitung zu der ganzen in Deutschland üblicher Rechtsgelehrsamkeit ed. Nordlingen 1762. p. 111. §. 86. videlicet: MAXIMILIANUM II. *Imp. cum Pontifice* PIO IV. *ratione indulti primariarum precum uti & ratione Confirmationis Pontificiæ Romanorum Regis Neo electi non ampliùs petendæ specialia Concordata celebrâsse &c.*

d) *L. cit. n. XLVIII.* adde *notam Editoris ibidem.* Fallitur igitur Cl. BRAND Diss. *de jure primariarum precum* & cum illo P. WOLFF. SCHMIDT in *Inst. J. E. L. III. p.* 461. dum scribit: à FRIDERICI III. ævo usque ad LEOPOLDI I. tempora Imperatores semper in suis precum literis mentionem fecisse papalis indulti.

§. IV.

LEOPOLDUS anno 1688. Imperator electus, juribus cæsareis antiquioribus innixus *indultum* neque Romæ petiit, neque acceptavit; atque, qui illi in dignitate successit; JOSEPHUS I. Imp. exemplum antecessoris sui strenuè fuit insecutus, & sinè indulto ad Ecclesias Germaniæ preces direxit; *a*) Quamquam verò Romæ ejusmodi precibus sinè indulto datis vehementer sese opposuerint, quin & *inhibitorias b*) Pontifex CLEMENS XI. per Nuntium suum Coloniæ tunc residentem ad Capitula Germaniæ fecerit emanare, verumtamen mox postea Aula romana *media formali Conventione* ipsa concessit, neque indultum postea acceptandum, neque de eo in literis papalibus ad Capitula Germaniæ dirigendis unquam mentionem faciendam esse, cujus *Conventionis* ARTICULUS IV. ità habet: *quod idem* (nempe tunc temporis Romæ Residens Cæsareus ordinarius Orator MARCHIO DE PRIES) *neque indultum primariarum precum acceptare, neque per Sanctitatem suam hoc ipsum cum Capitulis Germaniæ communicari, sed solummodo Breve fieri debeat, quo Beatitudo sua* ABSQUE INDULTI MENTIONE *eisdem injungat, ut, quia differentia de primis precibus Sedem apostolicam inter & Majestatem suam Cæsaream est terminata, illas exequantur, quin in contrarium allegare valeant* QUALEMCUNQUE TITULUM VEL PRÆTEXTUM EXEMPTIONIS, AUT NON USUS, *cum Sanctitas sua parata sit ad constringendum illa ad executionem mediis, si opus fuerit severioribus. c*)

a) Di-

a) Diplomata precum LEOPOLDI vide apud WÜRDTWEIN *l. cit. n. XLIX.* JOSEPHI I. vide *ibidem* n. *L.*

b) *Ibidem n. LI.*

c) Conventio hæc anno 1711. inter CLEMENTEM XI. & Ministrum cæsareum DE PRIES tunc Romæ Residentem conclusa fuit; ex quibus ad oculum patet, quantum fallatur Jacobus de LADERCHIO Presbiter Congregationis Oratorii continuator Annalium ecclesiasticorum Baronii *Tom. XXII. p.* 416. *n. XIV.* ità scribens: *quàm cùm* JOSEPHUS I. *Electus Romanorum Imperator præter vetustissimum prædecessorum morem, apostolica Sede inconsulta, neque antea obtento, quod diximus, diplomate ad quædam Germaniæ Capitula nominationes suas direxisset, illaque obstitissent, ubi tandem admonitus fuit, & quod res erat, intellexit, summâ, quâ pollebat, pietate, apostolicum ipsum indultum enixè petiit & obtinuit, & deinde Beneficia vacantia conferre liberrimè potuit*; ast ex Conventione ista liquet minimè falli M. DE PFEFFEL Conseiller de la Legation de France à Ratisbonne, dans l'Abrege de l'histoire d'Allemagne ubi pag. 860. l'Empereur se brouille avec le Pape non seulement parce que le S. Pere avoit marque une forte de partialité en faveur de PHILIPPE V. mais aussi à cause d'une pretention nouvelle du S. Siege, qui soutenoit que l'Empereur ne pouvoit exercer le droit des premieres prieres, sans le consentement du Souverain Pontife. L'origine de cette pretention venoit de ce que FREDERIC III. avoit demandé le consentement des Papes avant que de presenter aucuns Précistes (c'est ainsi, qu'on appelle les beneficiers nommés en vertu des premieres prieres) les Successeurs de FREDERIC III. suivirent son exemple jusqu' à FERDINAND III. qui cessa de solliciter des brefs, quand la Paix de Westphalie lui eut confirmè le droit des premieres prieres. Les oppositions que la Cour de ROME y mit sous JOSEPH, ne l'empêcherent ni lui ni ses Successeurs d'exercer ce foible reste de leur ancienne puissance.

§. V.

Mors Josephi Imp. eodem anno mox subsecuta effecit, ut Conventionis illius effectus fuerit differendus, quare succedente CAROLO VI. novæ adversus jus cæsareum ortæ quidem sunt difficultates; verùm illis superatis, quia Imperator ad solemnem hanc Conventionem provocavit, Conventio ista

denuò

denuò confirmata fuit anno 1715, quâ contigit, ut Josephinæ perinde ac Carolinæ preces plenarium fuerint sortitæ effectum, ità quidem ut solum Breve Pontificium ad Germaniæ Capitula emanatum fuerit, *a*) ad prædictas literas inhibitoriales tollendas & annullandas, quin de Collatione aut Confirmatione Pontificia aliquid in publicum proferri tentaretur. *b*)

a) Vide WÜRDTWEIN *l. cit. n. LIII. & LIV.*

b) Neque Conventionem illam sivè pactum à nobis confictum esse dicas, etenim pactum illud existere ipsæ *literæ* FRANCISCI I. Imp. ad Archiepiscopos & Episcopos Germaniæ a. 1747. datæ inferiùs referendæ apertè docent.

§. VI.

Quoniam verò CAROLUS VII. an. 1743. electus (ex causis nemini non ignotis) adversus jura cæsarea quoad indultum pro conferendis precibus nimium concesserat, *a*) Successor illius FRANCISCUS I. an. 1746. electus statim ab initio sui regiminis in romana Curia declarari fecit, se nec exemplo CAROLI VII. nec aliorum suorum Prædecessorum, sed solùm *Conventioni* sub JOSEPHO I. & CAROLO VI. solemnissimè conclusæ & confirmatæ insistere posse, quare non tantùm omni indulto, sed insimul etiam emanationi Brevis ad Capitula Germaniæ, utpote cujus ratio, cùm non existerent inhibitoriæ, de facto cessaret, contradictum fuit; cùm tamen Pontifex ab illa emanatione Brevis nullo modo dimoveri potuisset, Imperator ad finem causæ procurandum, formulæ Brevis ejusmodi Pontificii, *licèt invitus*, acquievit, cum protestatione, se Capitulis Germaniæ acceptationem ejusdem nequaquam permissurum esse, si illis in eodem Brevi de indulto aut roboratione Pontificia vel minimum significaretur.

a) Diploma precum CAROLI VII. vide *l. cit. n. LV.*

§. VII.

Verùm Aula romana, rata juribus suis satis consultum non iri, si Brevi duntaxat ad Capitula Ecclesiarum Germaniæ emisso iis recipiendas esse preces primarias inculcaret, quare per Nuntium suum tunc Coloniæ Residentem literis, quæ jura cæsarea lædere multùm putabantur, Breve papale Capitulis insinuandum esse duxit; quarum literarum uti & ipsius Brevis exemplaria hìc exhibentur.

I.

I. Breve Pontificium seu Epistola Encyclica.

Dilectis Filiis, Capitulis & Canonicis quarumcunque Cathedralium etiam Metropolitanarum & Collegiatarum Ecclesiarum per sacrum Romanum Imperium ubilibet existentium.

Benedictus Papa XIV. dilecti Filii! Salutem & apostolicam Benedictionem. Cum difficultates illæ, quæ aliàs circa Preces, quas primarias vocant, subortæ fuerant, locum in præsens, benedicente Domino, non obtinuerint, nullumque propterea charissimo in Christo Filio nostro Francisco Romanorum Regi in Imperatorem electo Pontificiæ nostræ benevolentiæ argumentum deesse velimus, id vobis nunc notum & perspectum, dilecti Filii, esse æquum ducimus, simulque vos admonere, ut eas Preces, quas de cætero à dicto Francisco Rege, sive vobis, sive aliis quibusvis Collatoribus, seu Collatricibus quorumcunque Beneficiorum ecclesiasticorum per sacrum Romanum Imperium ubilibet existentium pro Beneficiorum hujusmodi, cum primum illa vacaverint, collatione, servatis tamen restrictionibus & exceptionibus solitis facienda porrigi, seu exhiberi contigerit, omninò recipiendas & admittendas esse noscatis. Hæc dum vobis dilecti Filii, significamus, minimè veremur, quin illa pro filiali vestro in nos studio debitæ executioni demandaturi sitis, simulque vobis cœlestium charismatum incrementa ex animo à Deo precamur, ac perpetuum Paternæ charitatis nostræ Pignus, apostolicam Benedictionem peramanter impertimur, volumus autem, ut præsentium literarum transsumptis seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in Judicio & extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXVIII. Novembris MDCCXLVI. Potificatus nostri septimo.

D. CARDINALIS PASSIONEUS.

Literæ D. Nuntii Apostolici.

Perillustres, Nobiles, Generosi ac D^di^ Adm^dm^ D^ni^.

Placuit Summo Pontifici concedere Imperatori Preces, quas vocant, primarias: ut autem Perillustres, Nobiles, Generosæ Reverendæ Dominationes Vestræ dubitare non possint de hac concessione, edidit Sanctitas sua Epistolam Encyclicam ad singula Capitula Germaniæ, cujus exemplum hisce adjunctum

mitto

mitto ad Perillustres, nobiles, Generosas, ac Reverendas Dominationes Vestras: quod cum sit authenticum & prorsus comparatum cum suo Originali, non dubito, quin nullà interpositâ difficultate ea, quæ in eo continentur, ex omni parte Executioni mandare debeant. Hisce Scriptis exspectabo Responsum, unde mihi liquere possit Perillustres, Nobiles, Generosas, ac Reverendas Dominationes Vestras accepisse laudatum exemplum: & intereà ex animo verè subscribor.

Perillustres, Nobiles, Generosi, ac Reverendissimi Domini.

Coloniæ 22. Decem. 1746.

Ad omnia officia paratissimus
H. Archiep. Laodicensis
Nuntius apostolicus.

§. VIII.

Quanquam Imp. FRANCISCUS I. adversus Literas istas apud Sedem apostolicam non tantum solemniter sit protestatus, sed & pro satisfactione adversus illas egerit, intermittere tamen haud potuit, quin ad Archiepiscopos & Episcopos Germaniæ, ad quos præfatæ Literæ Nuntii apostolici pervenissent, sequentes Literas, Capitulis Ecclesiarum cuique intimandas daret sequentis tenoris: (*)

Inhibitoriæ Cæsareæ.

Franciscus (Tit.) &c. Relatum Nobis fuit, Archiepiscopum Laodicensem Coloniæ pro tempore Nuntium apostolicum in Literis suis ad Capitula Germaniæ de 22dâ nuperi Mensis Decembris asserere non vereri, Summum Pontificem *Preces* sic dictas *Primarias Nobis contulisse*.

Non potuit eundem latere, jus mox dictarum precum tanquam perantiquam Imperatorum prærogativam, per ipsos Nostros in Imperio Prædecessores absque aliâ Concessione ad Nos delatum fuisse, neque is ignorare potest, aut debet, quà ratione mentem Nostram erga Summum Pontificem desuper explicaverimus, *quem uti pro suâ in servandis Pactis Religione à tali asserto longè alienum esse speramus* (**) ità & Dilectionem Vestram hisce benignè requirimus, Capitulis tam Archiepiscopatûs, quam Episcopatuum divinâ Providentiâ eidem concreditorum, ad quæ supradictæ Literæ pervenerunt, seriam hanc Nostram Inhibitionem eum in finem quamprimum intimari curare, ut Literas præfati Nuntii Coloniensis nullâ ratione agnoscant, proindeque nec

ex-

expetitum desuper Responsum eidem præstent; quod à perspecto Dilectionis Vestræ pro juribus sacri romani Imperii Zelo suoque erga Nos fidei obsequiique studio præstolantes, Benevolentiæ Nostræ Cæsareæ affectum eidem cumulatissimè confirmamus, datum Viennæ die 27. Januarii 1747.

FRANCISCUS mpp.

Vt. COMES COLLOREDO mpp.

Paulus Antonius Grundl mpp.

(*) Hæ sunt literæ datæ ad Eminentissimum ac Serenissimum nostrum Archiepiscopum Coloniensem CLEMENTEM AUGUSTUM: similis tenoris literas ad Archiepiscopum Moguntinum exaratas refert WÜRDTWEIN *l. cit. n. LVII.*

(**) His verbis evidenter Imperator provocat ad pactum illud inter JOSEPHUM ac CAROLUM VI. nec non CLEMENTEM XI. conclusum, quale enim pactum aliud his verbis indicaretur?

§. IX.

Hæ Inhibitoriæ Cæsareæ mox per Reverendissimos Vicarios Generales Cathedralibus aliisque collegiatis Capitulis ad parendum sinè mora fuerunt insinuatæ; ad quas autem pleraque ex dictis Capitulis responderunt, sese D. Nuntio Literarum apostolicarum receptionem multo quidem ab hinc tempore, sed verbis tamen omnino indifferentibus, & juribus cæsareis ne vel minimum præjudicium adferre valentibus significasse, ceteroquin nihil ardentius cupere, quam ut hac in re, voluntatem & jussa cæsarea exactissimè possent exequi.

§. X.

Rebus his in initio anni 1747 eousque deductis, in Mense Novembris ejusdem anni *clanculum* apparuit desuper typis impressa *Epistola instructiva sanctissimi Domini nostri P.* BENEDICTI *XIV. ad Dominum Archiepiscopum Laodicenum Nuntium apostolicum Coloniæ &c. Gallico simul & Italico Idiomate data 28vâ Octobris* 1747; *a*) Multi quidem tum temporis Epistolam hanc instructivam Papæ BENEDICTO XIV. affictam esse existimabant, imò anno MDCCLVII. omnia eruditissimi illius Pontificis opera in unum corpus redacta fuerunt, atque Tomo XV. f. 86. Epistola illa instructiva fuit inserta, Editor tamen ipse utrum esset labor sui Pontificis, subdubitavit.

a) Vide *Tom. XV. cit. f.* 86. Author illius Epistolæ, totus in eo est, ut ostendat, jus primariarum precum ex indulto Sedis apostolicæ proficisci.

§. XI.

Imperator Augustissimus JOSEPHUS II. gloriosè regnans, jurium suorum Cæsareorum defensor in suis quoque formulis primariarum precum nullam omninò mentionem reddidit cujusdam Indulti papalis, *a*) neque Clemens P. XIII. in literis suis, quas dedit, ut Capitulis Germaniæ insinuarentur, cujusdam Collationis aut Indulti mentionem fecit, neque Excellentissimus D. Nuntius tum temporis Coloniæ Residens literis propriis ad Capitula Archidiœcesis nostræ Coloniensis datis Breve pontificium transmisit, sed potiùs Reverendissimo in Spiritualibus Vicario Generali, ut Breve papale notum faceret, communicavit ceu sequentes literæ testantur:

Copia Literarum Reverendissimi D. Vicarii Generalis Coloniensis ad Capitula datarum 26. Junii 1766.

Cum per Excellentissimum D. Nuntium apostolicum adjuncta Copia Brevis apostolici Sanctissimi Patris Clementis PP. XIII. puncto primariarum precum cum Nobis communicata fuerit in finem, eandem in omnium Archidiœceseos Coloniensis Capitulorum notitiam deducendi; hinc eandem Illustri Capitulo ad - - - in Coloniam communicamus per præsentes, ut juxta ejus præscriptum Sanctissimi Pontificis & Augustissimi Imperatoris voluntatem hac in parte adimplere sciat. Signatum Coloniæ die 26. Junii 1766.

J. P. DE HORN-GOLDSCHMIDT, Vic. Gen. mpp.
(L. S.)
J. DUX Protonot. in Spirit. mpp.

Copia adjuncta Brevis apostolici supra mentionata.

Dilectis Filiis Capitulis & Canonicis quarumcunque Cathedralium etiam Metropolitanarum, & Collegiatarum Ecclesiarum per sacrum Romanum Imperium ubilibet existentium.

CLEMENS XIII.

Dilecti Filii Salutem & apostolicam Benedictionem. Cum difficultates illæ, quæ aliàs circa Preces, quas primarias vocant, subortæ fuerant, locum in præsens, benedicente Domino, non obtinuerint, nullúmque propterea charissimo in Christo Filio nostro Josepho Romanorum Regi in Imperatorem electo, Pontificiæ nostræ Benevolentiæ argumentum deesse veli-

mus,

mus, id vobis nunc notum & perpetuum, dilecti Filii! esse æquum ducimus, simúlque vos admonere, ut eas Preces, quas de cætero à dicto Josepho Rege sive vobis, sive aliis quibusvis - Collatoribus, seu Collatricibus quorumcunque Beneficiorum ecclesiasticorum per sacrum romanum Imperium ubilibet existentium, pro Beneficiorum hujusmodi, cum primùm illa vacaverint, Collatione, servatis tamen restrictionibus & exceptionibus solitis, facienda, porrigi seu exhiberi contigerit, omninò recipiendas & admittendas esse noscatis. Hæc dum vobis, dilecti Filii! significamus, minimè veremur, quin illas pro filiali vestro in nos studio debitæ executioni demandaturi sitis; vobisque interim cœlestium charismatum incrementum ex animo à Deo precamur, ac perpetuum paternæ charitatis nostræ pignus, apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Volumus autem, ut præsentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam majorem sub Annulo Piscatoris Die XI. Junii MDCCLXVI. Pontificatûs Nostri Anno octavo.

(L. S.) N. CARD. ANTONELLUS.

(L. S.) Joan. Venti, Rev. Cam. Apost. Secret. & Canc.

a) Refert diploma Precum Josephi II. WÜRDTWEIN *l. cit. n. LIX.* MOSER in Tractatu von den kaiserlichen Regierungs-Rechten und Pflichten p. 486. ait: narratum sibi Viennæ à Nuntio Bullam, in quâ facultas primariarum precum concedendarum contineatur, porrigi eamque admitti, sed non reseratam ad acta reponi: idémque sub Josepho II. ità contigisse insinuat in dem neuesten Reichs-Staats-Handbuch 1. Theil 2. Buch 2. Kap. §. 3. Verùm assertum illud tanquam ità se habens omnino rejicit.

§. XII.

Ex his antea deductis palam est hodiernum Statum precum primariarum ex parte Cæsaris pacto illi solenni an. 1711. inter *Josephum I.* & *Clementem XI.* concluso atque inter CAROLUM VI. & eundem Pontificem an. 1714. confirmato vel maximè inniti, atque I.) in vim illius pacti Cæsarem Augustissimum jus primariarum precum indulto papali haud debere; II.) Equi-

Equidem pro feliciori juris primariarum precum executione, Breve apostolicum ad Ecclesias & Capitula Germaniæ datum per Ordinarios hodie intimari, sed eâ cautela, ne in Brevi illo ulla cujusdam concessionis aut indulti fiat mentio. III.) In vim illius pacti Pontificem sese obligasse, ut mediis etiam severioribus acceptationem precum urgeret; quin in contrarium allegari valeat, qualiscunque Titulus vel Prætextus exemptionis aut non usûs, seu specialis observantiæ. Corollaria, quæ ex his sequuntur, per se patent. *Tantum de hodierno statu primarum precum ex parte Cæsaris Augustissimi.*

PARS II.

De hodierno vero ac genuino statu primariarum precum ex parte Precistarum.

§. I.

Frequentissimas suscitari controversias Precistis per Capitula Germaniæ, res est plusquam nota; putant enim nonnulla Capitula, si Augustissimo suorum jurium atque libertatum Protectori CÆSARI quoad gratiam precum ab illo concessam, posthabita aliquantulum observantiâ atque consuetudine suarum Ecclesiarum, vel semel ac in minimo deferant puncto, Libertati ecclesiasticæ fieri vulnus pergrande ac insanabile, cùm tamen haud ignoretur, tot bonis juribus ac privilegiis innumeris plerasque Germaniæ Ecclesias esse ab Augustissimis Imperatoribus dotatas, ditatasque, & si *per gratias papales informes* Capitula in suis juribus turbentur, ad *Celsissimum Imperiale Judicium alicum* velutì sacram eámque unicam Anchoram salvativam properant, ut vulneri illato feratur medium, ceu quotidiana praxis edocet; verùm hæc incidenter tantum dicta esse volumus, qui hac parte altera Dissertionis solùm hodiernum verum & genuinum statum precum primariarum *ex parte Precistarum* considerabimus, quibus videlicet favorabilibus Rescriptis atque Mandatis IMPERATOR Augustissimus precum à se datarum effectus urgeat, ut Precistæ cum plenitudine fructuum ac jurium sine vel minimâ diminutione præbendam, quam optare iis placuerit, consequantur.

§. II.

§. II.

Atque præprimis videamus, quis Precistarum habeatur favor, si à Capitulis, *Precistæ* obstare Statuta suarum Ecclesiarum, prætendatur; hâc in re extat conclusum Senatus I. aulici datum 1737. in causa Precistæ Cæs. *Rothii* contra *Capitulum Vechtense* sequentis tenoris: "bevorab da die... angezogene aber von kaiserl. Majestät nicht confirmirte vermeyntliche Statuta und Gewohnheiten (als welche sonsten jedes Stift bey sich pro libitu in præjudicium tertii einführen, auch die Canonicos ein Eid darüber abschwören lassen möchten) als allerhöchste Reservatum Cæsareum primariarum precum (so der kaiserlichen Majestät gleich von Zeit der Kaiser-Krönung anklebet, weder schwächen, noch weniger in einigen seinen Effectibus über den Haufen werfen können, auch die Natur und Eigenschaft dieses allerhöchsten kaiserlichen Vorrechts mit sich bringt, daß selbiges indistinctè in quocunque mense seinen effectum plenarium quoad dignitatem, personatum, administrationem & officium auch besonders quoad fructuum perceptionem) wann die optirte Præbende, wie hier, fructifera ist) nulla contradictione obstante, bey allen Stiftern jederzeit vollkommen haben müßte, und durch das Senium eines oder des andern Canonici, weder andere solche unerhebende Einwendungen nicht entkräftet werden möge ꝛc. *a*)

a) Refert hoc conclusum AYRER in Diss. *de Jure primariarum Precum* in append. *n.* 48. — Hoc autem conclusum non intellige de Statutis illis, quæ condita sunt NB. *in utilitatem Ecclesiæ*, atque quibus abusus & corruptelæ eliminantur, tanta enim fuit semper & erit constans Religio Senatûs illius aulici, ut contra utilitatem ecclesiasticam communem rescripturus sit nunquam; sed hoc rescriptum capias de Statutis illis, quæ solam utilitatem privatam atque interesse proprium Capitularium veluti objectum respiciunt, atque de temporali perceptione fructuum disponunt, in odium Precistarum — neque distinguas inter Statuta antiquiora jure primariarum precum, atque condita tum demum, quo consuetudine modò jus precum invaluerat. Etenim inanis isthæc distinctio habetur, cùm in principiis Senatûs Imp. aulici jus primariarum precum Majestati cohærens Coronæ Imperiali censeatur coævum. — Conf. WÜRDTWEIN *subsid. diplom. T. 2. cit.*

§. III.

§. III.

Atque ideò captu haut difficile erit I.) quâ ratione Precistæ, si, qui fatis cessit, Canonicus simul fuerit Possessor FERCULI, istud cum canonicatu & Præbenda simul adjudicetur; equidem Statuta *a*) Ecclesiarum Germaniæ, in quibus usus ferculorum viget, videntur excludere Precistam, cùm ad immediatum demortui Successorem in ordine fercula devolvantur, atque is in *ferculo* vacante in vim Statutorum exclusis ceteris junioribus sit investiendus; verùm quia ejusmodi Statuta privatum solùm hujus aut illius capitularis canonici interesse concernunt, Concilium Imp. aulicum talem dispositionem statutariam Precistæ præjudicare non sinit, teste concluso in causa: **Gallhausen** *contra Capitulum Ecclesiæ Collegiatæ ad S. Severinum* **in Köln** ergienge den 20. Dec. 1770. am Reichs-Hofrath die Urthel: daß die von dem beklagten Collegiat-Stift zum Nachtheile derer kaiserlichen primariarum precum nach Absterben des Canonici BEY dem mitbeklagten Canonico HAGES gestattete optio *ferculi* aufzuheben, somit derselbe seines widerrechtlichen Besitzes zu entsetzen, zu Erstattung aller diesertalben von dem Tage der von dem kaiserlichen Precisten geschehenen Option genossenen Einkünften und Nutzbarkeiten anzuhalten, solche dem Kläger (jedoch gegen Abzug derer inzwischen Titulo Patronatûs jährlich erhobenen und dem Kapitel zu restituirenden 24. flor.) einzuhändigen, und derselbe nunmehro alsofort in den Besitz gesagten Ferculi zu immittiren, und darinnen fernerhin ungestört zu belassen seye.

a) *Fercula* consistunt plerumque *in immobilibus* atque de iis STATUTA *Majoris Archidiaconalis Ecclesiæ Bonnensis* ità habent: *Part. II. Cap.* 10. *Tit.* de optione minutarum decimarum, ferculis, pratis & manualibus Artic. 2: "*fercula nuncupantur* illæ Vineæ, *quæ partim intra murum Dominorum quondam appellatum*, & *extra hic* & *illic situatæ, partim etiam illis*, *quæ fortificationi incorporatæ sunt*, *in Poppelsdorf sitæ* & *surrogatæ reperiuntur. Similia fercula præbendis presbyteralibus annexa sunt perpetuò* & *unà cum illis simul conferuntur*; *de aliis vacantibus ceteri Canonici* (*penes Ecclesiam tamen actu constituti*) *imo etiam primâ die incboatæ Residentiæ*, *salvis defuncti hæredibus annis gratiæ*, *investiri possunt* & *solent*, *non consideratis iis*, *qui possessione illos antecedunt*, *sed Ecclesiam nondum accesserunt.*"

§. IV.

§. IV.

Porro II.) ex principio (§. II.) stabilito colligere est, cur precistas *tertio carentiæ anno* ùtùt Statutis Ecclesiarum aut consuetudine *introducto* gravari non permittat Imperator, sed solùm illi carentiæ anno subsint, de quo fructus per Statua cedunt fabricæ Ecclesiæ; hujus rei testis est sequens Mandatum Celsissimi ejusdem Judicii: In Sachen: *Oudart Jo. Ant. Precista Cæsareus contra Decanum & Capitulum Ecclesiæ Collegiatæ ad S. Dionysium Leodii puncto primarum precum &c.* resolvirte der Reichshofrath den 3. Nov. 1769. ein Decret an das beklagte Stift: *ut supplicantem precistam Cæsareum a die finitæ duorum annorum carentiæ, ad fructus, proventus, & emolumenta omniaque utilia & honorifica præbendæ vi Cæsarearum Precum optatæ indilatè admittat*, NEC TERTIO CARENTIÆ ANNO SUBJICERE *aut gravare præsumat &c.*

§. V.

Quamquam ulterius III.) Statuta Ecclesiarum Collegiatarum Germaniæ velint, ut Dignitates certæ & officia, quandocunque illa vacare contigerit, *non aliter* quàm *viâ Electionis* conferantur, quapropter indubitatum sit, quod sub alternativa mensium in Concordatis Germaniæ non comprehendantur, attamen in vim Literarum Cæsarearum precistæ ejusmodi Dignitates ùtùt electivas optant, atque si contradicatur optio, in Judicio Imp. Aulico sustinetur, ceu colligitur ex Decreto sequenti: In Sachen *Saveur contra Ecclesiam Collegiatam ad S. Opalphum in oppido Lossensi* erkannte der Reichshofrath den 22. Decemb. 1770. an Beklagte ein Decret: *S. Cæsaream Majestatem ac accluso exhibito indignabundè perspexisse, quemadmodum impetratum Capitulum Precistam Cæsareum non solùm in adepta semel possessione optatæ ab ipso cantoriæ & in officio vi illius quietè executo turbare, sed etiam ad novam electionem procedere non reformidaverit: S. Cæs. Majestatem ideò seriò jubere, ut dictum precistam in possessione sua & officio manuteneat, nec ullo modo imposterum turbet, aut à quocunque turbari permittat &c.*

§. VI.

Eadem Precistarum ratio idemque favor habetur hodie penes *Augustissimum* Precistarum *Patronum*, si præbendæ Dignitas e. c. Præpositura vel Decanatus sit annexa: disputant eo in casu Canonistæ, an Precistæ jus sit optandi

præ-

præbendam & Dignitatem ſimul? altercantibus interim juris ſacri Antecesſoribus, quorum alii aſſirmant, negant alii; *a*) Preciſtæ Dignitas unà cum loco in Capitulo adjudicatur teſte concluſo J. I. A. de an. 1756. 23. Dec. in Sachen: *Tardii* contra das Collegiat-Stift St. Johann in Coſtanz fiat Decretum: es habe kaiſerl. Majeſtät aus denen beygeſchloſſenen exhibitis erſehen, wie daß der kaiſerliche Preciſt Melchior *Tardii*, nach Abſterben des daſelbſtigen Pröbſten und Canonici *Rettigs*, in Gefolg ſeiner von kaiſerlichen Majeſtät habenden Precum ſowohl Dignitatem als Præbendam behörig optiret, das Capitul hingegen dieſem zuwider eine anderweite Wahl eines Probſten gegen die kaiſerliche Preces vorzunehmen ſich unterſtanden habe. Allerhöchſtdieſelben wollten daher nicht nur die attentative geſchehene Probſtwahl caſſiren, ſondern auch hiemit dem Capitul anbefohlen haben den kaiſerlichen Preciſt in den vollkommenen Beſitz, der durch Abſterben des vorigen Probſten und Canonici *Rettigs* erledigten, und von ihm legitime optirten Probſtey und Præbend ohne allen Verzug einzuſetzen &c. *a*)

a) Cf. MOSER in *Tractat.* von den kaiſerlichen Regierungs-Rechten und Pflichten *p.* 505. ſeq. — Equidem refert BARTHELIUS *ad Tit. de Præb. & Dign. p.* 221. — *Herbipoli in novo Monaſterio Vicarium quendam Preciſtam ex Mandato Cæſareo de novo incipere debuiſſe, quia inibi conſuetudo vigeret, ut Preciſta ſemper de novo inciperet.* — Ad hoc Mandatum plures jam Eccleſiæ collegiatæ in Conſilio Imp. aulico hactenus provocârunt, ſed fiebat illis exceptio: *Reſcriptum illud non à Conſilio aulico, ſed privatim emanaſſe*; ità nempe ſecundùm principia Judicii Imp. aulici conſuetudo preciſtis odioſa haud toleratur.

§. VII.

Ne porro preciſtæ in vim verborum: *cum plenitudine Juris Canonici & perceptione fructuum*: quæ literis precum inſerta reperiuntur, quidquam fructuum & reddituum beneficialium detrahatur, non ſinit Auguſtiſſimus, Beneficium in odium preciſtarum penſione aliquâ gravari, ùtùt idem Beneficium ipſum vivente antiquo poſſeſſore penſionis oneri fuerit obnoxium; eruitur hic preciſtarum favor ex concluſo ſequentis tenoris: In Sachen *de Verſchuyl* contra *Labey* Ægidium & Franciſcum puncto primariarum precum, beſchloſſe der Reichshofrath den 29. April 1774 1) ein Decret an

an die Gebrüdere *Labey* de non impediendo nec turbando Impetrantem in libera ac omnimoda perceptione fructuum præbendæ ab eodem vi primariarum precum optatæ, sub comminatione, decernendarum alias contra eos ordinationum pœnalium &c. 2) ein Decret ad Capitulum B M V. Mosacense: *ad sacram suam Cæsaream Majestatem Canonicum de Verschuyl querelas detulisse, quod per Mortem Jodoci Goyens vacante, ac impetrante vero vi primariarum precum optata Præbenda, Fratres Ægidius & Franc. Labey, sub prætextu pensionis, per transactionem inter memoratum Goyens & Ægid. Labey dictæ præbendæ impositæ, ipsi magnam fructuum partem percipiant: cùm verò sacra Cæsarea Majestas ejusmodi abusum*, minimè autem in præjudicium precistæ, *indulgere possit, eandem &c. jubere simul Capitulum, ut omnes & singulos optatæ à Precista Præbendæ annexos fructus eidem libere relinquat, ac de his nec minimum ad manus Fratrum Labey pervenire permittat.* 3) Wurde dem Herrn Bischofen zu Lüttich rescribirt, dieses zum Vollzug zu bringen.

§. VIII.

Quanquam maximus in jure sacro communi reperiatur favor juris patronatûs Laici, ut sub Reservationibus nullatenus comprehendatur, neque illi derogari queat, saltem ex Doctrina romanæ Curiæ, si nulla juris patronatûs ejusdem in Literis fiat mentio, imo etsi in *Capitulatione Cæsarea a) Art.* 14. §. 1. disponatur: Augustissimum jura patronorum adversus læsiones defensurum esse, hodie tamen jus patronatus Laicum cedere debet supremo patronatûs juri cæsareo, ceu evincitur ex Rescripto sequenti: In Sachen: *Knechtel* contra das Collegiat-Stift ad B. M. V. zu Schwäbisch-**Gemünd**, puncto primariarum precum, wurde der Supplicant den 12. Dec. 1769. vom Reichshofrath angewiesen, die kaiserliche Preces sondersamst dem Magistrat, als Collatori Ordinario behörig zu insinuiren. 2) Resolvirte der Reichshofrath den 1. August 1770. mit Verwerfung des Magistrats unstatthaften Einwendens, ein Rescript an denselben: den Precisten bey einem sich ergebenden Casu vacaturæ, auf dessen Anmelden, zu dem wirklichen Besitz und Genuß einer Cardinal-Präbend unà cum annexis emolumentis zuzulassen.

a) Ex his cape: quòd verba Capitulationis cæsareæ, in quâ spondet Augustissimus, se defensurum, jura privilegia, consuetudines, observantiam Ecclesiarum Germaniæ & Patronorum intelligenda sint: *salvo Reservato supremo Jure Cæsareo Primariarum Precum.*

§. IX.

Gravior videtur difficultas, *de Præbendis Gratiæ*, an illæ subsint juri precum, ut, si vacaverint, à precista optari queant? præprimis verò paucis notandum est, quod Præbendæ gratiæ sint *Beneficia Authoritate legitima superioris Juri Ordinariorum Collatorum subtracta, atque in alium e. c. Academiam vel Collegium translata*; ejusmodi præbendæ gratiæ existunt propriæ Universitati Coloniensi cui BONIFACIUS P. IX. a. 1394. proprium esse voluit canonicatum tum in Ecclesia Metropolitana, tum in quâlibet Collegiata, qui sub nomine *primæ gratiæ* hodie veniunt, eò quòd EUGENIUS IV. a. 1437. *alterum* in qualibet Ecclesia Colon. canonicatum Universitati concesserit, qui præbenda dicitur *secundæ gratiæ*; Demum PAULUS IV. a. 1558. subtractos Eminentissimo nostro quà indultario aliàs, tres menses *Martium*, *Julium & Novembrem* eidem Universitati assignavit, quæ *gratia* exinde *tertia* dicitur *a*) præbendas triplicis hujus gratiæ non subesse juri primariarum precum contendit H. J. BARTMAN Diss. de Jure cæsar. primariarum precum; nos ne ab instituto nostro recedamus, statum solum hodiernum *b*) misso puncto juris precistarum quoad præbendas gratiæ adferemus.

a) Mirè variavit tempus ad quod hoc indultum tertiæ gratiæ hactenus fuit limitatum. PAULUS IV. primus *ad triennium* solùm concesserat; quem secuti sunt PIUS IV. & V. ac GREGORIUS XIII. hic primò *ad quinquennium* dedit; SIXTUS V. ejus Successor *ad quadriennium*: — CLEMENS VIII. PAULUS V. GREGORIUS XV. URBANUS VIII. INNOCENTIUS X. denuò dederunt *ad quinquennium*; ALEXANDER VII. primò *ad quinquennium*, secundò *ad triennium* & tertiò *ad quadriennium* prorogavit. — Reliqui omnes denuò *ad quinquennium*; BENEDICTUS XIII. primus fuit, qui *ad septennium*; CLEMENS XII. limitavit denuò *ad quinquennium*: Benedictus verò XIV. & Pontifices ceteri *ad septennium* usque — in omnibus autem indultis apostolicis legitur hæc Clausula: *sinè præjudicio venerabilis Fratris moderni & pro tempore existentis Archiepiscopi Coloniensis* — quæritur incidenter: quis sit effectus hujus Clausulæ? hæc Clausula est *Salvatoria* Juris, quod EMINENTISSIMI COLONIENSES ante primum Indultum PAULI IV. Universitati concessum exercuerunt.

b) Jam

b) Jam olim controversiam fuisse exortam inter precistam & provisos ab Universitate Coloniensi, patet ex epistola MAXIMILIANI II. Imp. ad PIUM V. data quam ex originali adfert Jacobus de LADERCHIO *Cong. orat. Presbyter cont. annal. Baronii Tom. XXII. p. m.* 254. quæ, utpote *à cit. Authore Coloniensi* omissa huc transcribitur: *post officiocissimam commendationem filialis observantiæ continuum incrementum. Cùm præter expectationem nostram, imo & contra omnem rationem & æquitatem acciderit, quòd Rector & Provisores seu Defensores Universitatis seu studii generalis Coloniensis... Prætextu cujusdam apostolici Indulti nobis sese opposuerint, & impedimentum inferre conati sint, in præsentatione & executione Precum nostrarum primariarum, seu regalium, quas personis quibusdam gratis & benè meritis, pro antiquissimo Jure, à divis Prædecessoribus nostris Romanorum Imperatoribus ac Regibus devoluto, atque etiam post nostram Romanam Electionem per Prædecessorem S. V.* PIUM IV. *felicis recordationis approbato & confirmato, haud ita pridem contulimus ac dedimus; iidem Rector & Provisores... Declarationem & Confirmationem ejusmodi prætensi Indulti à S. V. requirere atque ut Jus nostrum istbic in dubium & controversiam vocetur, operam dare &c.*

§. X.

Quoad præbendas *primæ* & *secundæ gratiæ a*) equidem Augustissimus Imperator quà *supremus studiorum per Germaniam Protector* una ex parte non sinit ejusmodi Beneficia conferri aliis, *quàm qui Professores actu docentes fuerint*, ceu duo conclusa Celsissimi Judicii Imp. aulici occasione controversiæ sub JOSEPHO II. gloriosissimè regnante enatæ, emanata docent, *unum* in Sachen **von Buschman** contra **Stierz**, de 4. Jul. 1765. *alterum* in Sachen *Broel* contra *Meer* de 22. Nov. 1765. quæ utpote in Dissertatione Coloniensi cit. integra relata huc transumere supervacaneum ducimus; ast verò alterâ ex parte Imperator, si precista iis qualitatibus, quas præbendæ tales gratiæ requirunt, fuerit instructus, urget, ut precistæ & non alteri illa Beneficia cedant, ceu ostenditur ex Rescripto ad Universitatem Coloniensem data de 24 Nov. 1747. quod ab Authore Coloniensi omissum an ex industria an casu? adfert MOSER in Tract. von den kaiserl. Regierungs-Rechten und Pflichten 2. Theil p. 501. Ihro kaiserl. Maj. hätten mißfälligs vernommen, was Maßen sich dieselbe unterfangen

gen den kaiserl. Precisten von Geyer contra Jus anterius primariarum precum des von Wiesenberg erst unnöthiger Dingen wieder zu erwählen, und sub prætextu NB. eines allzuweit gehenden Indulti Pontificii Alexandri VI. de an. 1492. dem Höchsten kaiserl. reservato primariarum precum und dem Juri quæsito tertii ohne verantwortlichen Abbruch und Nachtheil zuzuziehen: wann nun Ihro kaiserl. Maj. solches nicht anderst, als eine nichtige und ahndungswürdige Anmaßung ansehen könnten &c. & *mens. Jul.* 1748. Nachdeme sie, Universität, in ihrem allerunterthänigsten Bericht an kaiserl. Maj. von selbsten verschiedentlich anerkannt, daß sie NB. die kaiserl. Preces auch in den ihr durch päbstliche Bullen überlassenen Präbenden anzunehmen schuldig seye, auch solches bey allen Fällen gethan habe: so verstehet sich vonselbsten, daß sie den Precisten blos nach dem Innhalt des diplomatis primariarum precum und des darinn enthaltenen Befehls nominiren und præsentiren könne, und solches auch in dieser Absicht bey dem von Geyer wirklich gethan &c.

a) Quoad præbendas tertiæ gratiæ Resolutum cæsareum novissimum nobis communicatum non habemus; casu tamen emergente putemus, facilè inhærendo hodiernis principiis Cels. Judicii Imp. aulici precistæ præbendam tertiæ gratiæ adjudicatum iri ex causa indulti satis nota, tum quoque, quòd ante indultum illud tertiæ gratiæ supremum Reservatum Jus precum fuerit exercitum, cui nullibi est derogatum; miramur verò Authorem Coloniensem *Diss. cit.* docuisse, indultum illud *tertiæ gratiæ* in Conc. Tridentino fuisse firmatum: videl. *Sess.* 5. *C.* 1. *de Ref.* cùm tamen oppido constet *Sessionem* illam fuisse habitam *an.* 1546. *die* 8*va Mensis Aprilis*; indultum verò illud concessum primò fuit an. 1558. quomodo autem indultum *nondum existens* confirmatum dici possit, capere haud possumus.

§. XI.

Quæ foveat sensa Senatus Imperii aulicus quoad facultatem *resignandi* & *permutandi* Beneficia ecclesiastica, inquiramus, & quidem *facultatem resignandi* quoad concernit, passim convenit, Beneficia ecclesiastica resignari non posse, præsente precista, atque uti refert Cl. Dürr *a*) postquam Franciscus I. contra Resignationes in favorem in præjudicium precistarum factas querelas detulit ad Benedictum XIV., hic declaravit Imperatori,

quod

quod nolit imposterum acceptare Resignationes in favorem factas.. extante adhuc precista Imperiali necdum proviso; quinimo non desunt *conclusa* Judicii Imp. aul. quibus ejusmodi Resignationes in favorem, nolente precista, factæ, eodem instante in nihilum redigebantur. Quò spectat conclusum de an. 1751. 22. Oct. ad Ecclesiam S. Joannis Evangel. Leodii apud MOSERUM in Tract. von den kaiserl. Regierungs-Rechten und Pflichten *p.* 505.

a) Diss. *de Beneficio Authoritate Episcopali legitimè permutato ad effectum primariarum precum haud vacante.* Mog. 1765.

§. XII.

Verùm num præsente adhuc Precistâ, *permutatio* quoque *Beneficiorum*, uti resignatio sit prohibita? majorem patitur difficultatem. Etenim strenuum contra precistam vindicem pro facultate permutandi agit Celeb. DÜRR l. c. ex motivis sequentibus: 1) ex jure canonico communi *a*) *Beneficia permutantibus præcisè sunt conferenda*: & quidem 2) *licet in Diæcesi aliqui Authoritate apostolica Beneficia proximè vacatura expectant*; igitur 3) etsi etiam Authoritate cæsarea aliqui habeant expectativas, cùm hæ Expectativæ cæsareæ maximam habeant analogiam cum expectativis pontificiis, atque harum occasione & cum his fuerint natæ; denique 4) modus obtinendi Beneficia per Preces Cæs. spectat tantùm ad modos consuetudine introductos, qui non præfertur modo permutandi jure communi stabilito, 5) accedit unanimis ferè Catholicorum quàm Protestantium sententia contra Precistam; verùm his non obstantibus extat *de permutationis casu* conclusum de an. 1753. die 9 Jul. in causa Joannis Bapt. *van der Driesche* contra H. R. *Moreau* & Sebastianum *de Sluse* puncto primariarum precum sequentis tenoris: *cum inclusione exhibiti de præsent.* 18. *Jun. a. c. rescribatur D. Cardinali Episcopo Leodiensi*, "*S. C. Majestatem* „*primas Preces in Ecclesia Collegiata S. Bartholomæi Leodii J. B. von* „*Driesche fuisse infirmatas*, *cùm nuper Sebastianus de Sluse ejusdem Ecclesiæ* „*primariarum precum à D. Carolo VII. sibi collatarum*, *Beneficio Scho-* „*lasticus & Canonicus Canonicatum & Scholastici munus*, *cessis sibi à* „*R. Moreau Beneficiis ecclesiasticis*, *permutâsset*, *Sebastiani de Sluse* attentata permutatione canonicatum & Scholastici munus vacâsse, Joannem „von der Driesche competente sibi primariarum precum jure ea optâsse, „quare S. C. Majestatem Domini Cardinalis Episcopi æquitati confisam eun-

„dem

„dem jubere, ut J. B. von der Driesche contra S. Sluse & R. Moreau „machinationes protegat in capienda Possessione Scholastici muneris & cano„nicatus eo præsto sit, & qui S. C. Majestati optemperaverit in termino „duorum mensium humillimè S. C. Majestatem informet." Neque ab hac opinione ex principiis suis Senatus Imp. aulicus sese dimoveri sinit, & quidem 1) quod in præjudicium reservati juris supremi cæsarei jus commune nihil statuere possit, nec velit; cùm enim jus primariarum precum sit *jus singulare*, non venit sub prohibitione generali; quia igitur permutationes prout hodie fiunt ex causa solùm commoditatis nocent precistis, non attenditur prohibitio juris communis utpote generalis; inde 2) Senatus Imperii aulicus non patitur; preces primarias confundi cum precibus & expectativis pontificiis, quibus Papa in favorem permutantium præjudicare potuit, quia suæ erant expectativæ, in præjudicium autem precistarum disponendi facultas negatur Pontifici. Quod ex eodem fonte profectæ sint preces cæsareæ, ex quo manârunt expectativæ pontificiæ pariter negatur à Senatu I. aulico, quia Jus precum fundatur in supremo Advocatiæ Jure, quod Majestati indivulsè cohæret: inde neque passi sunt Augustissimi, dum in Concordatis & Conc. Tridentino expectativæ pontificiæ uno ictu fuerunt abolitæ, quidpiam statui in præjudicium Juris primariarum precum, inde omnis ruit analogia inter expectativas pontificias utpote hodie abolitas & cæsareas solidè adhuc subsistentes; negatur porrò modum precum ex sola consuetudine proficisci seclusâ Majestate, cui supremum Jus advocatiæ adhæret. — Demum neque attendunt, quidquid pro Capitulis affectu & præjudicio pleni scribant Canonistæ, sed quid principiis, quibus supremum hoc reservatum cæsareum apud J. I. Aulicum innititur, sit conforme; hæc fundamenta Celsissimi Senatûs pridem advertit Ci. BRAND Diss. de precibus primariis docens: *Scriptoribus* (qui affirmant permutationem fieri posse in præjudicium Precistæ) *tutò me non committerem, siquod Beneficium haberem, illudque vel permutare vel resignare in favorem tertii præsente adhuc Precista, qui litem facilè mihi movere posset & NB. non sine ratione; nam si id liceret, in fraudem Juris primariarum precum resignationes fieri possent, hinc tutius longe est, expectare, usque dum Precistæ Beneficium aliud vacans collatum sit.*

a) *Clem. un. de rer. permut. & cap. un. de rer. perm. in 6.*

§. XIII.

§. XIII.

Quod si Ecclesia hactenus in Imperio germanico extiterit libera exercitio Juris primariarum precum, adeò ut hactenus nullus apud eam precista cæsareus apparuerit, atque nihilominus nulla libertatis illius ratione habita AUGUSTISSIMUS Preces ad præbendam primò vacantem in illa Ecclesia largiatur, quis erit Status hujus novi precistæ? nunquid de jure patietur repulsam? id equidem videri posset, ex eo, quòd Jus primariarum precum limitatum videatur, ad observantiam & consuetudinem antiquam; ubi ergo consuetudo Juris precum locum non habet, precistæ pulsanti clausum manebit ostium. Verùm hanc consuetudinem non obstare precistæ in principiis Judicii Imperialis aulici patet ex Resoluto cæsareo: In Sachen **von Lilien** zu **Knippenburg** Freyherr, Namens seiner Tochter, contra das adeliche freyweltliche Stift **Stoppenburg**, puncto primariarum precum, erforderte der Reichshofrath den 6. Jul. 1772. des Stifts-Bericht. Als dieser eingelangt ware, sprach der Reichshofrath den 1. Jun. 1774. mit Verwerfung sämtlicher von dem beklagten Stift gegen die verliehene kaiserliche Preces primarias gemachten unstatthaften Einwendung, werde nunmehro demselben anbefohlen, sothane kaiserliche Preces ohne weiteres anzuerkennen, sofort die kaiserlichen Precisten wie zur option einer erledigt werdenden Präbende, also und sofort auch zu Abführung der nach dortigem Herkommen erforderlichen Adelsproben zuzulassen. &c. — Cui accedit aliud conclusum: In Sachen *Nau* contra das Collegiatstift zu unserer Lieben Frauen in **Worms** erkannte der Reichshofrath den 11. April 1775. ein Decret an den Probsten dieses Stifts: die dem Imploranten von kaiserl. Majestät ertheilte primarias Preces behörig zu respectiren, und ohne Weigerung anzunehmen, so nach denselben seiner Zeit in Optirung der sich nächstens erlädigten Präbende nicht zu behindern, auch sämtliche indessen verursachte Kosten und Schaden ihme zu ersetzen. &c. — Atque hæc conclusa innituntur pacto illi solemni an. 1711. concluso & an. 1714. confirmato (§. IX.) vi cujus ipse adeo Pontifex promittit, se omnibus mediis curaturum, *ut* inter alia *Preces primariæ excutioni dentur, quin in contrarium allegari valeat, qualiscunque titulus aut prætextus exemtionis aut* NB. NON USUS. — Hæc si attentiùs considerentur, haut credimus esse verisimile, quod scribit Cl. DÜRR *Diss. cit. C. II. in notis* lit. *b*) videlicet: *nonnulla Capitula Germaniæ hactenus Precibus libera, solùm ad captandam Benevolentiam Cæsaream primarias Preces novissimis temporibus acceptâsse.* &c.

§. XIV.

§. XIV.

Equidem plura alia adhuc ſupereſſent, prorſus digna, quæ adferrentur; verùm urgente temporis brevitate, jubemur, ut, quæ hactenus de hodierno vero ac genuino ſtatu primariarum precum ex monumentis fidei dignis adtulimus, concludamus; præſertim, quod ex principiis adlatis particularia cetera facili negotio eruantur. Quodſi ſint Eccleſiæ, denuò repetimus, quæ exercitio hujus Juris ſeſe gravatas eſſe putant, non reluctamur, ſi illi ordinaria tentent Juris remedia eaque legibus Imperii conſona, quodſi cauſa cadant, cogitent, alia eſſe eaque juſta Senatûs Imperii aulici principia; quod verò libertates ſuas ſint vindicaturæ, neque tunc inviti ſumus, etenim non inpræſens jus definire, ſed Statum hodiernum primariarum precum tum *ex parte Cæſaris* tum *Preciſtarum* adferre conſtituimus

TANTUM.

XV.

XV.
DISSERTATIO
JURIS ECCLESIASTICI PUBLICI
DE
VERO AC GENUINO STATU HODIERNO ASYLI.
DEFENDENTE D. FRIDERICO MARTIN BONNENSI.

PRÆFATIO.

Quodsi themata Juris ecclesiastici publici sint, quæ mille dubiorum & controversiarum maximi etiam momenti occasio extiterunt, quibus non privati solùm, sed integra Dicasteria, Reges, Principes fuêre involuti, illorum numero meritò adcenseri debet thema: *de Asylo.* Hoc enim, experientiâ teste, tantos motus suscitavit, ut crederes una ex parte totam corruere Christi Ecclesiam, nisi *Asylum* extremis, quæ excogitari modò possent, remediis sustentaretur; ex altera verò parte crederes totam perire Rempublicam, si Asylo in illa præbeatur locus; quamvis tantus Authorum numerus ad Asylum delineandum manus adposuerit, ut referre illos vix sit possibile, tollere tamen dissidiorum radicem potuerunt necdum, quâ ratione igitur nos de Asylo disserentes effectum istum sperabimus? non speramus ex nobis, quia effectus iste non est dependens ex arbitrio privati, sed Legislatorum, qui rectam statuere possunt normam Asyli. Quare, dum de Asylo scribere, constituimus, solùm statum hodiernum, verum tamen illum genuinum, in quo Asylum nunc versatur, adferemus. Sit igitur

§. I.
Quis est Status hodiernus Asyli QUOAD ORIGINEM suam considerati.

In Radicem Dissidiorum, quæ occasione Asylorum hactenus enata sunt, siquis investiget, deprehendet, ferè unicam & solam esse in eo sitam, quòd *vera* Asylorum *Origo* novem Ecclesiæ Sæculis ultra disputata fuit,

integrâ Decretaliſtarum Copia acerrimè prætendente, quòd *Aſyla* debeantur *Juri divino*; aliisècontra, qui in antiquitatis monumentis atque Hiſtoriâ magis verſati ſunt, ſtantibus pro eâ opinione, quòd *Aſylum* ſit donum *ex gratia* & *munificentia Principum* proficiſcens tantùm; hæc ultima opinio, utpote priori illâ prædominante, diu ſuccumbere viſa fuit, donec hocce præſertim Sæculo triumphante veritate prior illa victas tandem *dedit* manus, atque, *Aſylum deberi munificentiæ Principum*, in Academiis nobilioribus Germaniæ vox ferè & Doctrina unanimis facta fuerit, ceu *Elementa Juris eccleſiaſtici germanici* pro erudiendis in veritate animis hactenus edita teſtantur *a*).

a) De RIEGGER Vindobonenſis Inſt. J. E. P. III. à § 848. ſeq — Ant. SCHMIDT Prof. olim Heidelbergenſis *Inſt. J. E. T. I. p.* 422. — P. OBERHAUSER Ord S. Bened. *Prælect. Can. T. II.* ad Tit. *de Immun. Eccleſ.* — P. SCHRAM Benedictinus Banthenſis *Inſtit. J. Eccleſ. Tom. II.* §. 573. *Schol.* 2. — P. Wolffgangus SCHMITT Franciſcanus Fuldenſis in ſuis *Inſtit. Jur. Eccleſ. Lib. III. Tit.* 52. *à* §. *IV. ſeq.* — cetera. Quibus accedunt Diſſert. noviſſimæ in Germania editæ *de Aſylo.* cf. Ant. SCHMITT *Theſ. Jur. Eccleſ. T. V. Diſſ. VII. & VIII.* van ESPEN Diſſ. canonica *de Aſylo Templorum* edita denuo à Cl. Ss. Canonum Anteceſſore Vindobonenſi EYBEL 1774. *Collect. Diſtrib.* &c. — Hæc ſcripta, ſi in Germania de Aſylo ſit quæſto, evolvenda ſunt, atque ſanioribus inſtruentur hàc de re principiis ILLI Germani, qui pro caſu obvio reſolvendo, Authores extraneos, e. c. FERRARIS FRANCISCANUM Italum, conſulere conſueverunt, integra quandoque Dicaſteria & Principes ipſos graviſſimis in Eccleſia diſſidiis involventes, dum jus eccleſiaſticum extraneum cum jure ſacro germanico turpiter commiſcent.

§. II.

CONTINUATIO.

Inter cetera verò adferri hìc meretur non laudanda ſatis SYNOPSIS *a*) *Juris eccleſiaſtici publici & privati, quod per terras hæreditorias Auguſtiſſimæ Imperatricis* MAR. THERESIÆ *obtinet*, edita, jubente eâdem Auguſtiſſimâ, Studio Reverendiſſimi atque incomparabilis Viri D. RAUTTENSTRAUCH Abbatis Ord. S. Benedicti, Vindobonæ an. 1776. quæ *p.* 35. ſeq. *Aſylum* à ſolis Imperantibus eſſe conceſſum ſtatuit, atque, poſtquam opinionem antiquam, quæ Aſylum tribuit Juri divino ceu fonti, attulerat, ait:

ait: *ità quidem olim philosophabantur. At hodiè Philosophia, quæ majoris gratitudinis sit, utimur & quantulumcunque immunitatis superest, illud ex Beneficio Principum habere nos grati recognoscimus* &c. ut verò hæc genuina de Asyli origine principia, eliminatis antiquis, triumpharent penitus, Eadem AUGUSTISSIMA eodem anno *5tâ Octobris* ordinavit in modum sequentem: *b*) daß die auf allerhöchste Befehl herausgebene *Synopsis Juris ecclesiastici* &c. zur Richtschnur genommen, und bey allen Disputationen, welche sowohl auf österreichischen Universitæten und Lycæis, als auch in Klöstern würden gehalten werden, zu Grund gelegt werden sollte &c. Neque hìc stetit sanctissimus pro veritate propaganda in commodum Ecclesiæ & Reipublicæ ejusdem Augustissimæ Imperatricis Zelus, sed insimul eodem anno Lege publica pænali *c*) sancivit: daß alle Clerici sowohl Sæculares als Regulares bevor sie die Ordines sacros erhalten, aus dem Jure ecclesiastico & privato examinirt werden sollten.

a) Digna sunt, quæ de Synopsi illa inquit Cl. SCHOTT, unpartheyische Critik über die neueste juristische Schriften 74. Stück. 8. Band p. 431. 1777. die Sätze aus dem Kirchenrechte, über welche man bey öffentlichen Disputationen auf den hohen Schulen in östreichischen Erblanden zu streiten pflegt, waren bisher oft von der Beschaffenheit, daß sie zu bittern Beschwerden und Zänkereyen Anlaß gaben. Um diesem Uebel abzuhelfen, ist auf allerhöchsten Befehl gegenwärtige Synopsis von dem berühmten und verdienstvollen Herrn Abt Rauttenstrauch in der Absicht entworfen worden, daß in Zukunft in den dortigen Universitäten und Klöstern zu öffentlichen Disputationen über das Kirchenrecht keine andere, als aus diesem Vorrathe gewählte Sätze gebraucht werden dürfen. &c.

b) Extat hoc ordinatum in ACTIS *Historico-Ecclesiast. nostri temporis* XXI. Theil ed. Weimar 1777. N. I.

c) Vide *ibidem*.

§. III.

CONTINUATIO.

Fundamenta verò, quæ Asyli originem ex Beneficio Principum descendere *ad acribiam* usque commonstrant, paucis hæc accipe: Primis Ecclesiæ temporibus præcipuè Seculo IV. Episcopi apud Principes *Preces suas* interponebant pro reis, ad loca sacra confugis, ex Authoritate & arbitrio Prin-

cipum

cipum tum pendebat, num Precibus Episcoporum deferrent, an verò exigente justitia in Malefactores animadverterent: *debeo Beneficiis tuis*, ait S. AMBROS. *Ep.* 42. *ad* THEODOS. *Imp. quibus me petente, liberasti plurimos de Exiliis, de Carceribus, de ultimæ necis pœnis*: subin Imperatores Leges ferebant inhibentes suis justitiæ ministris, ne pœnis ordinariis subjicerent reos ad sacra loca confugas — Subin Imperatores Antecessorum suorum Leges circa Asyla iterum abrogarunt aut limitarunt, alii iterum restituerunt; quodsi aliquando prioribus temporibus etiam in Synodis conditæ sunt Leges circa Asyla, eas semper *de consensu* vel etiam suggestione Principum factis fuisse legimus; occasione Decreti Gratiani, qui falsas & spurias merces Isidori suo Decreto inseruit, Decretalistæ Asylum potestati Ecclesiæ subesse atque ex Jure divino derivare cœperunt, quibus erroribus innixi Pontifices Leges circa Asylum ferendas sibi solis reservatas esse putabant, &c. quæ aliaque plura refert VAN ESPEN *Dissert. Canon. de Asylo Templorum l. cit* a)

a) Cf. de RIEGGER. *l. cit.*

§. IV.

Quis est Status Asyli hodiernus QUOAD ILLIUS LIMITES.

Quod si *Asylum* ex origine sua debeatur unicè Concessionibus Principum non est dubium, quin illud quoque eatenus Potestati *Principis* subsit, ut is, exigente Reipublicæ Bono, statuere queat Limites Asylo, etiam contra receptos Canones, qui aufferre Jus majestaticum Imperantis aut illud restringere nullatenus potuerunt; neque hanc Principum Authoritatem Christus Dominus ullibi in Lege nova minutam voluit aut labefactatam — Die Heiligkeit des Ortes, ait SONNENFELSIUS **Grundsätze der Polizey** §. 329 *p.* 406. wird niemand in Zweifel ziehen: aber wird diese Heiligkeit verletzet, wenn der Missethäter zur Straf gezogen wird? ist der unermeßliche Herr, dem die Kirchen geweyhet sind, weniger der gerechte Richter, als der gütige Erbarmer? hat er, der uns die Barmherzigkeit gegen Nebenmenschen anbefohlen, nicht auch zugleich den Fürsten Gerechtigkeit gebotten?... Mehr: was haben die Diener des Tempels mit den Königen, welche Tempel widmen gemeinschaftliches? welches Antheil haben sie an der Ausübung der Gerechtigkeit, die ein Recht der Fürsten ist, für welche sie zu bethen haben.

§. V.

§. V.

Continuatio.

Atque per Imperantes in plurimis Regnis *hodie* ſtatutos eſſe Limites Aſylo arctiſſimos deprehendimus — *In Gallia* uſus & conſuetudo Aſyli perduravit usque ad annum 1539, quo Franciscus I. (quia experientia docuerat, multiplicari etiam enormiſſima & pernicioſiſſima Crimina ob impunitatem, quam criminum rei per confugium ad Eccleſias ſe obtenturos ſperabant,) edita Conſtitutione artic. 66. declaravit, *quod, dum per judicem fuerit datum Decretum apprehenſionis contra accuſatum de Crimine, vel debito Civili, poterit extrahi ex loco immunitatis, cujuscunque fuerit conditionis*; *ad quam Conſtitutionem docet* Boetius *Deciſ.* 103. *in omnibus Criminibus atrocioribus poſſe criminoſum extrahi ab Eccleſia & per judicem ſecularem extrahitur ſinè Authoritate Episcopi*; ad eam porro Conſtitutionem docet Fevretius celeb. Scriptor Gallus: *ſi Judex eccleſiaſticus interdiceret extractionem rei Criminis ex loco immunitatis Judici ſeculari, atque* NB *cenſuram minaretur ob factam hanc extractionem ex Decreto Judicis ſecularis, poſſet à Decreto Judicis eccleſiaſtici appellari tanquam* ab usu: Porro illam Conſtitutionem Regni Gallicani conſiderans eruditiſſimus Thomasinus *de V. & N. E. Discipl. P. IV. L. II. C.* 88. ait: occaſione hujus Conſtitutionis obliquè & ſenſim labefactata eſſe Aſyla Gallicana, *neque Eccleſia Gallicana, magnopere ſibi laborandum cenſuit ad defenſionem Aſylorum ſacrorum, quorum jam fructus non ille erat, qui olim, optatiſſimus, pænitentiæ publicæ liber uſus, ſed ille potiùs triſtiſſimus, Scelerum impunitas a)*.

a) Adde van Espen *l. cit. Cap. III.* — Igitur in Gallia hodie facta eſt Magiſtratui civili copia reos comprehendendi in ipſo Aſylo, & dijudicandi, utrum donandi ſint Beneficio Aſyli & reſtituendi Eccleſiis, caſus autem rariſſimus eſt, ut rei extracti reſtituantur. Impudens autem & injurioſus Regno Gallicano calamus eſt P. Zech Profeſſoris Ingoldſtad. Diſſ. *de Aſylo* ed. 1761. dum §. 192. *lit. b*) In notis docet, quòd *hæc Galliæ Conſuetudo adſcribenda ſit graviſſimis illius Regni cum romana Eccleſia ac Summo Pontifice Schismatis*: qualiter enim & quando Regnum illud extitit *Schismaticum*? Diſſidia illi Regno fuiſſe cum Pontifice, dum turbata fuere illius Regni jura & libertates, novimus, ſed propterea ſchismaticum fuiſſe dici nequit.

§. VI.

§. VI.

CONTINUATIO.

Porro ex causis gravissimis, quòd multiplicarentur delicta spe Asyli & impunitatis inde consequendæ anno 1776. prodiit Ordinatio AUGUSTISSIMÆ IMPERATRICIS pro Ditionibus Austriacis, multum restrictiva Asyli, atque inter alia inibi decernitur: *solas Ecclesias, non claustra Monasteriorum imposterum gaudere Beneficio Asyli*, atque tanta delictorum copia à Beneficio Asyli excluditur, ut paucissima supersint delicta, quæ Asyli Benefico defenduntur. — In Hispania magis hodie restrictum est Asylum, adeò, ut in qualibet civitate *uni* solùm *Ecclesiæ* ab Episcopo designandæ relictum sit Asylum, cæteris omnibus Ecclesiis & Monasteriis Asyli Beneficio Lege publica destitutis; atque ut hæc Ordinatio Regia feliciori daretur executioni, dicitur eidem accessisse consensum PP. CLEMENTIS XIV. ceu novellæ publicæ tum retulerunt; — Demum si novellis publicis de 29. nuperi elapsi sit habenda fides (quam tamen his in re tanti momenti certo habendam fore nemini obtrudimus) etiam Romæ restricta hodie multùm esse Asyla narrantur.

§. VII.

CONTINUATIO

Quis verò est status Asyli hodie in locis illis, ubi ejusmodi specialissima Imperantium ordinata non vigent? ℞. ibi vivendum erit Constitutionibus Pontificiis novissimis hâc de re editis *Consensu* Imperantium vel *expresso* vel *tacito* receptis. — Videlicet Constitutione GREGORII XIII., GREGORII XIV., CLEMENTIS XII., BENEDICTI XIII. & BENEDICTI XIV. — De quibus de RIEGGER *l. cit.* §. 865. ità docet: *Constitutiones Pontificiæ totam vim suam ex ratihabitione & placito Principum sortiri debent: hinc in quantum consensu imperantium vel expresso vel tacito receptæ sunt, in tantum vigorem suum obtinere dicimus: quod nec aliter Ecclesia unquam agnovit vel agnovisse rectè præsumi potest. Igitur adleganti eas incumbit probatio, an sufficienter promulgatæ, an usu hactenus receptæ?* — Pro *Ducatibus Juliæ & Montium* Serenissimus Elector Palatinus Constitutionem à CLEMENTE XIV. de an. 1772. petiit, & impetravit, quâ Pontifex iste Constitutionem per eundem Serenissimum Electorem pro Palatinatu à CLEMENTE XIII. impetratam, ad Ducatus altefatos extendit: constitu-

ſtituitur ibi: "ut in Civitatibus carcer aliquis à Laicali poteſtate exemptus Juriſdictioni Diœceſani ſubjiciatur; carceris illius cuſtodes & miniſtri in his, quæ ad cuſtodiam reorum & locis immunibus extractorum pertinent, Episcopo omnino parere teneantur. Cùm igitur contigerit delinquentem Laicum ad Eccleſiam, aliúmque locum immunem in Palatinatu confugere, ſi quidem is publica voce & fama reus arguatur ejusmodi criminis, cui juxta Canonicas Sanctiones eccleſiaſticæ Immunitatis præſidium denegatur, non alio ad id requiſito argumento, ſatis eſſe & fore declarat Pontifex, ut ad illius extractionem procedatur per miniſtros Curiæ Laicalis, prævia tamen ſemper licentia ſeu facultate in ſcriptis obtinenda & concedenda à Superiore eccleſiaſtico, ſeu ab alia perſona ad id deleganda, & cum interventu, & præſentia eccleſiaſticæ perſonæ per eundem Superiorem deputandæ ad hoc, ut extractio hujusmodi cum diſtricta modeſtia, & ſine populi ſcandalo perficiatur. Hæc licentia in ſcripto obtinenda, & perſonæ deſignatio ſiat ab ipſo Episcopo, vel ejus Vicario Generali in locis, ubi iſti reſident: alibi verò à Vicariis Foraneis, hisque deficientibus à Parochis locorum, quos ſcilicet Vicarios Foraneos, atque Parochos Episcopus ſemel in conferendo ſingulis eorum officio, irrevocabiliter delegabit: hi tamen de licentia ad extractionem Rei à ſe data, quamprimum certiorem reddent Episcopum, vel ejus Vicarium Generalem. Reus autem hac ratione extractus ad eccleſiaſticum carcerem ſupra deſignatum illico deducendus, ibique cuſtodiendus erit nomine Eccleſiæ, & ſub omnimoda diſpoſitione Episcopi, quoad usque idem Episcopus, vel alius ab eo ad id deputatus de indiciis à ſæculari Curia allatis ſatis cognoverit, & ſua ſententia in ſcripto proferenda declaraverit, conſtare, aut non conſtare de crimine excepto. Si conſtet, reus erit Curiæ ſæculari tradendus; ſi non conſtet, ad locum immunem, unde eductus fuerat, reſtituendus erit.

a) Vid. Ant. SCHMIDT. *Theſ. J. eccleſ. germ. T. V. à p. 423. ſeq.*

§. VIII.

CONTINUATIO.

Cùm verò tantopere variet ſtatus Aſyli, atque diverſiſſimæ ſint locorum hac in parte Leges, quæritur: an Aſyla in locis, ubi vigent, ſecuritatem quoque præſtent ſubditis delinquentibus alieni Territorii aut in illius reipublicæ graviſſimam perniciem, in qua non gauderent Aſylo; e. c. delinquens in graviſſimum Regni Gallicani ejúsve ſubditorum damnum confugit

fugit ad Monasterium quoddam Territorii Vicini, an in hoc gaudebit immunitate, ad effectum ut neque extradi à Principe loci ad Principem delicti neque puniri queat? ℞. *Negativè*: Etenim vel primis Juris principiis repugnat, *Privilegium* posse concedi à Principe, quod vergit in maximum gentis & reipublicæ Vicinæ præjudicium; tale autem privilegium Asyli defenderet hostem gentis Vicinæ, consequenter non patrocinabitur tali delinquenti; potest Princeps privilegiare *suos*, potest aggratiare subditum *suum*, si violaverit jurisdictionem suam, at verò posse privilegiari & aggratiari Asylo extraneum *delinquentem*, cui in loco delicti, quem offendit, non conceditur Asylum, doctrina est turbans pacem inter gentes, atque in nihilum facilè redigens ordinationes regias, cùm, qui Asylum in loco quem delictis suis turbarunt, haud inveniunt, in territoriis Vicinis contra pœnam laterent securi, Regno, illiúsve Legibus, facilè illudentes; talis igitur delinquens ad omnem locum portat *delictum* suum NB. legitimâ ordinatione exceptum *ab Asylo*, sicuti leprosus lepram: requisitus igitur Princeps loci jure merito talem reum Principi proprio extradet: neque tunc Ecclesia conqueri poterit de læso Asylo, quod pro ejusmodi delinquentibus utpote *non suis*, *sed extraneis* non habet.

§. IX.

Quis est Status hodiernus Asyli quoad pœnas contra Violatores illius?

Statum hodiernum pœnarum, quas jura statuunt in Violatores immunitatis Cl. de Riegger adfert *l. cit.* §. 880. his verbis: "Violatores immunitatis „ecclesiasticæ in extrahendo reo utroque jure vindicantur: secundum *Leges* „rei sunt Criminis læsæ Majestatis, capitali & ultimi supplicii animadversione „plectendi; secundùm Canones constituta in eos est inprimis pœna pecuniaria „judicis arbitrio varianda, dein pœnitentia publica, demum *pœna excommunicationis ferendæ sententiæ.* Et infra" verùm *nec Canonico nec Romano Jure Criminali hodie utimur*, si tamen Jus Asyli privilegio Principis, consuetudine usúque legitimo nitatur, illúdque nec expresè nec tacitè sit sublatum, magistratibus illud impune violare non licet, & Ecclesia læsa contra ejusmodi Violatores *debitam satisfactionem* à Principe omnino petere potest" hucusque de Riegger. Itane ex statu hodierno exulabit *pœna excommunicationis* contra Asyli Violatores? Ex mente tanti Authoris, exulabit omninò — neque hujus opinio suis destituitur fundamentis: Eruitur enim hoc haud obscurè ex sacrosancta Tridentina Synodo, apud Palavicinum *Hist. Conc. Trid.* 22. *Cap.* 5 *seq.*

atque

atque SPONDANUM *ad an. Christi* 1563. *n.* 4. *seq.* ubi, cum S. Sedis romanæ Legati nonnulla præparâssent, quæ in favorem immunitatis ecclesiasticæ constituenda essent, & ab omnibus *sub pœna anathematis* observanda, resistentibus FERDINANDO I. gloriosissimo Imperatore & CAROLO IX. galliarum Rege res tota demum *Sess.* 25. *de ref. C.* 20. ad unicum duntaxat articulum eam in formam redacta fuit, quæ solam admonitionem erga supremos Principes adhibendam esse voluit, *ne immunitatem à sibi subditis lædi patiantur, atque severè in eos, qui immunitatem impediunt, animadvertant.* — Ecce! ex mente Concilii Tridentini anathema ferendum non esse contra Violatores Asyli, sed ut Principes pœnis temporalibus coercerent Violatores, voluerunt Patres: neque injustum quid urgebant altè fati Principes apud Patres Concilii Tridentini; Etenim jam diu S. PETRUS DAMIANI Card. Episcopus Ostiensis inter alia à Summo Pontifice emendandâ in Ecclesia significavit, quòd cunctis ferè Decretalibus paginis *anathema* subjungeretur. Cf. SPONDANUS ad *an. Christi* 1065. *n.* 1.

§. X.

CONTINUATIO.

Porrò ex mente citati Authoris Vindobonensis, Asyli privilegium solùm & unicè descendit ex largâ manu Imperantium: itàne conveniens erit & justum, ut Beneficium hoc à Principe concessum immoderato Zelo defendatur summâ extremi supplicii spiritualis pœnâ? præcipuè cùm ferè nunquam contra Reos ad loca sacra confugas sint quidpiam attentaturi Principes, aut quæ illos repræsentant, Dicasteria, nisi saltem ex mente suâ id ipsis videatur exigere ratio boni publici ac Reipublicæ: notorium porro est, extremum hoc supplicium spirituale nemini intentandum esse, nisi qui NB. *Cognito Manifesto suo peccato* CONTUMAX repertus fuerit, quâ ratione verò peccator & *contumax* dici queat ille, qui, quod partem sui officii esse judicat, quà Minister Justitiæ, & Reipublicæ Defensor constitutus à Principe Reos juste se persequi arbitratur, in principiis Rieggerianis comprehendi haud potest. Hæc autem Principia Cl. de RIEGGER aut Spiritui Ecclesiæ sunt consona, aut illi repugnant? *si ultimum*: testimonium perhibeatur hujus repugnantiæ: *si primum*: non erit, cur principia illa penes nonnullos, veluti *exotica* traducantur. — Quænam verò nostra, qui ex principiis alterius hactenus locuti sumus, hâc in re sit opinio, hîc adjungamus: est autem illa ipsa, quæ fuit S. AUGUSTINI contra *Parmenianum C.* 2.

cum quisque Fratrum, id est Christianorum, intus in Ecclesiæ Societate Constitutorum in aliquo tali peccato fuerit deprehensus, ut anathemate dignus habeatur, fiat hoc, ubi periculum schismatis nullum est, ne Ecclesia Christi Excommunicationis Gladio plus perdat, quàm lucretur.

a) Famosum hàc in re extat celsissimi Senatûs Imperii aulici Rescriptum de an. 1771. puncto Banni ecclesiastici in causa prætensi violati Asyli apud Moser Reichs = Staats = Handbuch, 1ster Theil, p. 459. integrum illud à nobis fuisset adlatum, nisi speciales circumstantiæ prohiberent.

§. XI.

Continuatio.

Postremò in materia Asyli aureum illud monitum Celeberrimi Barthelii Opusc. *VI. de Jure Asyli* sequendum esse meritò arbitramur: "propugnent Doctores: ait: solidis fundamentis sanctitatem immunitatis, quin tamen ejus favorem nimis amplient, adeò subtiliter casuum exceptorum verificationem desiderantes, ut ferme nunquam eorum verificatio juxta ipsorum sensum detur; amplectantur potius attenta varietate temporum, multitudine templorum, excrescenteque delinquentium frequentia rigorosas contra confugientes sententias, atque in dubiis interpretationem non faciant ad exclusionem punitionis rei, ut optime monent Card. de Luc. *miscell. disc.* 2. *n.* 9. Bissius *decis. ad moral. scient. Tract.* 4. §. 5. *n.* 27. aliique, qui funditus materiam immunitatis degustarunt, ex hac convincenti ratione, quod in concursu boni publici & privati primum sit præferendum, atque in dubio pro eodem respondendum; dicta enim rigorosior interpretatio ipsam immunitatem ejusque favorem publicum non lædit, cum ipsis substantia seu competentia in nulla quæstione sit, ut supponitur, sed quæstio in ejusmodi casibus exceptis percutiat potius favorem privati criminosi, qui talem non promeretur. Ecclesiarum quoque Antistites & Judices ecclesiastici, si spiritu lenitatis Evangelicæ ducti in hujusmodi casibus, ut Mediatores, Medici spirituales, ac Patres charitate pastorali & opportuna deprecatione pro infelicibus confugis reverentiam Deo debitam, fundatamque in spe correctionis & christianæ Misericordiæ veniam ad illorum salutem æternam duntaxat, non certam quodammodo dominatus imperiosi speciem, ac fere conculcationem Auctoritatis profanæ à se quæri ostendant, facile declinabunt, ne se talibus implicent, in quibus præter scandalum publicum major sæpe est

damni

damni metus, quam ſpes emolumenti, omnemque jurisdictionis conflictum æquanimitatis atque Juſtitiæ laude apud Principes laicos ſemel obtenta devitabunt: Qui Principes, ſi videant, in hac immunitatis materia non præberi fomentum pernitioſis criminibus; ſed confugas implorantes auxilium Eccleſiæ ita ab eadem recipi, ut, dum pro horum ſalute ſoliciti ſunt Paſtores & reverenter obſiſtunt, ne defraudentur confugæ Rei fide, quam habent in veneratione locorum ſacra immunitate gaudentium, minime noceatur alteri parti læſæ, nec faveatur impunitati Reorum, ſed pro exceptis delictis ii conſignentur ſæculari curiæ, & pro aliis criminibus talis fiat com-compoſitio de confugarum conſenſu cum Juſtitia publica & parte damnum paſſa ut illi ſaltem tuti ſint à pœna mortis aut membrorum abſciſſionis, cunctaque ſine perturbatione & cujusquam injuria gerantur, pietate quam filiali cedent non inviti ſanctitati modeſtorum Præſulum, ac velut Imperio Paternæ Charitatis morem gerent."

XVI.

XVI.

DISSERTATIO

DE

DIPLOMATUM USU IN JURISPRUDENTIA GERMANICA, PRÆCIPUE ECCLESIASTICA

DEFENDENTE D. BERNARDO JUNGEBLODT DOERSTENSI.

§. I.

Traditur vera diplomatum notio.

Antequam ad ostendendum diplomatum usum in jurisprudentia germanica eaque ecclesiastica progrediamur, quid *nomine diplomatum* hic veniat præmittendum erit: *Descriptiones* S. Formulæ scriptæ (schriftliche Aufsätze) *jurium & obligationum, vel rerum etiam in facto positarum, solennibus verbis ac ritibus conceptæ a*) relicto illo diplomatum conceptu ECKARDI *b*) *diplomata esse literas patentes Imperatorum, Regum, aliorúmque Principum, quibus varia jura & privilegia, vel etiam res personis, Civitatibus & Collegiis tribuuntur c*) relicto etiam illo JOACHIMI *d*) *überhaupt wird unter dem Wort Diploma verstanden eine offene geschriebene und besiegelte Urkunde, worin eine gewisse Handlung aufgezeichnet ist e*); nullatenus autem adstipulamur iis, qui sub nomine diplomatum nonnisi diplomata medii ævi comprehendunt; aut qui acta publica præsertim recentiora (die neue öffentliche Staatsschriften) à diplomatibus secernenda esse putant.

a) GATTERERUS *in suis elem. art. diplom. universalis* Volum. I. p. 5.

b) *In sua introd. in rem diplom.* §. XV. p. 36.

c) Hunc

c) Hunc enim *diplomatis* conceptum si admittas, solis rebuspublicis earúmque rectoribus jus diplomatum dandorum tribuis, & sic injuriosus evades in privatos, qui, cùm donare, vendere, permutare oppignorare res suas possint, sinè dubio formulis etiam scriptis utendi jus habent, dummodo legibus & moribus reipublicæ, cujus cives sunt, convenienter agant. — Porro si diplomata literas patentes dicas, excludes diplomata, quæ monimentorum adinstar saxis vel metallis item tabellis ceratis inscripta sunt.

d) *In der Einleitung zur deutschen Diplomatik* Hallæ 1754.

e) Hanc descriptionem iisdem de causis rejicimus: tum etiam, quia Sigillorum necessitatem ad diplomata requirit, dantur autem plura, quæ per se ac sua natura Sigillo omni carent.

§. II.

Diplomatum divisio.

D*iplomata* generaliter sumpta, recto ordine ità dividuntur: 1) ratione formæ externæ, in *tabulas*, *codicillos*, & *chartas*; 2) intuitu eorum qui duplomata concedunt, in *ecclesiastica* & *sæcularia*, *publica*, & *privata*; 3) ratione objecti, rerum videl. aut jurium quæ continent in *acta* & *documenta*; 4) ex modo originis in *autographa* & *apographa*; si 5) diplomata integris voluminibus inserta reperiantur, vocantur *Instrumentalia volumina Panchartæ*, *s. Pantochartæ*, *Chartularia*, *Antiquaria*, *Registraria*, *Regesta*, *Transumpta*, *Diplomatoria*, *Bullaria*, *libri Capitales*, de quibus, ne justo longiores simus, videantur artis diplomaticæ Scriptores. *a*)

a) BERGER *de autographis veterum* Vitemb. 1723. GHVLINGIUS *de apographis veterum* ibid. NOUVEAU TRAITE DE DIPLOMATIQUE T. I. p. 162. 233. MABILLONIUS *de re diplom.* L. III. C. 5. §. II. WALDSCHMIDT *diss. de probat. per Diplomatoria*, *vom Beweiß durch Copial-Bücher* edit. Marb. 1726. recusa apud BARINGIUM in clave diplom. p. 391. PUTTERUS *in der juristischen Praxi* p. 69. 192. GATTERERUS. l. c. p. 6. seqq.

§. III.

§. III.

Diplomata, quæ usui inserviunt, genuina sint, oportet.

Ut *diplomata* usui inserviant, *genuina* sint, oportet; quis enim usus esse potest mercium, quas confictas esse constat *a*) Pridem autem inter eruditiores exulavit singularis illa quorundam opinio, qui omnibus diplomatibus bellum indicebant, atque nullum dari diploma genuinum adseverare ausi sunt, de quorum numero est Daniel PAPEBROCHIUS in Propylæo antiquario *b*) ubi tot characteres *genuini diplomatis* adsignavit, quos si adoptemus, omnium diplomatum fides corruit; eundem secutus est GERMONIUS *c*) quorum sententiam resuscitavit J. W. HOFFMANNUS *d*) contra hos enim dudum demonstrârunt artis diplomaticæ excultores, dari plurima diplomata authentica & genuina *e*), conferri autem præ primis desuper meretur opus illud gallicum præstantissimum inscriptum, *encyclopedie ou dictionaire raisonné des sciens, arts, metiers, manufactures par une societé des gens des lettres, mis en ordre & publié par* M. d'ALEMBERT. Verb. DIPLOMATIQUE.

a) Quare non possumus consentire iis, qui diplomata in *vera* & *falsa*, authentica & incerta dividunt, quid enim habet diploma *falsum* & *incertum* de natura diplomatis? quò conducet aliàs, nisi ut erres & decipiaris?

b) *Circa veri ac falsi discrimen in vetustis membranis* excuso in Tom. I. Actorum Ss. Mens. April. ac denuo recuso in Clave diplom. BARINGII p. 229. ad 324.

c) *In Disceptat. de veteribus Regum Francorum diplomatibus ad Mabillonium* edit. Paris. 1703.

d) *In Programmate de lubrico artis diplomat.* Wittenb. 1737.

e) Inter ceteros confer *Mabillonium cit.* & supplementum ejusdem librorum de re diplomatica, ubi & recipies *Papebrochii* Epistolam ad Mabillonium datam, in qua ejusdem ignoscendi postulatio continetur. Adde celeberr. opus cit. *Nouveau traité de diplomatique &c.* PAR DEUX RELIGIEUX *Benedictins de la Congregation de S. Maur.*

§. IV.

§. IV.

Usum diplomatum extra judicium ignoravit antiquitas.

Usum diplomatum in foris ac judiciis Germaniæ si attendamus, antiquissimus est, & coævus existentiæ illorum *a*) obvius autem est ex decretalium Collectione Gregoriana *b*) & specialiter is nobis innotescit ex judicio Henrici IV. Imperatoris adversus Prümiensis monasterii advocatum apud Ill. HONTHEMIUM *c*) de publicandis tamen diplomatibus, de eorundem usu in aliis disciplinis, *Historia* præcipuè & *Jurisprudentia* antiquitas ferè cogitavit nihil *d*); sed vel neglecta prorsus sunt, aut in Scriniis ac Archivis religiosè custodita, tunc demum producta, ubi iis contra adversarios opus erat.

a) *L. Alemannorum C.* 1. §. 1. ita ait: *siquis res suas vel semetipsum ad Ecclesiam Dei tradere voluerit: per Chartam firmitatem faciat, & Testes sex aut septem adhibeat, & nomina eorum ipsa charta contineat & ponat super Altare.* Diplomate hoc deficiente aut deperdito, dabatur repetitio ibid. §. 2.

b) Tit. *de fide Instrument.* & *de Crimine falsi.*

c) Ad an. 1102. H. D. T. T. I. p. 479. ubi Advocatus Monasterio se fundanti in diplomatibus PIPPINI & aliorum Regum Francorum opposuit: *quod penna cujuslibet*, *quælibet notare posset* -- nota hic incidenter: modo eo tempore diplomata fuisse impugnata ùt conficta.

d) Evolve, si lubet, historiographos medii ævi; evolve juris consultos Legum & Canonum Commentatores, illius temporis, diplomatum usum penes illos rarissimum deprehendes.

§. V.

Eorum usus Sæc. XVI. & XVII. potissimum invaluit.

Felicior pro diplomatibus antea sepultis illuxit ætas Sæculis XVI. & XVII. hoc enim tempore hominum eruditorum opera præcipua *in publicandis diplomatibus* versabatur, quorum alia separatim edita, alia conjunctim ac integris voluminibus comprehensa prodierunt *a*) debent autem diplomata lucem, quam viderunt, gallis potissimùm, de quibus diplomatum usus & & studium tandem transiit in Germaniam.

a) Hæc omnia in unum Collecta indicat BARINGIUS in sua Bibliotheca diplomata scriptorum rei diplomaticæ à p. 1. ad 144. quò te remittimus.

§. VI.

§. VI.

Excultum autem diplomatum ſtudium S. XVIII.

Iſta autem huic Sæculo, in quo vivimus, felicitas ſingularis obtinet, quôd ad perfectionis ferè apicem in illo excreverit diplomatum ſtudium ac uſus; ut propterea ſpecialis disciplina, *ars diplomatica* dicta, nata fuerit; ad cujus disciplinæ capita ſingula illuſtranda omnes ingenii ſui vires contulerunt eruditi; quorum alii *de Sigillis* a) & quidquid lectione veterum documentorum indagari potuit, magna diligentia moliti ſunt; alii *monogrammata* b) cum cura ſibi inveſtiganda ſumpſerant; alii materiam & formam diplomatum externam c) *chartam*, *linguam*, *literas*, *abbreviationes veterum*, & *atramentum* pertractarunt; alii diplomatum interiora d) perſcrutati ſunt; quæ obiter & pro notitia notâſſe ſufficiat.

a) Veluti HEINECCIUS in Syntagmate hiſtorico *de veteribus Germanorum aliorumque nationum Sigillis*, *eorumque uſu & præſtantia &c* Lipſ. 1709 — 1719. cum præfatione.

MURATORIUS *diſſ. de Sigillis medii ævi*, *extat*. Tom. III. antiquit. Italic. Diſſ. 35. p. 83. ſeqq adde H. D. T. T. I. in fine.

Juſt. Henning. BÖHMERUS *de jur & authoritate Sigilli authentici* Hall. 1742.

b) Vid. BARING l. c. p. 22. GATTERER l. c. p. 205.

c) GATTERER l. c. p. 35. ſeqq.

d) ECKARDUS l. c. p. 107. JOACHIM cit. *p.* 131. *ſeq.* addantur ſcripta. NELLERI *de Indictionibus*.

§. VII.

Ex quo eximium eſſe diplomatum uſum colligitur.

Quorſum tanta Doctorum induſtria collimavit aliàs, quam ut *ingentem* ac *pereximium* eſſe imo *generalem* diplomatum uſum oſtenderent? quis credat eruditos tanto numero adeò diplomatum ſtudio inſudâſſe, atque eidem omnes ſuas vires conſecrâſſe ad canitiem usque, niſi utilitatem deprehenderent in publicandis diplomatibus, eorumque arte ſpeciali excolenda? ſed nec propterea deerant alii eruditi, qui ſingulari induſtria argumentum

de

de diplomatum usu pertractârunt, adversus Impugnatores & hostes artis diplomaticæ, quorum scripta, quæ huc pertinent, sunt sequentia. *a*)

a) Leibnitii *præfat. in cod. jur. gent. diplom.* cui adjungendus eruditissimus Martene Ord. S. Bened. in eleganti præfatione Thesauro novo Anecdotorum edito Parisiis 1717. præfixa sub initium lit. e.

b) De Ludewig *Præf. de usu & præstantia diplomatum & diplomaticæ artis* præmissa Tom. I. Reliq. Miss. Lipsiæ 1720.

c) Krausii *Programma de usu diplomatum Conradi I. Germaniæ Regis.* Vitemb. 1732.

d) Waldschmidt l. cit.

e) Andreæ Heluigii *Diss. de usu & abusu diplomatum*, Gryphiswaldiæ 1736.

f) *Nouveau traité de diplomat.* cet. l. cit. 1750.

g) Buderi opuscula selectiora juris publici Jenæ 1745. *de Bibliotheca diplomatica* dissertatiuncula epistolaris ad Bern. Pazium p. 678.

h) Eckardi *Proem. Introduct.* cit. Jenæ 1753.

i) Joachimi *Einleitung &c.* cit.

k) Rudimanni *Schediasma de utilitate diplomatum* recusum in Clave diplom. Baringii 1754.

l) Würdtwein *in suis subsidiis diplomaticis* passim.

§. VIII.

Transitus ad Argumentum.

Insignem hi profectò operam rei tum literariæ, tum communi germanicæ præstiterunt, atque id etiam effecêre, ut in jurisprudentia germanica antecessores inter præcipuos ejusdem fontes, aut necessaria saltem subsidia Diplomaticam numerent *a*); ut in suis tum doctrinis ac prælectionibus, tum commentariis, ac varii generis lucubrationibus, *diplomatibus* veluti præcipuis ac solidis juris germanici fundamentis utantur; *b*) ut ii, qui historiam sibi conscribendam adsumunt, eam præcipuè diplomatibus illustrent *c*); at num crederes in media luce adhuc esse, qui hanc diplomatibus prærogativam & utilitatem disputent?

 a) Tan-

a) Tanquam fontis aut ſaltem neceſſarii ſubſidii in jure germanico *diplomaticæ* meminerunt duo JCti Germaniæ: anonymus unus, author vid. principiorum Juris publici eccleſiaſt. Catholicorum: alter celeberr. Joſephus à RIEGGER anteceſſor olim Vindob. in ſuis Inſtit. Jurisprud, Eccleſ. p. I. §. CDXXIII.

b) Ceu teſtantur tot ſcripta, quæ in celebratioribus Germaniæ academiis prodeunt.

c) Teſtem noviſſimum habes, Cl. Chriſt. Jac. KREMER Sereniſſimi Electoris Palatini Conſiliarium Aulicum *academiſche Beyträge zur Gülich und Bergiſchen Geſchichten* T. I. *Manheim* 1769. II — 1776. cui plurima diplomata hiſtoriam Archidiœceſis Colonienſis illuſtrantia adjecit. — Item in libro: *diplomatiſche Beyträge zum Behuf der deutſchen Geſchichtkunde.* I. Stück. — 1756. — II. 1758. — III. 1761.

§. IX.

Argumenti, de diplomatum uſu, ſelecti ratio redditur.

Ita eſt: atque neglecto hoc diplomatum uſu & ſpreto eorundem ſtudio, ni fallamur, factum eſſe credimus, ut, quò ditiores ceteræ terræ ſint, collectis atque in lucem editis diplomatibus propriis, quædam aliæ de iis adhuc eò minus habeant; eruditi avidè hactenus deſiderârunt *hiſtoriam quandam diplomaticam*, quæ ſub labore manuum quorundam diplomaticorum eſſe innotuit; in ipſa noſtra Archidiœceſi plures ad tam præclarum opus admovebant manus, veluti: GELENIUS a) CROMBACH b) HARZTHEMIUS c) OLIVERIUS LEGIPONTIUS d) hæc porro ratio eſt, cur argumentum de diplomatum uſu præplacuerit: neque dicas, proditis de hoc argumento ſcriptis tanto numero, (§. VII.) laborem noſtrum prorſus ſupervacaneum eſſe; reſuſcitâſſe enim 1) argumentum adeò dignum juvat; 2) plurimi ex iis thema hoc generaliter tantùm aut incidenter pertractârunt; 3) quodſi etiam ſpecialiter diplomatum uſum oſtenderint, pro ſuis tantùm territoriis id præſtiterant; præcipuè autem 4) quia ſpecialia quædam jurisprudentiæ germanicæ eccleſiaſticæ capita uſu diplomatum illuſtrare conabimur.

a) De admiranda ſacra & civili magnitudine Coloniæ &c. 1645. item in Vitâ S. Engelberti Archiep. Colon.

b) In

b) In ſua Hiſtoria trium Regum: adde ejusdem epiſtolam ad calcem hujus libri, ubi conatus ejusdem viri in tanto opere iutueberis.

c) In ſuo concepto & typis divulgato ſchediasmate, in quo diplomata plurima S. Annonis Archiepiscopi Colonienſis indicavit, ſed nullum in extenſo orbi literario videre licuit.

d) Ord. S. Benedicti profeſſus celeb. Abbatiæ ad St. Martinum Majorem Coloniæ, in ſua Sciagraphia operis ſibi propoſiti, quam in extenſo refert Georg. Lud. BÖHMERUS in eleganti diſſ. quâ *Origines præcipuorum jurium Archiepiscopi & S. R. I. Electoris Colonienſis* deduxit. Göttingæ anno 1753. in proemio. Sed & hujus operis propoſitum intra fines ſolius conaminis perſtitit.

§. X.

Prænotatur diplomatum uſus in aliis disciplinis à jurisprudentia diſtinctis.

Mittimus verò in præſenti illum diplomatum uſum, quo ceteræ à jurisprudentia diſtinctæ juvantur disciplinæ, cui enim notum non eſt, quòd GENEALOGIA PRINCIPUM infinitis aliàs erroribus obnoxia nitori ſuo & veræ dignitati reſtitui meliùs nequeat, quàm ex diplomatibus? ex quibus certo certiùs disces familiarum origines, earúmque nexum, Imperatorum, Regum, ac Principum ſeriem, agnatos, propinquos adfines *a*) quis ignorat diplomatum influxum in doctrinam de inſignibus, ſeu ARTEM HERALDICAM? ſunt enim diplomata plurima ſigillis munita, unde rectiſſimè edocemur, quando Principes inſignibus primò uti cæperint; quibus armis gentilitiis familiæ illuſtres ab antiquiſſimis temporibus uſæ ſint; quo modo paulatim ſucceſſu temporis aucta, & ſenſim hodiernam faciem induerint; *b*) neque parum utilitatis redundat in GEOGRAPHIAM ex diplomatibus, præſertim illam, quæ eſt *medii ævi*; inde enim disces palatia publica, curtes regias, villas regias & pagos: disces eorum nomina, ſitus, conditiones & fata *c*). Adeò, ut has disciplinas ſinè diplomatum uſu mancas, ac firmo ſatis pede ſubſiſtere non poſſe, juſtè aſſeramus.

a) Sic BERTHA Regina Burgundiæ & Italiæ in diplomate de anno DCCCCLXVI. apud Sam. GUICHENON *in Bibliotheca Sebuſiana Centur. I. n.* I.

n. 1. *p.* 27. adcuratè nobis exponit familiam ſuam: *Ego Bertha Gratia Dei Regina, primùm pro amore Dei, pro amore Domini mei (mariti) beati Rodulphi Regis, & pro anima filii mei* BURCHARDI *Episcopi & eorum, quorum debitores ſumus, &* OTHONIS *glorioſiſſimi Regis, nec non pro anima filiæ meæ Reginæ* ADELHEIDÆ *& filiorum meorum* CONRADI *Sereniſſimi Regis &* RODULPHI *Ducis & pro me ipſa &c.* Ex quo diplomate multo plenius reſtitui poteſt genealogia Regum Burgundiæ, quàm eam exhibuit Hier. GUNDLINGIUS *in Gundlingian.* p. VII. p. 111. confer quoque diploma Frid. I. Imp. apud KREMER cit. de an. MCLVI. quo Abbatiſſam Asnidenſem (Eſſendienſem) in ſuam protectionem ſuscipit: ibi "*ob præclara materia dilectiſſimi noſtri Venerabilis memoriæ* ARNOLDI *Colonienſis Archiepiscopi ſororem ejus* HADEWIGEM *Asnidenſis Monaſterii Abbatiſſam* & BURKARDUM *fratrem ejus de Wida &c.*

b) Conf. ESTOR *in Analectis Fuldenſibus* Obſ. XXVII. p. 76. JUST. HENNING. BÖHMERUS Diſſ. *de varia jurium innovat. per expedit. cruce ſignatorum* C. III. §. V.

c) Sic egregiè geographiam medii ævi illuſtrant traditiones Corbejenſes, quarum monumenta villas pagósque octoginta & tredecim amplius complectuntur, item quam veriſſimum ſit, quod de *Sentiaco* (*Sintzig*) ſcribit OTTO FRISINGENSIS *de reb. geſt. Friderici I.* Lib. II. C III. illud *villam regiam* extitiſſe, discimus ex MABILLONIO de Re diplom. Lib. IV. p. 324.

§. XI.

Oſtenditur diplomatum uſus in jurisprudentia germanica generatim.

Propius autem noſtro inſtituto eſt, ut ad jurisprudentiam germanicam tranſeamus, & quis in ea diplomatum uſus ſit oſtendamus; quod omnes jurisprudentiæ germanicæ ſpecies commune habent, eſt, quod nulla, *hiſtoriâ lucem non præferente*, ſubſiſtat ſolida; *a*) adeò, ut qui felices in jurium quorumcunque ſtudio progreſſus facere conantur, *hiſtoria* nequaquam carere poſſint; *b*) unde enim jurium ſingularium, privilegiorum, concordatorum cauſæ, occaſiones, origines niſi ex hiſtoria petentur? quid neceſſarium magis Jurisconſulto, ac nôſſe jurium progreſſum, acceſſiones, mutationes, harum tempus, cauſam, & occaſiones; hæc omnia fruſtra quæres in eo, qui notitiæ hiſto-

historicæ expers eſt: ecquis verò hiſtoriarum notitiam ſibi comparare poſſe ſperet, *ſine diplomatum uſu?* aperiunt hæc cauſas rerum veras & genuinas, quas annalium conditores vel ignorant, vel ſtudiis partium abrepti celant; produnt eadem acta belli & pacis, eorum conſilia & exitus: denique diplomata fidem hiſtoriarum & chronicorum, quæ ſæpè vacillat, egregiè confirmant & tuentur. *c*)

a) Hiſtoria enim deſtituti in tenebris plerumque repunt, authoritates obvias ſequuntur, dubiisque & incertis opinionibus replentur; imò quodſi practicos ejusmodi juris conſultos in hiſtoria rudes interroges, quare hoc vel illud faciant, nihil aliud reſponſi extundere ex iis poteris, quàm uſum hoc ferre, Magiſtróſque artis ſuæ illud idem feciſſe; præter prolixas imo æternas fere authorum & doctorum citationes, aliud amant nihil: id unum continuò & ubique circumſpicientes, qui in utramque partem cauſas agere, cujuscunque ſententiæ & opinionis queant, prout illorum privata compendia, aut partium ſtudia aut litigantium vota poſtulare videntur absque ullo ad veritatis integritatem intuitu.

b) Adpoſitè in hanc rem ſcribit Melchior Canus de loc. Theol. Lib. XI. C. 2. Quanquam enim de Theologis tantùm ei ſermo ſit, nihil tamen metuimus ejus dicta potiore ratione ad Jurisconſultum applicare. Ità autem ait: *mihi quidem non Theologi ſolùm ſed nulli ſatis eruditi videntur, quibus res olim geſtæ ignotæ ſunt. Multa enim nobis è Theſauris ſuis hiſtoria ſuppeditat, quibus ſi careamus, & in Theologia & in quacunque ferme alia facultate inopes reperiemur.* Cet. Aureum hoc Cani dictum ſi quidam attenderent, non mox hæreticos aut in doctrina catholica novatores traducerent illos, qui ſententias docent, quas ab antiquiſſimis catholicis modò traditas hiſtoriâ duce edocentur.

c) In fuſiùs deducit Leibnitius *in Præf. Cod. jur. gent. diplom.* ſupra cit. adpoſitè juxta & eleganter rem exprimit C. J. de Westphalen in Præf. *ſpecimini docum. ined. Mecklenburgen.* præmiſſa: *diplomatum uſus* inquit, *hiſtorias reſerat, doctrinas juris publici & privati limat, Principum jura à neglectu & inſultu malevolorum vindicat, & ſiquid magis in utilitatem jurisprudentiæ & hiſtoriæ expectare potuit exequitur.* Quid pro diplomatum uſu in jurisprudentia germanica generatim clarius? firmatur id ex Andersonio *de abſoluta Sceptri Scotii poteſtate* p. 15.

§. XII.

§. XII.

Eorum usus in jurisprudentia germanica feudali.

Inter juris feudalis germanici præsidia primum locum diplomata jure merito sibi vendicant; ut siquis sine eorum consultatione de feudis Germaniæ *quid* statuat, uti cæcus de colore judicet; origines, natura, consuetudines feudorum Germaniæ & cuivis provinciæ propriæ *ex diplomatibus* eruuntur; *a*) ad diplomata vel maximè pertinent literæ clientelares, quæ essentialia, naturalia & accidentalia feudorum determinant, ideoque utramque pugnam in decidendis causis feudalibus faciunt: *b*) diplomata determinant statum rei feudalis in Germania; ostendunt nexum Principum Beneficiarium erga Imperium, & antiquitates feudales egregiè illustrant.

a) Decanata aliàs quæstio est in jure germanico feudali, an feuda ecclesiastica Germaniæ natura sua masculina sint an promiscua: prudenter ait KRESSIUS Diss. proëmiali in tractatum Tummermuthii: *Krumstab schleust niemand aus* §. 59. feuda ecclesiastica & masculina sunt & fœminina, nec horum numerus illorum numerum superat; nec in dubio pro ultimis præsumptio aliqua capi potest: sed omnia NB. dijudicanda sunt *ex moribus* diversarum Regionum: unde autem diversas diversarum Regionum mores disces, nisi *ex diplomatibus?* ex quibus idem KRESSIUS l. cit. §. 61. seq. feuda Hildesiensia, Halberstadiensia, Magdeburgensia, Euchstadiensia, Augustana, Constantiensia Moguntina — cet. masculina seu propria esse evincit. De feudis Trevirensibus adde HONTHEMIUM H. D. T. T. I. p. 636. seq. ex quibus ea, quæ BÖHMERUS in suo J. E. P. Tit. de feudis à § LX. & seqq. docet, facilè *ope diplomatum* refutantur.— Adde & KLEUTGEN Diss. *de origine, diversitate & natura feudorum Trevirensium, ex Chartis Trevirensibus* ed. Treviris 1754. ubi varias propositiones J. P. de LUDEWIG, quas Dissertationi suæ *de feudorum Germaniæ & Longobardiæ differentiis* subnexæ observationibus ipsius ad Sam. STRYCKII Examen juris feudalis immiscuit, examinat, & *ex diplomatibus* falsas evincit. — Aliud econtra statuendum esse de feudis Fuldensibus disces ex literis curiæ feudalis Fuldensis sub Adalberto Abbate de 16. Aprilis 1705.

b) De quibus agunt *Buderus* amænit. feud. p. 133. — H. Christ. SENKENBERG in selectis juris & historiarum — SCHANNAT *in clientela Fuldensi.*

§. XIII.

§. XIII.

Nec minor est diplomatum usus in jurisprudentia Germaniæ publica.

Porro in jure Germaniæ publico multum perfectò interest, inspicere diplomata, *a*) in quibus tam benè expressa est genuina Imperii germanici facies, ut eam in diplomatibus velut in speculo limpidissimo intueri queas; ex iis disces, quæ fuerunt jura & potestas Imperatoris, quæ Statuum Imperii; denique rationes territoriorum & mutationes status publici, ex quibus in eam tandem, quâ jam regitur, formam conversa est Germania, distinctè ex diplomatibus eruuntur; demum non leve juris publici germanici fundamentum facit usus & observantia, quæ factis nititur, adeoque ex monumentis fide dignis, actis publicis & diplomatibus eruenda & illustranda *b*); Accedit plures publicas & illustres controversias ex diplomatibus persæpè fuisse decisas *c*); ex quo insignem in jurisprudentia publica esse *diplomatum usum* quam certissimè apparet.

a) Rectè ait de LUDEWIG *in Præf. ad singul. jur. publ.* §. *VII.*: *principio facilè intellexi juris publici germanici rationes genuinas in tanta legum publicarum paucitate & tenebris requirendas præcipuè ex historia & rebus medii ævi, hanc autem in scriptoribus nostris esse admodum fallacem & mancam;... Igitur juris publici germ. Consulto opus esse, cogitare de firmioribus præsidiis, atque hæc demum requirenda ex Impp. Pontificum, Principum codicillis &* DIPLOMATIBUS *plenæ fidei: hæc enim sunt documenta veritatis limpidissima: hæc jura publica produnt: hæc denique faciem reipublicæ ita depingunt, ut forma ejus facilè inde æstimari queat.*

b) Similiter jus gentium consuetudinarium & pactitium ex diplomatibus repetendum & stabiliendum est. Vid. MOSER im *deutschen Staatsrecht* P. II. L. I. C. XXXIII. & XXXVIII. Jo. du MONT *Corps universel diplomatique du droit des gens, ou recueil des traités des paix &c.*

c) Sic famosam causam Monasterium Wadegotiense inter & Comites Saræpontanos in Camera Imperiali agitatam decisam esse *ex Kaysersheimensi* fundationis *diplomate* quod extat apud MAGERUM *de advoc. armat. Cap. XIII. n.* 41. refert LUDOLF *in Symphor.* I. *p.* 1492. apud HONT-

HONTHEMIUM H D. T. T. I. p. 526. — Similiter illuſtris illa controverſia an. 1592. mota in Dom. Electorali Palatina inter FRIDERICUM IV. Electorem Palatinum & RICHARDUM Comitem Palatinum, lineæ Simmerenſis finita fuit diplomate ex Archivo Palatino producto apud TOLNERUM *in Codice diplomatico palatino* §. 140. *p.* 90. *&* 91. Adde A. T. LIEB *Diſſ. de majori perſonarum illuſtrium ætate Sect. II. §. V. & VI.*

§. XIV.

CONTINUATIO.

Non eandem planè eſſe ac uniformem ſingulorum territoriorum formam, ſatis notum eſt; ita ut ferè diverſam pro territoriorum diverſitate formam intuearis; ea autem diverſitas ut plurimum *ex ſpeciali unione* inter Dominos territoriales & ſtatus Provinciales, *ex ſpecialibus compactatis*, ac *literis reverſalibus* enaſcitur; quibus varios jurisdictioni territoriali ex antiquo poſitos eſſe limites deprehendimus: adeoque pro definiendis juris territorialis limitibus ad ea potiſſimum reſpiciendum erit. Unde autem ſpecialiſſimos hosce limites disces exactius quàm ex diplomatibus, chartis antiquis & documentis? *a*)

a) Omnino conferri meretur WEDEKIND Diſſ. *de jurisdictione eccleſiaſtica non reſtringenda* — Heidelbergæ 1775. hìc denuò recuſa. 1777.

§. XV.

CONTINUATIO.

Atque hæc vel maximè in jure noſtro publico ſpecialiſſimo patrio locum habent; ſic Electoratûs Colonienſis Origines aliaque jura territorialia *ex diplomatibus* ſolidè oſtendit BÖHMERUS *a*). Item Natales Eccleſiæ noſtræ metropoliticæ ſub Carolo M. jura honorifica Archipræſulum Colonienſium, *jus pallii*, *anteferendæ Crucis* Archiepiscoporum noſtrorum *Primatum*, *honorem purpuræ ad S. Joannem ante portam latinam*, *Archicancellariatum* apud Sedem apoſtolicam & S. R. I. per Italiam in ſua origine & progreſſu ope diplomatum deprehendet. *b*)

a) Diſſ. ſupra §. IX. cit.

b) Idem l. cit. ubi hæc omnia ex diplomatibus deducta reperies.

§. XVI.

§. XVI.

Diplomatum usus in jurisprudentia germanica civili privata.

Restat nunc, ut paucis diplomatum usum in jurisprudentia germanica civili privata ostendamus. Prima eaque gravis sese sub initium prodit quæstio; ex quo tempore jus romanum peregrinum apud nationes alias atque in Germania receptum fuerit? id autem ex diplomatibus omnium rectissimè edocemur. Etenim in Galliam juris romani placita penetrâsse modò, Sæculis VIII. & IX. tradunt apertè diplomata apud HONTHEMIUM ad an. 797. & 803. *a*) ità ut HEINECCIUS *b*) minus adcuratè scribat, juris romani usum nonnisi Sæculo XII. in Gallia invaluisse; quod verò ad Germaniam nostram spectat, ex diplomatibus eruitur, quòd nonnulla juris romani vestigia Sæc. XII. sese prodant *c*); secus ac Just. HENNING. Böhmerus arbitratur Sæc. XIII. prima ejusdem vestigia in Germania reperiri. *d*)

a) In H. D. T. T. 1. & quod notandum magis in iis diplomatibus nullatenus *ad Codicem Justinianæum*, sed *Theodosianum* provocari, pandectæ enim & Jus Justinianæum nondum in occidente tunc innotuerant; ex quo pariter verosimile fit, tunc adhuc integros in Francia perstitisse Codices Theodosianum & Hermogenianum, quorum hodie nonnisi exigua fragmenta supersunt.

b) In *Hist. Jur. Lib. II.* §. 57.

c) Nempe in diplomate Arnoldi Archiepiscopi Trevirensis in H. D. T. T. 1. ad an. 1181. in verbis: *cumque decem annis sinè ulla interruptione quietis in nostro usu & dominio idem allodium liberè, ut proprium possedissemus*, ubi *ad præscriptionem*, *non germanicam*, sed *juris romani* quæ cum titulo decem annis absolvitur, digitum intendit Arnoldus; cùm germanica XXX. annos desideret, nec ad titulum attendat. Vid. HEINECCIUS *Elem. Jur. germ. Lib. II. Tit.* 4. §. 108. *seqq.*

d) In Dissertatione corpori juris à se edito præfixa Tom. II.

§. XVII.

Ejusdem Continuatio.

Usus diplomatum *in jure germanico privato a*) ulteriùs ſatis elucet ex eo, quòd ex illis 1) tot diverſæ germanicarum gentium conſuetudines ritus & leges provinciales accuratiùs, quàm ex aliis monumentis hauriri poſſint *b*); 2) Sæpiſſimè jurium germanicorum diplomata mentionem faciunt, quæ alibi ſruſtra quæruntur *c*), 3) produnt diplomata ſtatum perſonarum, dominia rerum, conventiones & contractus & ipſam fori conſuetudinem *d*); 4) Quin prætereamus, in materiis etiam civilibus noſtri juris eccleſiaſtici communis præ civili romano peregrino *proëdriam* diplomatibus apertè ſatis definiri. *e*)

a) Germaniam noſtram domeſtico ac proprio jure ſuo nunquam caruiſſe eruditè oſtendit ex diplomatibus Bocris *Diſſ. de Germania jurisprudentia ſua domeſtica nunquam deſtituta.* Bambergæ 1747.

b) Reliqua ut taceamus, quando & quomodo per Germaniam inter conjuges communio bonorum invaluerit, quis fuerit progreſſus ejusdem in Germania per medium ævum, quid de eadem ſpecialiter in Diœceſi Monaſterienſi olim obtinuerit & nunc obtineat, ex diplomatibus deduxit & illuſtravit, J. H. Westhus in Diſſ. Gœttingæ edita an. 1773.

c) Quòd jus uſurarum *decem pro centum* in Germania Sæc. XIII. obtinuerit, edocemur ex Chartis diplomaticis apud Honthemium T. I. p. 789. 792. 811. 822. & alibi.

d) Utì apud Germanos dotem non uxor marito, ſed uxori maritus adferebat teſte Tacito *de Moribus Germanorum*, ità quoque luculenter diplomata vetera docent, ritum hunc diu in Germania ſervatum eſſe, velutì diploma apud Honthemium cit. p. 403. ut prætermittamus alia exempla, quæ habent Leibnitius *in Cod. J. G. D. T. I.* & Miræus *in Codice donationum piarum C. 99. p. 106.*

e) Quod ſolidè oſtendit Endres *Diſſ. de diverſo juris germanici ad civile romanum & canonicum commune habitu.* Wirceburgi an. 1771. Adeò ut inter eruditos deſuper dubitandi ratio ſuperſit nulla — addantur Antonii Schmid notæ ad eandem diſſertationem in Tom. I. Theſauri juris eccleſiaſtici germanici recuſam p. 127.

§. XVIII.

§. XVIII.

Demonstratur diplomatum usus in jurisprudentia germanica ecclesiastica.

Ad *jurisprudentiam germanicam* ECCLESIASTICAM ut faciamus transitum, instituti ratio nos monet: quæ verò de diplomatum usu in historia jurisprudentiæ germanicæ (§. XI.) generatim diximus, ea præcipuè *in jure ecclesiastico germanico* locum habent, singularia sanè in historia jurisprudentiæ ecclesiasticæ capita ope diplomatum tum emendari, tum illustrari possunt, velutì *de Nuntiis Episcopalibus a*), *de Decimationibus Salicis* (*Sal Zehenden*, quæ in aliquibus adhuc locis obtinent) *b*), *de precariarum ecclesiasticarum usufructu c*), *de exemptionibus Religiosorum d*), *de exemptione Clericorum à Jurisdictione Magistratûs civilis e*) cet. quibus, ratione nos monente, supersedemus.

a) Vid. diploma apud HONTHEMIUM T. I. p. 49.

b) Idem l. cit. p. 231. 235. 261. 361.

c) Idem p. 267.

d) Ibidem p. 269. Ubi tamen non in omnibus HONTHEMIO accedimus.

e) Quæ materia sanè ex diplomate Friderici III. Imperatoris civitati Bonnensi dato adhuc inedito egregiè illustrari potest; atque inde penitus corruit opinio, quæ exemptionem illam juris divini esse asserit.

§. XIX.

Et quidem 1. in jure consecrandi Episcopos Suffraganeos Metropolitis Germaniæ reservato.

Quæstio est inter Juris ecclesiastici germanici interpretes vel maximè agitata: utrum Reverendissimis Germaniæ nostræ Metropolitis in suos Subditos *a*) Episcopos Suffraganeos *jus eos consecrandi* ex Legibus Germaniæ pactitiis reservatum sit, aut potiùs restitutum? prodiit de argumento isto anno MDCCLXXIV. Dissertatio Trevirensis, quæ omnino jus hoc Metropolitis restitutum esse ex Concordatis Principum affirmavit: Disserta-

tationi huic ſeſe oppoſuit P. WOLFFGANGUS SCHMITT Ord. S. F. *b*) in ſuis vindiciis an. MDCCLXXV. editis, ubi jus hoc Metropolitis Germaniæ in Concordatis Aſchaffenburgenſibus denuò ademptum oſtendere conabatur.

a) Reprehendit SCHMITT l. c. p. 27. additionem iſtam de SUBDITIS SUFFRAGANEIS inquiens: *an fingi poſſunt Suffraganei non ſubditi?* ità eſt: dantur ſuffraganei verè tales non ſubditi ſeu exempti, qui quà Suffraganei tenentur comparere in Synodo, ſi à Metropolita convocetur, qui exemptionis titulo aliam ſubjectionem erga Metropolitam non recognoſcunt. De his Suffraganeis exemptis, à quo conſecrentur, non eſt opus diſputare, illi enim conſecrantur ab eo cujus juriſdictionem immediatam recognoſcunt.

b) *Recollect. Fuldæ Lector Ss. Canonum.*

§. XX.

CONTINUATIO.

Totum, cui citatus Author innititur, fundamentum, hoc eſt: in Concordatis Aſchaffenburgenſibus per ſummos paciſcentes comparationem fuiſſe inſtitutam inter jus conſecrandi atque inter jus exigendi à Subditis Suffraganeis juramentum; hoc literaliter Metropolitis reſervatur: illud econtra omittitur, ergo à ſe invicem hæc jura diviſa ſunt, & dato ſolùm Metropolitis jure exigendi juramentum à Suffraganeis, Summo Pontifici conceſſum cenſeri debet jus conſecrandi; ex conſequenti quamvis in Concordatis Principum expreſsâ litera Metropolitis jus conſecrandi ſit reſervatum in Verbis: *remittatur conſecrandus aut benedicendus ad ſuum ſuperiorem immediatum*, quia tamen *nonnulla* in Textu Aſchaffenburgenſi (de jure conſecrandi) ſunt ommiſſa, jus illud Metropolitis denuò ſubtractum fuit. *a*)

a) Ità diſcurrit iſte in Vindiciis citatis per totum.

§. XX.

CONTINUATIO

Comparationem inter jus conſecrandi præciſè & jus exigendi debitum juramentum per paciſcentes fuiſſe inſtitutam cerebrina eſt præſumptio, cujus fundamentum attulit omnino nullum; hac præſumptione corruente,

io-

totum ipsius systema de tacitis reservationibus penitus destruitur. Unde autem præsumis hanc comparationem nullibi fundatam fuisse institutam, hanc & non aliam paciscentium fuisse mentem? an non rectiùs ità præsumendum: dum in Concordatis Principum Metropolitis Germaniæ jus confirmandi & consecrandi fuit restitutum, in Concordatis posterioribus quid de utroque isto jure Summo Pontifici redhostimenti loco abdicandum esset, cogitatum fuit; comparatio itaque instituta fuit inter jus confirmandi & consecrandi; jus confirmandi expressa litera à se abdicârunt Metropolitæ, de jure consecrandi in Aschaffenburgensibus nihil expressum extat, neque abdicatum, neque expresse retentum; ergo relictum fuit sub dispositione Concordatorum Principum, adeoque: *remittatur consecrandus ad suum superiorem immediatum seu metropolitam.* a)

a) Ne justo prolixiores simus videatur *Diss. nostra de jure consecrandi* Treviris edita an. MDCCLXXIV. per totum.

§. XXII.

Continuatio.

Atque, quod magis est, præsumptionem nostram de comparatione inter jus confirmandi & consecrandi præcisè instituta, de jure consecrandi *non tacitè* abdicato, vehementer adjuvat *diploma* Eugenii IV. an. MCDXLV a) ad Episcopum Vratislaviensem datum: in quo expressis Verbis declarat, & mandat: *ut Episcopi Consecrationem à suis Metropolitanis recipiant:* Chartæ istæ datæ sunt eo tempore, quo modò Concordata Principum à natione nostra fuerunt acceptata? quis nunc prudenter præsumat aut concludat, in Concordatis Aschaffenburgensibus tertio demum post datum hoc diploma Eugenianum anno initis Summum Pontificem jus consecrandi sibi reservare voluisse, quod brevi anteà tempore Metropolitis Germaniæ expressâ lege competere constituit? Tamdiu enim pro lege constituta, pro pacto antè concluso præsumendum, quousque contrariæ præsumptionis fundamentum NB. *Certum atque in pactis posterioribus positivè existens* in medium produci nequit; ità saniores JCti in materia de præsumptionibus statuunt. b)

a) Apud Continuat. Annal. Baronii ad hunc annum.

b) Atque etiam Archiepiscopus Trevirensis an. 1755. hoc jus suum consecrandi in suos Suffraganeos exercuit, cui exemplo à nobis adducto in Diss. citata, SCHLITT reposuit nihil. Hæc occasione diplomatis ejusque in jure consecrandi usûs dicta sint. Plura *de jure consecrandi* si desideres, Consule Thesaurum J. E. G. Ant. SCHMIDT. Dissertationem alteram T. IV. p. 39. ubi *idem jus consecrandi* Metropolitis Germaniæ vindicat, atque argumenta à ZALLWEINIO *Princip. J. E. T. IV. C. IV.* §. 8. in medio prolata examinat & iis solidè respondet.

§. XXIII.

Ostenditur 2. diplomatum usus in jure augusto primariarum precum Cæsarearum.

Nemo ignorat in jure nostro ecclesiastico augustissimum illud *Jus primariarum precum*; quotquot autem jus hoc precum cæsarearum pertractârunt, utì OLIGENIUS, AYRER, BRAND, IKSTADT, JENICHENIUS *a*) cet. illi diplomata potissimum in subsidium ac usum vocârunt; diploma Rudolphi I. *b*) hactenus plerique omnes asserebant, fore primum, de quo constaret; at postquam à SENKENBERGIO *c*) inventum ac detectum fuit, aliud à CONRADO IV. Germaniæ Rege modò concessum, multum lucis huic juri accessit; quò enim antiquius hoc jus ab augustissimis exercitum fuisse constat, eò solidiori illud semper niti fundamento, nemo non videt; Item altum esse silentium de precibus *Alberti I.*, *Adolphi Nassovii*, *Henrici VII.* & *Ludovici Bavari*, ait Brandt Diss. de Jure Cæsareo primariarum precum; verùm *de Alberto* contrarium docet diploma apud L. B. de GUDENUS *Cod. diplom. T. 2. p.* 989. ad Capitulum Aquisgranense datum; *à Ludovico Bavaro* illud jus fuisse exercitum ostendit ex OEFELIO *rerum Boic. Script.* IKSTADT in Diss. de primis precibus edita an. MDCCLXV. *d*)

a) Hujus Differt. germanice adaucta denuo prodiit an. 1757. sub titulo: *diplomatische und rechtliche Abhandlung von dem Recht der ersten Bitte.*

b) Hoc aliasque precum formulas subsequentes usque ad Josephum II. adducit WÜRDWEIN *subsid. diplom. T. II.*

c) Conf.

c) Conf. DÜRR. *Diss. de Benef. eccles. auth. episc. legit. permut.* nunc denuo recusa *in Tom. V. Thes. J.E.G. p. 273. an. 1776.*

d) Adde WÜRDWEIN *subs. dipl. cit.*

§. XXIV.

Et quidem circa Præbendas gratiæ.

Num Præbendæ gratiæ, quæ authoritate Papali quibusdam universitatibus incorporatæ existunt, obnoxiæ sint huic juri primariarum precum, graves desuper controversiæ fuerunt motæ; sunt, qui similes præbendas huic juri subjacere prorsus negant *a*); quid verò in re ista verius statuendum sit ope diplomatum addiscimus; & quidem illo, quod Maximilianus II. ad Pium V. Papam dedit *b*); quo has præbendas etiam primis precibus obnoxias, dummodo precista, qualitatibus aliàs ad has præbendas requisitis instructus sit, certò certius edocemur; quemadmodum etiam id satis constat ex diplomate seu Rescripto Augustissimi ad quandam universitatem dato, quod à MOSERO *c*) adducitur.

a) Veluti Author Dissertationis, quæ de jure primariarum precum Coloniæ prodiit an. 1773.

b) Diploma hoc ex originali petitum Jacobus de LADERCHIO Congregationis Oratorii Presbyter Tom. XXII. contin. Annal. Baronii inseruit. Adde BUDERI *Symmikta observat. & opuscul. L. 2. p. 131.* Jenæ 1760.

c) *In Tractatu von den Kayserlichen Regierungs-Rechten und Pflichten. 2. Th. f.* 501. an. 1758. ubi Augustissimus "*nachdem sie Universitæt in ihrem allerunterthænigsten Bericht an Kayserlichen Majestæt von selbsten verschiedentlich anerkant, daß sie die Kayserliche Preces auch in den ihr durch pæbstliche Bullen überlassenen Præbenden anzunehmen schuldig seye &c.*" Qualitates autem pro his præbendis gratiæ necessarias in Præcista requiri, docemur ex literis J. Imp. aul. 1766. emanatis, quas adfert idem MOSERUS *in dem neuesten Staats-Handbuch. 2. Theil. 1. Buch 1. Cap. p. 2.*

§. XXV.

§. XXV.

Ac 3. in precibus Archiepiscopalibus.

Thema de Precibus Archiepiscopalibus in jurisprudentia germanica *etsi* notum sit, satis tamen excultum nondum est: eandem materiam speciali systemate excolendam promisit DÜRR *a*) ecquis autem arbitrabitur argumentum istud *sine diplomatum usu* pertractari dignè satis posse? plura diplomata collegit WÜRDWEIN in suis subsidiis diplomaticis Tom. 3. ex quibus nunc rectius ac aliàs indicium *de Precibus Archiepiscopalibus* formari poterit *b*); quid olim in Archidiœcesi nostra circa easdem obtinuerit, edocemur ex diplomate Pii IV. Pontificis ad Joannem Gebhardum Archipræsulem Coloniensem dato adhuc inedito. *c*)

a) In *Diss. de Benef. eccles.* Moguntinæ 1773. sed nondum, quantum nobis constat in lucem prodiit.

b) In præfatione ad Tom. 3. ex diplomatibus notantur sequentia 1) eas esse antiquissimas, quia diploma Mathiæ Archiepiscopi Moguntini ad antiquam jam consuetudinem provocaret; 2) ex ejusdem tenore elucet, preces hujusmodi in exordio Creationis fuisse concessas; 3) pro una tantùm persona, 4) has preces etiam ad monasteria tum virorum, tum fœminarum fuisse directas; 5) ex origine veræ quidem fuerunt preces, quibus tamen exinde comminationes & præcepta accesserunt; etsi 6) aliàs Imperatoriis satis sint conformes, in nonnullis tamen 7) ab iis differunt v. g. quòd exspirent, si ante mortem Archiepiscopi Moguntini concedentis effectum consecutæ non fuerint, quamquam de Precibus Coloniensibus ex art. XXXIV. Capitulationis Ferdinandi Coadjutoris Coloniensis an. 1595. à WÜRDTWEINIO l. cit. n. XXIX. adducto aliud elucet. 8) Non dantur executioni in Mensibus papalibus, in quibus Archiepiscopi ex indulto Beneficia conferunt. *Cet.*

c) Diploma hoc ex originali petitum suo tempore in subsidiis diplomaticis specialibus unà cum aliis publicæ lucis fiet.

§. XXVI.

4. *Ex usu diplomatum colligitur, nonnullas decimas in Germania etiam ex origine sua laicas extitisse.*

Decimas non paucas in Germania dari, quæ originetenus ad Fiscum Regium, aut alios Sæculares Dominos, ùt census species spectabant, optimè è diplomatibus reipublicæ nostræ datis licet intelligere; veluti *a*) ex diplomate *Caroli M.* ad Monasterium Honaugiense dato *b*) ex diplomate ejusdem dato in favorem Ecclesiæ Ultrajectinæ *c*); ex diplomate Ludovici Germanici *d*); Ludovici Pii *e*); Ottonis M. *f*); Henrici III. & *g*) Sigfridi Archiepiscopi Moguntini, aliisque *h*) quod ingentem in doctrina de decimis germanicis præstat usum. *i*)

a) Relato in DOUBLET *Histoire de St. Denis* p. 708. ubi Carolus M. Monasterium Honaugiense à tali præstatione Fiscali eximit, disponendo: quòd *nullum Telonium, neque exclusaticum, neque decimum, neque barganaticum dare debeant*, ex quo manifestum evadit, viguisse decimam quandam ùt speciem telonei.

b) Ex quo diplomate eruitur, viguisse decimam ùt speciem censûs fiscalis, eamque Ecclesiæ Ultrajectinæ è largitione Regia obvenisse. Recitatur diploma apud HEDAM *de Episcopis Ultrajectinis* p. 39.

c) Apud MARTENE *Collect. veter. Scriptor. Monum. Tom. I. p.* 187. cujus verba ità sonant: *Dominus avus noster concessit quandam decimam ad Monasterium altrepiæ de Fisco, qui vocatur Neccranva* — quæ verba nullum sanè dubium relinquunt, quin fuerint decimæ reales, quæ ad Fiscum Regium spectaverint.

d) Apud ECCARD *de rebus franciæ Orientalis Tom. II. p.* 883. ubi Ludovicus Pius Ecclesiæ Herbipolensi inter alias res ab Antecessoribus suis collatas etiam confirmat, *quidquid Karlomannus sive bonæ memoriæ Pippinus Rex & reliqui Deum timentes homines ad ipsam Ecclesiam delegâssent tàm in Rebus, quàm in Marchis ac* DECIMIS, manifesto indicio decimas hic memoratas inter jura ac præstationes dominicas, antequam Ecclesiæ advenerant, fuisse relatas.

e) Apud SAGITTARIUM *in Antiquitatibus Magdeburgensibus* §. 72. ubi Otto M. assignat *Cryptæ Martyrum noviter fundatæ Magdeburgi*,

OMNEM DECIMATIONEM, *quam Teutonici vel Slavi ad Urbem Magdeburg. pertinentem persolvere debent, nec non omnium Teutonicorum* DECIMAM *ad civitatem Frosa.* Cet.

f) Apud HARENBERG *Histor. Gandersheimens.* p. 672. ubi Henricus III. concedit *pagum Empnegavi insuper decimas pascua, piscationes in singulis præfatis locis, unà cum juribus ceteris Regalibus.*

g) In GUDENI T. I. *Cod. diplom. p.* 381. ubi hic Archiepiscopus sibi & suis Successoribus reservavit, *ut solverent cultores terræ aliàs incultæ & montosæ annuatim de Mansis & Jugeribus sub nomine decimæ quadraginta Carratas Vini pontici.*

h) Adde BÖHMERUM erudit. *Diss. de origine decimarum in Germania* — WILL *Diss. de differentia decimarum ecclesiasticarum Sæcularium, præcipuè quoad onus reparandi Ecclesias.* Moguntiæ 1759. HORIX. in Meditationibus & differentia decimarum & ecclesiasticarum & Sæcularium, quæ extant apud L. B. de CRAMER *Tom.* 4. *observ.* MCLXXX.

i) V. g. de præscriptionibus juris decimandi tum extinctiva, tum adquisitiva &c.

§. XXVII.

CONCLUSIO.

Plura alia adhuc Jurisprudentiæ ecclesiasticæ Capita superessent, quæ ex usu diplomatum illustrari possent; satis nihilominus demonstratum esse diplomatum usum in Jurisprudentia germanica præcipuè ecclesiastica, ex hactenus deductis apparet: interea hæc rudi minerva dilineata duximus publico communicanda: paratissimi ad emendandum, siquæ veritati, alicujus juribus aut venerationis debitæ legi contraria fuerint deprehensa nobisque commonstrata.

XVII.
DISPUTATIO CANONICA
AD REGULAM CANCELLARIÆ
DE
NON TOLLENDO JUS QUÆSITUM IN GERMANIA
DEFENDENTE D. FRANCSICO ANTONIO BACHEM BONNENSI.

§. I.

Praxis inter Catholicos est inveterata, quâ Episcoporum Subditi solent *immeditatè* recurrere Romam pro obtinendis gratiis, ut legibus solvantur. *

* Recursus hic *immediatus* ad Curiam romanam quoad subditos Episcoporum pro impetrandis gratiis contra leges, novioris ætatis partus est; olim enim subditi ligandi & solvendi erant à proprio Episcopo — Quodsi radicem primam hujus recursûs immediati investigem, præcipua hæc est, quòd occasione famosæ illius collectionis pseudo-Isidorianæ in Ecclesiam penetraverit principium aliàs inauditum Episcopos ab homine vocari ad regendam Dei Ecclesiam. — Promovit hunc recursum Episcoporum nonnullorum anxietas in dispensandis gratiis contra Canones totius mundi reverentia consecratos, quare aut ipsi in faciendis gratiis Sedem apostolicam consultabant, aut non reluctabantur, si eorum subditi Sedem apostolicam pro faciendis gratiis *immediatè* sollicitarent.

§. II.

Facultatatem hanc faciendi gratiam contra Canones Episcoporum Subditis *immediatè* romano Pontifici disputare non audeo: oportet tamen exercitium illius ad causam justam, * aliasque justitiæ regulas limitari, ut *Jus tertii quæsitum* ejusmodi gratiis non lædatur. **

* Non moror absurdam opinionem illam: Papam contra Canones *sine causa* gratiam facere posse, neque enim Pontifices sanctissimi Canonum vindices & custodes gratiam facere contra leges *sine causa* sunt præsumendi, neque volunt, Conf. TRID. *Sess.* 25, *C.* 18.

** Oc-

** Ordinem enim Juſtitiæ romani Pontifices intervertere nunquam volunt. — Quare plenitudo poteſtatis cum plenitudine Juſtitiæ ſuaviter concilianda eſt.

§. III.

Variis Suggeſtionibus impetrantium atque ſiniſtris narrativis contigit, quod culpa impetrantium (non Summi Pontificis) literæ gratiæ in præjudicium tertii cedentes in Cancellaria romana fuerint expeditæ; quare ad ſuccurrendum malo iſti præſcripta fuit Cancellariæ prætactæ *Regula*: DE NON TOLLENDO JUS QUÆSITUM. *

* Regula hæc à SIXTO IV. Papa an. 1472 Romæ publicata ità ſonat: *Item, ne per varias, quæ pro commiſſionibus habendis in cauſis plerumque fiunt, ſuggeſtiones Juſtitia poſtponatur, idem* N. D. *decrevit & declaravit ſuæ intentionis fore, quod deinceps per quamcunque ſignaturam ſeu conceſſionem pro commiſſionibus hujusmodi per ſanctitatem ſuam vel ejus mandato faciendam, nulli* JUS SIBI QUÆSITUM QUOMODOLIBET TOLLATUR. Eodem tenore ſub INNOCENTIO VIII. an. 1482. hæc regula publicata fuit, & deinceps per Pontifices, donec PAULUS III. ſub initium ſui regiminis ſtatuerit effectum hujus regulæ producendum eſſe *ad quamcunque commiſſionem, ſive mandata aut declarationes, etiamſi motu proprio & ex certa ſcientia, ac etiam ante motam litem à ſanctitate ſua vel ejus mandato emanaverint.* Atque ſub hac *generalitate* regula iſta hactenus conſtanter per omnes Pontifices etiam à ſanctiſſimo D. N. PIO VI. fuit publicata.

§. IV.

Natio noſtra germanica ſibi jam pridem de remedio contra gratias in præjudicium tertii cedentes conſuluit, quando an. 1439 Moguntiæ inter alia S. Concilii Baſileenſis Decreta acceptavit illud Seſſ. XXIII. tollens *Clementinam* quæ incipit: *literis de probation. ut literæ papales nemini præjudicent, niſi ſubſiſtentibus & legaliter probatis motivis, per quæ jus proprium auſeratur.**

* Refertur hoc Decretum integrum in *Tom. I. Concord. Germaniæ p.* 105. *lit. x.* diſponit hoc Decretum generaliter de quibuscunque literis apoſtolicis, quod hujusmodi literæ nemini præjudicent, niſi NB. legaliter per teſtes aut alia documenta conſtiterit, eum, in cujus præjudicium literæ cedunt, aliquid egiſſe, per quod jus proprium aufferatur. — Verus igitur ſenſus hujus Decreti inter Concordata Principum relati

hic

hic eſt, ne jus quæſitum tertio per literas apoſtolicas auferatur, niſi tertius tale factum legaliter probandum commiſerit, per quod jure ſibi quæſito privari mereatur.

§. V.

Cùm REGULÆ CANCELLARIÆ quâ tales ſint in manu ac poteſtate Pontificis Summi, curialiſtæ pragmatici omnes docent, ex plenitudine poteſtatis Regulæ Cancellariæ *de non tollendo jus quæſitum derogari poſſe*, ut literis ſoleat etiam inſeri clauſula: *non obſtante Regula Cancellariæ de non tollendo jus quæſitum* * verùm cùm Concordata Germaniæ ſint perpetua, quæ in vim pacti ſummos paciscentes obligant, Regula hæc pro Germania vulnerari nequit, ** ut tertio in jure ſibi quæſito præjudicium inferatur.

* Quòd hæc clauſula ad ſuggeſtionem ſupplicantis inferatur, praxis teſtis eſt. Conf. Interpretes ad Regulam Cancellariæ *de non tollendo jus quæſitum.*

** Quemadmodum enim invita Natione germanica ab his pactis publicis recedi univerſim nequit, per ſe patet, adlato Concordato Principum, diſſentiente Germania neutiquam derogari poſſe. *Cap. Cæſ. art. XIV.* §. 1. & 3.

§. VI.

Igitur pro Germania certum atque indubitatum eſt principium: *literis gratiæ jus tertio quæſitum nullatenus lædi poſſe ſine conſenſu illius, cujus intereſt*, ex quo conſequitur I) literis gratiæ jus patronorum, ſive *eccleſiaſtici* ſive *laici* fuerint, ſine eorum conſenſu infringi haud poſſe. *

* Cùm admiſſio reſignationum in favorem jus patronorum impediat imò irritum reddat, reſignationes in favorem repugnant Concordatis, ſuffragante apertà literà *Capit. Cæſareæ art.* 14. §. 1. neque hæc Capitulatio diſtinguit inter Patronos *laicos* & *eccleſiaſticos*; quare pro Germania exaudiendum non eſt ſpurium illud principum: *Beneficia juris patronatûs eccleſiaſtici poſſe reſignari in favorem patrono invito*: quod principium veluti manifeſtò repugnans Concordatis merito exploditur.

§. VII.

Quanquam, praxi teſte, literis gratiæ ſoleat derogari juramento, quod jurarunt proviſi in manibus patroni, ex principio tamen generali adlato ſequitur II) hisce juramentis pro Germania aliter derogari non poſſe, niſi quatenus conſentiunt illi, quorum jus læditur. *

* Vi-

* Vigent in pluribus Ecclesiis Germaniæ hæc juramenta, de non dimittendo beneficium, nisi in manibus Capituli, aut de consensu illius. — Solent etiam patroni pro conservando firmiùs jure suo à provisis exigere juramentum, ne Beneficium aliter resignent, quàm in manibus aut de consensu patronorum. — Quodsi dimittatur Beneficium contra juramentum ùtùt relaxatum, invito patrono, hujus jus quæsitum læditur, quod repugnat Concordatis.

§. VIII.

Cùm Episcopis sit jus proprium, Lege divina quæsitum, ferendi leges, atque Ecclesiis collegiatis suæ Diœcesis præscribendi Statuta, quibus cultus divinus atque bonum Ecclesiæ promovetur, sequitur III) non posse *sine Episcopi consensu*, in literis gratiæ derogari Constitutionibus istis, & Statutis Episcopalibus, cum jus Episcopis quæsitum, illis invitis lædi nequeat. *

* Cruciantur interpretes super *Clausulis derogatoriis*, quæ in literis gratiæ leguntur, quis sit sensus & effectus illarum? ego putem sensum & effectum pro Germania omnino à consensu Episcopi dependere. — Huc etiam collimant verba Capitulationis Cæsareæ, quòd *Augustissimus Imperator sit impediturus, ne Archiepiscopi & Episcopi Germaniæ* in juribus suis, Statutis &c. lædantur per literas gratiæ. — Lubrica igitur est opinio, quæ statuit Episcopum, in Germania, circa executionem gratiæ, si Vicarius ejus datus sit Executor, nihil posse, quam adhuc sustinet doctissimus ESPENIUS *J. E. un. P. II. Tit. de Dispensat.* illius enim vel maximè interest, si Constitutionibus & Statutis episcopalibus derogetur, quibus Vicarius Episcopi quà Executor apostolicus nocere nequit.

§. IX.

Quandoque sunt Leges Synodorum provincialium, & Statuta Ecclesiarum Germaniæ Authoritate Cæsaris roborata. Quodsi itaque IV) in literis gratiæ hisce Legibus aut Statutis derogetur, *sine Consensu augustissimi*, ex principio (§. 12.) stabilito consequitur, ejusmodi literas gratiæ ex defectu Consensûs augustissimi impugnari posse. *

* Rarum habemus exemplum in Provincia nostra Coloniensi, quòd Synodus provincialis sub Adolpho Archiepiscopo an. 1549. celebrata, eodem anno literis confirmatoriis ab Imp. CAROLO V. roborata fuerit: *Nos ipsos Canones synodales ratos & gratos habentes & quoad opus est, approbantes, & Decreto nostro corroborantes, imperiali Authoritate*

tate

tate nostra, & quâ aliàs fungimur, vobis omnibus & singulis seriò & sub pœna gravis indignationis nostræ...bujus edicti vigore præcipimus & mandamus, ut ea omnia Provincialis bujus Concilii Coloniensis Decreta in omnibus suis punctis, clausulis, articulis, sententiis & verborum expressionibus, ritè, sanctè, inviolabiliter citra ullam fraudem & tergiversationem, observetis, impleatis, & exequamini &c. Extat hæc Confirmatio imperialis in *Cod. stat. antiquo p.* 420. & *in CC. Germaniæ Tomo VII.* Imperatoris igitur vel maximè intereft, ne eo dissentiente ejusmodi Statuta provincialia per literas gratiæ vulnerentur.

§. X.

Quodsi V) literæ gratiæ derogent fundationum Legibus, atque derogando jus tertio quæsitum aufferatur, non est dubium, quin, tertio dissentiente, hæ gratiæ informes Concordatis Germaniæ adversentur. *

* Casus est iste: Ex Lege fundationis, beneficio familiæ vacante, proximus in sanguine est præferendus, si annos presbyterales habeat, secus præferatur remotior — prior super Lege fundationis, quoad annum presbyteralem impetrat Gratiam apostolicam, quæ cedit in præjudicium remotioris cui ex Lege fundationis est jus quæsitum; quare in Germania ejusmodi gratiæ facili negotio ex principio supra stabilito destituuntur suo effectu.

§. XI.

Ejusdem generis VI) sunt gratiæ, quibus constituitur *pensio* super Beneficio *perpetua*, ut etiam in Beneficio successor, pensionem præstandi onere obligetur. *

* Ejusmodi pensiones perpetuæ repugnant juribus ordinariorum Collatorum; his enim jus est Beneficium sibi vacans conferre cum jure percipiendi reditus pleno & integro, quod jus, promisit Papa in Concordatis Aschaffenburgensibus, se per nullam reservationem, aut dispositionem impediturum esse; constitutâ pensione perpetua jus percipiendi reditus manet diminutum & impeditum; unde in Germania non attenditur differentia inter pensionem ab Episcopo & à Papa constitutum, quòd hæc non illa possit esse perpetua, quam differentiam reddunt plerique juris sacri interpretes.

§. XII.

§. XII.

Demum VII) ſi à Patronis aut Collatoribus fiat proviſio illi, cui neceſſaria eſt Gratia apoſtolica propter ætatis defectum, literæ hæ gratiæ expediri ſolent cum novâ proviſione, obliganturque neo-proviſi, ut in vim novæ proviſionis, inattenta Ordinariorum Collatione Beneficium ingrediantur, imo ſi Beneficium curatum fuerit; poſthabito etiam jure inveſtituræ, ordinariis competente; verùm hæc gratiarum forma in Germania maximam difficultatem patitur.*

* Quia eſt ſpecies novæ reſervationis, quam non admittunt Germaniæ Concordata, quæ cedit in grave præjudicium Ordinariorum Collatorum; quo canone enim nova hæc proviſio præſcribitur? ubi juri inveſtiendi ordinariorum derogandi facultas expreſſa legitur? unde & quid de his gratiis ſentiendum palam eſt.

§. XIII.

Porro praxis quotidiana eſt, quòd, ſi literis gratiæ in præjudicium tertii cedentibus exceptiones opponantur, hæ coram alio judice quàm *Executore apoſtolico* opponi nequeant, * ſpreto penitus judice episcopali ordinario; at verò praxin iſtam multipliciter Concordatis adverſari in aperto eſt. **

* Fundamentum hoc eſt, quòd Judices episcopales ùtùt ordinarii ſint inferiores Executoribus apoſtolicis, quibus, manu Pontificis ſemel adpoſita, Tribunalia ordinaria omnino deferre tenentur.

** Vid. Conc. Principum in Decreto *de Appellationibus* cui conſonat Concilium Tridentinum *Seſſ.* 24. *de Ref. Cap.* 20. ubi disponitur: *Cauſæ omnes ad Forum eccleſiaſticum quomodolibet pertinentes, etiamſi beneficiales ſint, in prima inſtantia coram ordinariis locorum duntaxat cognoscantur &c.*

§. XIV.

Quæ igitur in Germania quoad executionem Gratiarum apoſtolicarum attendenda præcipuè veniunt ex hactenus deductis ſuâ ſponte fluit.

XVIII.

XVIII.

DISSERTATIO
DE APPELLATIONIBUS
PRÆCIPUE
A SENTENTIIS INTERLOCUTORIIS

DEFENDENTE D. CASPARO JOS. BIGELEBEN, ARNSBERGENSI:

§. I.

Dum prima Charitas, Religio, Candor, & integritas vigebant inter Christianos, judicum ecclesiasticorum Audientia exiguas in perscrutandis factis experiebatur molestias, atque in executione Sententiæ difficultatem nullam; sed familiaria Ethnicis probationum pericula, litium anfractus, reorum effugia, Frustrationes & Calliditates, atque præcipuè appellationum pruritus * à Tribunalibus christianorum canonicis tunc exulabant, triumphante justitiâ, mirante gentilitate, Imperatoribus Orientis omnes causas *more Christiano*, id est: sinè litium ambagibus, & SINE APPELLATIONE finiri optantibus **.

* Nonnisi in causis Clericorum & Episcoporum criminalibus & arduis, & quidem ad Synodos provinciales tantùm poterat appellari. Conf. *Can. Con. Nicæn. Can.* 5. & VAN ESPEN *J. E. U. P. III. Cap. X.*

** Hæc sacerdotalis Brevitas in expediendis litibus ità placuit Imperatoribus Orientis, ut contulerint Episcopis potestatem laicorum quoque causas civiles dirimendi, *omni* REMOTA APPELLATIONE: *Episcopale judicium ratum sit omnibus, qui se audiri à Sacerdotibus elegerint, eamque illorum judicationi adhibendam esse reverentiam jubemus, quam vestris deferre necesse est Potestatibus, à quibus* NON LICET APPELLARE, rescripserunt Impp. Arcadius, Honorius, & Theodosius Theodoro P. P. *in l.* 8. *C de Episcopali Audientia.* Nempe Judicia hæc magis ad arcanas conscientiæ leges, ingenuæque pietatis, ac infucatæ justitiæ Regulas, quàm ad Technas, & Vexas exigebantur. Vid. THOMASINUS V. N. E. D. *P. II. L.* 8. *Cap.* 102. *N.* 1.

§. II.

Hanc Justitiæ ac pietati conjunctam sacerdotalem Brevitatem in dijudicandis causis quoque civilibus laicorum CAROLUS M. non solùm confirmavit, sed insuper etiam indulsit, ut in quacunque litis parte alter alterum, etsi reluctantem trahere posset ad Episcopale judicium OMNI penitùs APPELLATIONE INTERDICTA à Sententiis Episcoporum *.

* In CAP. REG. FRANC. apud STEPH. BALUZIUM *Lib. VI. Cap.* 281. ibi: „Volumus, atque præcipimus, ut omnes ditioni nostræ, Deo auxiliante, subjecti, tam Romani, quam Franci, Alemanni, Bavari, Burgundiones, Saxones, Thuringi, Frisones. Galli, Britones, Longobardi, Guascones, Beneventani, Gothi, Hispani, cæterique nobis subjecti omnes, quocunque videantur legis Vinculo constricti, vel consuetudinario more connexi, hanc Sententiam, quam ex sexto decimo Theodosii Imperatoris libro, Capitulo videlicet undecimo, ad interrogata Ablavii ducis illi, & omnibus rescriptam sumpsimus, & inter nostra Capitula pro lege tenendam Consultu omnium fidelium nostrorum, tam Clericorum, quam Laicorum posuimus, lege cuncti perpetua teneant, id est: quicunque litem habens, sive Possessor, sive Petitor fuerit, vel in initio litis, vel decursis temporum Curriculis, sive cum negotium peroratur, sive cum jam cœperit promi Sententia, judicium elegerit sacrosanctæ Sedis antistitis, illico sine aliqua dubitatione, etiamsi alia pars refragatur, ad Episcoporum Judicium cum Sermone litigantium dirigatur. Omnes itaque causæ, quæ vel prætorio Jure, vel civili tractantur, Episcoporum Sententiis terminatæ, *perpetuo stabilitatis Jure firmentur, nec ulterius liceat retractare negotium, quod Episcoporum Sententia deciderit &c.*" — Equidem CAROLUS M hic provocavit ad EXTRAV. I. *Cod. Theod. de Jud. Ep.* quam suppositiam multis argumentis demonstravit JAC. GOTHOFREDUS in Notis ad Extrav. I. cit. · Verúm Edictum hoc CAROLI M. nobis pro Germaniâ & Galliâ certò ostendit Disciplinam judiciorum ecclesiasticorum contra Appellationes interdictas à Sententiis eorum in causis adeò Civilibus. Conf. BŒHMERUS in Corp. jur. can. *Tom. I. in Notis ad Can.* 37. *XI, q.* 1. RUPPRECHT *in Not. hist. Lib. II. p.* 323.

§. III.

§. III.

Quando Sæculo IX. famosissima illa Pseudo-Collectio Isidori Mercatoris in Ecclesias, etiam Germaniæ & Galliæ penetravit, quoad interdictas Appellationes infringi cœpit hæc sacerdotalis Brevitas, atque per spurias decretales in illa contentas diversi judiciorum & judicum Gradus fuêre stabiliti *, *permissis* APPELLATIONIBUS, ex causâ: *ne forsan innocens damnetur, aut Ecclesia aliquod detrimentum patiatur* **.

* Conf. FLEURY *P. III. Instit. jur. eccles. Cap.* 33. VAN ESPEN *J. E. U. P. III. Tit. X. C.* 1. §. *VI.*

** Ita in Terminis Epistola SIXTO I. Papæ à Pseudo-Isidoro falso attributa, relata apud GRATIANUM *Can.* 4. *II. q.* 6. adde suppostitiam Epist. ZEPHERINI P. relat. *ibid. Can.* 8. Generalem verò appellandi Copiam fecit *Canon.* 9. *loc. cit.*, qui JULIO I. P. falso inscribitur, qui ità habet: *Placuit, ut, à quibuscunque judicibus ecclesiasticis ad alios judices ecclesiasticos, ubi est authoritas major, fuerit provocatum, audientia non denegetur.*

§. IV.

Aucta fuit hæc appellandi facultas à Sententiis judicum ecclesiasticorum, quando Sæculo XI. & XII. in Tribunalia ecclesiastica, ex recepto tunc studio Juris romani, penetrarunt formalitates & subtilitates forenses *, atque universa Christianorum judicia inciderunt in maximum Processûs gentilis incommodum **, quorum causa, & occasio erat refrigescens labente tempore Charitas fidelium, ceu GREGORIUS IX. Papa ipsi conqueritur in Bullâ collectioni Decretalium præfixâ ***.

* Conf. RUPPRECHT loc. cit. p. 361.

** Amaras contra id querelas movet D. BERNARDUS Sec. XII. *L. III. de Consideratione Cap.* 2.

*** Verba hujus Pontificis sunt hæc: *Effrænata cupiditas sui prodiga, pacis æmula, mater litium, materia jurgiorum tot quotidie nova litigia generat, ut, nisi justitia conatus ejus suâ virtute reprimeret, & quæstiones ipsius implicitas explicaret, jus humani fœderis litigatorum abusus extingueret, & dato libello repudii concordia extra mundi terminos exularet.*

§. V.

§. V.

Non ſtetit hic mutata, mutatis fidelium moribus, Eccleſiæ Disciplina & facta à ſententiis, & judicatis Tribunalium eccleſiaſticorum inferiorum jure Canonico appellandi copia, ſed mox eodem jure à quibuscunque ſententis, etiam INTERLOCUTORIIS, à quocunque gravamine ſive *judiciali*, ſive *extrajudiciali* etiam à Decretis Proviſionalibus absque exceptione potuit appellari, & provocari *.

* Tot. Titulo *de Appellationibus.* adde VAN ESPEN *loc. cit.*

§. VI.

Contra hanc illimitatam appellationum frequentiam conqueſti ſunt omnium nationum Episcopi, in Concilio Baſileenſi remedium contra illas ſollicitantes, quod etiam Eugenius IV. Papa Seſſ. XX. anno 1435. tulit lato à Patribus Concilii Decreto contra frivolè appellantes *, ne ſuper eodem gravamine aut ſuper eâdem interlocutoriâ vim definitivæ non habente SECUNDO appelletur; quod cùm Patres ejusdem Concilii, ceu inſufficiens contra abuſum agnoviſſent, aliud Decretum efficacius condidere Seſſ. XXXI. prohibens, *ne á gravamine in quacnnque inſtantiâ ante diffinitivam Sententiam quomodolibet appelletur, niſi forſitan tale gravamen extiterit, quod in diffinitivâ Sententiâ reparari nequiret* **.

* Decretum hoc itâ ſonat: *Ut lites citiùs terminentur ſuper eodem gravamine aut ſuper eâdem Interlocutoriâ, vim definitivæ non habente, nullatenus liceat ſecundò appellare, quodque ante diffinitivam frivolè, vel injuſte appellans ultra condemnationem expenſarum, damnorum, & intereſſe in quindecim florenis Auri de Camera parti appellatæ per appellationis Judicium condemnetur.*

** Decretum hoc cum fuiſſet latum à Patribus, diſſoluto jam Concilio ab EUGENIO IV, ac propterea ex hac cauſa authoritatem non haberet, illud ob ſui utilitatem recepit Natio noſtra germanica Moguntiæ anno 1439 inter Concordata Principum, quibus conſenſu ſuo brevi ante obitum acceſſit EUGENIUS Papa, confirmatis quoque iis & acceptatis à Succeſſore ejus NICOLAO V, Conf. CONCORD. GERM. *Tom. I.*

§. VII.

§. VII.

Cùm Jus nostrum ecclesiasticum decretalium, ac præcipuè, quod Processus judicialis per summos Pontifices meliorem in ordinem esset redactus, una cum appellationum Copiâ etiam in fora Germaniæ civilia, etiam suprema subintrâsset *, Imperatores & Status Imperii appellandi facultatem limitarunt anno 1495 in Comitiis Wormatiensibus **, quæ Ordinatio in Recessibus Imperii anno 1508. 1523. 1555 demum in Recessu novissimo confirmata fuit ***.

* Conf. ENDRES Diss. *de diverso Juris canonici ad civile habitu.* In Tom. I. Thes. Schmitt p. 109. FLŒRCKE *de prærog. Jur. Can. præ Justinian.* 1757. Halæ.

** Ordinatio exstat in *Collect. RR. Imp. P. II. pag.* 9. §. 24. his Verbis: Item, als täglich durch unnothdürftig, und freventlich Appellation, die von Beyurtheilen, *Interlocutoriæ* genannt, gefährlich um Verlängerung des Rechten geschehen, auch viel kosten, und Schäden erlitten werden, so soll hinfüran das Cammergericht die Appellation von solchen Interlocutorien nicht annehmen, wo die Beschwärung in der Appellation bestimmt, durch die Appellation von der Enturtheil der Haupsache möcht erstatt, und herwider bracht werden, wie das in Kayserlichen Rechten (vid. Leg. 7. Cod. *quorum Appell. non recip.*) geordnet und begriffen ist.

*** Ordinationes vide in Collect. Recess. cit. *Tom. II. pag.* 126. §. 8. *pag.* 249. §. 4. & *Tom. III. pag.* 104. §. 3. *pag.* 652. §. 58.

§. VIII.

Ecclesiæ quoque nostræ Coloniensis Antistites non deerant in coercendis Appellationibus, præcipuè *à Sententiis interlocutoriis*, atque præprimis THEODORICUS Archiepiscopus Coloniensis anno 1452. simpliciter prohibuit, *ne appellaretur à Sententiis interlocutoriis* *, HERMANNUS vero à Weda anno 1537. prohibuit appellari à Sententiis interlocutoriis, si gravamen per eas illatum per appellationem à Sententiâ diffinitivâ non posset reparari **.

* Statuta illius §. 59. de hac re ita habent: Nemo Procurator, aut Advocatus partem suam inducat ad appellandum & *specialiter ab Interlocutoriâ, quoniam per hoc partes nimium gravantur.* Vid. CODEX *Statutorum antiquus pag.* 262.

** Hic in REFORMATIONE *Judiciorum Colonienſium civilium* à ſe editâ *ſub Rubricâ*: Von Appellationen, ſo von Beyurtheilengeſchicht: §. 4. ita diſponit: Die Appellation von einem Beyurtheil, oder Beſchwerniß ſoll allein zugelaſſen ſeyn, da die Beſchwerungen kraft eines Endurtheils der andren Inſtanz nit wiederholt, oder abgethan werden mögen. Vid. CODEX MAXIMILIANEUS *Tom. I. pag.* 439.

§. IX.

Vis ſaluberrimis contra Appellationes frivolas à Sententiâ interlocutoriâ editis plurimis decretis inattentis antiqua nihilominus ejusmodi indiſtincta appellationum Praxis è foris, præcipuè eccleſiaſticis in Territorio, & Diœceſi etiam Colonienſi eliminari non potuit, teſtante id energicâ peroratione contra Appellationes à Reverendiſſimo noſtro JOANNE GROPPERO * Archidiacono, & Præpoſito Bonnenſi in Concilio Tridentino anno 1552. ad Patres Congregatos habitâ **; ubi, poſtquam diſſeruerat, *inauditum alias in primitivâ Eccleſiâ nomen appellationis, deferveſcente in Judicibus charitate, datóque loco affectibus irrepſiſſe in Eccleſiam, propoſuit Patribus, inter alia eſſe decernendum, ne ab articulis, aut decretis interlocutoriis deinceps provocationes fiant* ***.

* Quæ vir hic pro bono Religionis, & Patriæ ſuo tempore emolumenta præſtiterit, vide ſis ARNOLDI MESHOVII, & MICHAELIS AB ISSELT *Hiſtoriam Religionis Eccleſiæ noſtræ Colonienſis ſub Hermanno, & Gebhardo Archiepiſcopis*; quæ Idiomate germanico anno 1764 prodiit: *à pag.* 54 *& ſeqq.*

** GROPPERUS noſter apud Archiepiſcopum noſtrum Colon. ADOLPHUM anno 1551 Theologi, & Jureconſulti munere perfunctus fuit in Concilio Tridentino, atque die Epiphaniæ 1552 ad Patres Concilii Sermonem ſucco Sapientiæ, & Religionis plenum habuit, ceu mihi teſtantur *manuſcripta*, & adhuc inedita *Acta, & Geſta in Concilio Tridentino per* JULIUM III. *Papam reaſſumpto notata, & compilata à die 26tâ Septembris, anni* 1551 *usque ad diem 8vam Martii anni* 1552 *per Rdos Patres Ordinis Carmelitarum Provinciæ Alemanniæ inferioris* P. Everhardum Billicum, & Patrem Jodocum, *qui Concilio Tridentino interfuère.* — Quod Viri hujus (quantum quidem

dem ego judico) præ omnibus aliis geſtis immortalem reddit gloriam, quod à PAULO IV. Pontifice, ut huic in emendatione morum à Conſiliis eſſet, Romam accerſitus eidem Pontifici, tunc cum Ferdinando Imperatore, & Philippo Hiſpaniæ Rege diſſidiis graviſſimis involuto, hisque cedere nolenti efficaciſſimis verbis Authoritatem & Reverentiam Imperantibus ejusmodi debitam Spirantibus conſuluerit, Imperatori, & Regi ad majorem Eccleſiæ, & Imperii utilitatem cedendum fore. Vid. PALLAVICINI *Hiſt. Concil. Trid. Lib.* 14. *Cap.* 6. *n.* 11. Oblata fuit à Paulo IV. purpura, ſed magnâ animi demiſſione illam recuſavit, obiitque die 19. Martii anni 1559.— Corrige hic Merſæum Cratepolium, qui eundem anno 1553 obiiſſe falſo enarrat.

*** Vide P. SARPI *Hiſt. Conc. Trid. pag.* 300. ubi hæc habentur: De Appellationibus JOAN. GROPPERUS in Concilio & Theologi, & Jureconſulti munerè perfunctus, plurima cum Dignitate diſſeruit in hunc modum. ,,Dum fidei fervor Chriſtianorum pectori inſederat, inauditum appellationis nomen, ſed defervescente in judicibus charitate, datoque loco affectibus, irrepſiſſe in Eccleſiam, propter eas ipſas cauſas, ob quas in forum ſæculare fuerat introductum: nempe ad oppreſſos ſublevandos; Ea propter ſicuti judicia primitus ſolus Episcopus non conſtituebat, ſed Episcopus de Conſilio Sacerdotum: ſic olim non ad unum aliquem, ſed ad aliam Congregationem univerſam appellatum; Verum Episcopis viſum, ſublatis Synodis, more Judicum ſæcularium, forum & Officiales inſtituere. Neque in hoc veſtigio malum pedem fixiſſe, ſed ad abuſus mage majores, quam in foro ſæculari, gradum non cunctanter feciſſe. Illic enim provocationem non fieri niſi ad judicem immediate ſuperiorem; tantum abeſſe, fas ut ſit, ad ſupremum primo ſaltu tendere. Neque licere in articulis cauſæ provocare à *Decretis judicis*, quæ vocantur INTERLOCUTORIA, ſed cauſæ finem, & Decreta litis deciſoria neceſſario eſſe exſpectanda. At contra in Judiciis eccleſiaſticis & appellari â ſingulis Actis judiciis, unde cauſarum immenſitas nascitur; & immediate ad ſupremum, unde ſequitur, extra Territorium, magno cum ſumptuum impendio, & aliorum intolerabilium malorum mole, proficiscendi neceſſitas. Atque hæc non alium ob finem à ſe referri dicebat, niſi quia rei hujusce Reformatione jam inſtituta, quæ & ipſa tota ſcatet corruptelis, & non ſolum

Reſi-

Residentiæ est inimica (ut in Congregationibus à tot eruditis Doctoribus ac Patribus est declaratum) sed & omnem prorsus corrumpit Disciplinam, cum maximo populi & onere, & sumptu & offendiculo; eam ad Originem suam, saltem, quam proxime potest, revocandam censeat, idea quadam perfecta ob oculos posita, in quam obtutu fixo ad eam, quantum rei corruptela patitur, tam maxime accedatur. Monachorum omnium Societates probe institutas, Appellationem omnem vetuisse: atque hoc unicum esse remedium. Alias, quæ tam sublime fastigium attingere non poterant, moderationem adhibuisse, Appellatione intra Ordinis sui Cancellos tantum permissa, & ad alios extra eum Ordinem provocatione prohibita. Eam rem, sicuti sodalitia ea intra rectæ administrationis Regulas feliciter continere conspicitur: ita haud dubie in publico Ecclesiæ regimine eundem effectum producturam, si Appellationes extra Provinciæ cujusque fines non evagarentur. Ad hoc itaque efficiundum, simul ad coercendam litigantium malitiam, Appellationes ad Juris civilis formam reducendas; vetandumque, ne intermedios judices Superiores prætervecti ad supremum pleno saltu provocent: Item *ne ab Articulis aut Decretis interlocutoriis provocationes fiant.* His adhibitis Cautionibus futurum, ut neque causæ Domo procul facessant, neque lites in longum extrahantur: neque in sumptus immodicos, & molestias insuperabiles à Litigantibus incurratur. Atque ut Jus majori fide, ac sinceritate dicatur, restituenda Judicia Synodalia tot tantisque corruptelis non adeo obnoxia".

§. X.

Solida hæc Oratio JOANNIS GROPPERI nostri in Concilio Tridentino habita inattendis Cardinali, & Nuncio Sipontino, nec non Baptista Castello Bononiensi contra positis id effecit, ut Summus Pontifex cum Patribus ejusdem Concilii anno 1561. *Sess. XX. Cap.* 20. absente quidem GROPPERO, sed ejusdem Verbis memoriæ Patrum adhuc altè inscriptis contra Appellationes frivolas inter alia ordinasset: *Appellationes à Sententiis Judicum inferiorum per Superiores quoscunque non esse recipiendas, nisi à diffinitivâ, vel à diffinitivæ vim habente & cujus gravamen per Appellationem à diffinitiva reparari non posset* *.

* Ad-

* Adferam Verba Decreti, cujus *Joannes Gropperus* noster in Concilio Tridentino causa extitit, ex Concilii Tridentini editione primâ Coloniæ anno 1564. typis Materni Cholini factâ: pag. 227. b.) „Causæ omnes ad Forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiamsi beneficiales sint, in prima Instantia coram ordinariis locorum duntaxat cognoscantur, atque omnino, saltem infra biennium â die motæ litis, terminentur: alioquin post spatium liberum sit partibus, vel alteri illarum Judices Superiores, alias tamen competentes, adire; qui causam in eo statu, quo fuerit, assumant, & quamprimum terminari curent, nec antea aliis committantur, nec avocentur: neque Appellationes ab eisdem interpositæ, per Superiores quoscunque recipiantur; eorumve Commissio, aut inhibitio fiat nisi à definitiva, vel à definitivæ vim habente, & cujus gravamen per Appellationem á definitiva reparari nequeat".

§. XI.

Ne quoque in Tribunalibus Romanis reciperentur Appellationes ejusmodi irregulares, Summi Pontifices Regulam præscripserunt Cancellariæ suæ, inhæsivam Consilio Basileensi (§. VI.), & conformem Decreto Consilii Tridentini *.

* Reg. Cancell. 35. apud Chokier *pag.* 383. est sequentis tenoris: „Item idem D. N. ut litibus finis celerius imponatur, & litigantium parcatur sumptibus & expensis, suorum Prædecessorum Constitutionibus & Statutis inhærendo, statuit, & ordinavit, quod in causis in Rom. Curia pendentibus, & quas imposterum in ea quovis modo contigerit agitari, nulli ante diffinitivam Sententiam, liceat appellare, nec Appellatio, si fuerit commissa, debeat admitti nisi ab Interlocutoria, quæ vim habeat diffinitivæ, vel à gravamine minime concernente negotium principale, quod non possit per Appellationem à diffinitiva Sententia reparari, nullæque causæ appellationum hujusmodi committantur, nisi in Commissione exprimatur, quod Interlocutoria vim diffinitivæ habeat, vel gravamen sit tale, quod in Appellatione à diffinitiva non valeat reparari: alioquin Appellationes & Commissiones in posterum & quidquid inde secutum fuerit, nullius sint roboris vel momenti, Commissionibus Appellationum jam Judicibus præsentatis & exhibitis in suo robore permansuris, in quibus

latis super eisdem Sententiis secundo vel alias ulterius ab eis non liceat appellare: appellantes vero & Appellationes etiam ab Interlocutoriis & gravamine hujusmodi, suo vel alterius nomine prosequentes, si succubuerint ultra expensas, & damna, ad quæ resarcienda de Jure comdemnatus compellitur, XX. Florenis Auri pœna mulctentur.

§. XII.

Postquam in Ducatibus Juliæ, & Montium Praxis præcitatis hactenus legibus è Diametro adversa invalescere cœpisset, atque Subditi eorum à Sententiis interlocutoriis Decanorum Ruralium (qui ex Concordatis jure Tribunalis externi gaudent) quanquam vim diffinitivæ non haberent, atque earum damnum per diffinitivam aut Appellationem à Sententia diffinitiva reparari potuisset, appellare attentâssent, Serenissimus Dux JOANNES WILHELMUS Leges antiquas tum Imperii, tum Ecclesiæ innovavit, atque Subditos suos in futurum ità appellantes sub pœnali 50 Aureorum Florenorum lege coercuit sequentis tenoris *:

* Von Gottes Gnaden Johann Wilhelm Churfürst ꝛc. Thuen kund und fügen hiemit jedermänniglich zu wissen: Nachdem Wir von verschiedenen Stifteren, Landt-Dechanten, Camerarien und Assessoren in dahiesigen unseren Fürstenthumben Gülich und Berg unterthänigst berichtet worden, was maßen die Pastores sowohl, als andere Lands-Eingesessene und Unterthanen mit Vorbeygehung ihrer in geistlichen Sachen vermög des mit Chur-Cöllen im Jahr 1621 getroffenen Provisional-Vergleichs competirender erster Instanz wider die Lands-Privilegia, und altes Herkommen sich ausser Lands zu denen Cöllnischen und Lüttigischen Officialen und Archidiaconen hinwenden, von denen à Capitulis aut Decanis Ruralibus ertheilten Interlocutorie-Bescheideren, quæ vim definitivæ Sententiæ non habent, in vilipendium Jurisdictionis in prima Instantia fundatæ, also gleich appelliren thuen, und dahero demüthigst gebetten, Wir als Landtsfürst gnädigst geruhen wollen zu Conservirung gemelten Provisional-Vergleichs, mithin auch der Landts-Privilegien, und alten Herkommens dieselbe bey ihrer geistlichen Sachen wohl hergebrachter erster Instanz kräftigst zu manuteniren, und die Uebertretere ohne Unterscheid der Personen pœnaliter darzu anzuhalten, daß Wir

solchem

solchem billigen Bitten und Begehren in Gnaden Statt gegeben, und befehlen dannenhero allen und jeden geist- und weltlichen Eingesessenen und Unterthanen in obengemelten unseren Fürstenthumben Gülich und Berg hiemit gnädigst und ernstlich, daß keiner bey Vermeidung unserer Landsfürstlicher Ungnad und respectivè einer ohnausbleiblicher Straf von 50 Goldgülden inskünftig sich mehr gelüsten lassen solle die in geistlichen Sachen wohl hergebrachte und fundirte erste Instanz gemelter Stifter und Landt-Dechanten vorbeyzugehen, weder von ihren Bescheideren, quæ definitivam aut vim definitivæ Sententiæ non habent, ausser Landts zu appelliren, widrigen ohnverhofften Falls Wir die Uebertretere mit obangeregter Straf irremissibiliter anzusehen nicht ermangelen werden, wornach ein jeder sich zu achten, und vor Schaden zu hüten wissen wird. Geben in unserer Residenzstadt Düsseldorf den 26ten April 1704.

Aus Höchstged. rc.

A. Steffani, Abt zu Lepsing.

Jo. Herman Vogels.

§. XIII.

BENEDICTUS XIV. cum adhuc in minoribus esset, atque inter alios Appellationum abusus in damnum grave Ecclesiæ & litigantium ac ordinariorum Judicum invectos deprehendisset quoque, contra Concilii Tridentini Constitutionem (§. X.) & Regulam Cancellariæ præscriptam: *de non appellando ante diffinitivam*, nihilominus appellari, Citationes, & Inhibitiones decerni, novâ, eaque gravissimâ Constitutione pro universali Ecclesia Christi anno 1742 sub initium sui Pontificatûs editâ his abusibus obviam ivit *.

* Bulla extat in *Tom. II. Conc. germ. pag.* 272. Atque, quantum huc spectat, ita statuit: „Ad militantis Ecclesiæ Regimen nullo meritorum nostrorum Suffragio, sed imperscrutabilis Consilii altitudine evocati, inter graves Curas, quas assidue pro nostro munere sustinemus, postrema illa non est, in quam totis Viribus incumbendum esse ducimus, ut graves nimium, diuturnæ, nulloque unquam tempore intermissæ Episcoporum, aliorumque ordinariam Jurisdictionem habentium querelæ adversus majora Tribunalia, atque illa etjam nostræ

Roma-

Romanæ Curiæ propositæ, tandem compescantur. Intimo siquidem animi nostri mœrore, cum in minoribus adhuc essemus, jam diu intelleximus, plerosque locorum Ordinarios conqueri, sensim abusum irrepsisse, quod ad malitiosam petentium suggestionem à Patriarchis, Metropolitanis, S. Sedis à Latere Legatis, & diversis dictæ Romanæ Curiæ Judicibus Inhibitiones sine delectu causæ, & rei, de qua agitur, examine passim concedantur. *Et infra*: Appellationes autem non recipiantur, neque Inhibitiones vigore illarum concedantur, nisi prius constiterit, quod nedum per legitimam personam, & intra legitima tempora vere appellatum fuerit, sed etiam quod appellatum fuerit *à Sententia definitiva vel habente vim definitivæ, aut à gravamine, quod per definitivam Sententiam reparari non possit*: idque per publica documenta, quæ realiter in actis exhibeantur, tunc enim, & non antea judici, ad quem appellatum fuerit, in causa se intromittere, Citationes, & Inhibitiones concedere liceat, dummodo tamen concedantur cum inscriptione tenoris Sententiæ, aut Decreti definitivi, seu vim definitivæ habentis, vel damnum per definitivam irreparabile inferentis; Alias Citationes, Inhibitiones, Processus, & inde secuta quæcunque sint, ipso jure nulla, atque impune sperni possint". Hactenus sapientissimus BENEDICTUS XIV.

§. XIV.

Ex his autem omnibus hactenus deductis, videlicet *a*) Decretis *Concilii Basileensis* à Natione germanicâ acceptatis (§. VI.), *b*) Ordinationibus Recessuum Imperii variis hâc de re editis (§. VII.), *c*) Constitutionibus *Theodorici*, & *Hermanni* Archiepiscoporum Coloniensium (§ VIII.), *d*) gravissimo Decreto S. Concilii Tridentini ad Conatus JOANNIS GROPPERI nostri eximiè perorantis condito (§. X.), nec non *e*) novissimâ Bullâ â BENEDICTO XIV. contra ejusmodi Appellationum abusus anno 1742 ad Ecclesiam Christi universalem directa, ex his, inquam, omnibus evidentissimum est, ac pro Scholis ac Judiciis certissimò tenendum, *quod à Sententiis interlocutoriis Judicum inferiorum aliter appellari non possit, quàm si aut habeant vim diffinitivæ, aut per eas inferatur gravamen per Sententiam diffinitivam, aut per Appellationem ab eâ irreparabile* *.

* Conf.

* Conf. PÜTTERUS in *nova Epitome Processus Imperii* §. 181. ubi docet: *denique nec à diffinitiva solum Sententia, sed etiam ab interlocutoria appellari potest, si modo, aut vim diffinitivæ ea habeat, aut gravamen mediante Appellatione à definitiva reparari amplius nequeat.* MOSERUS von der deutschen Justizverfassung. Erster Theil von Appellationen, pag. 583.: von Interlocutorien, Beyurtheilen, und Bescheiden soll keine Appellation angenommen werden, wenn die Beschwerde durch eine Appellation von dem Endurtheil kann gehoben werden".

§. XV.

Tria porrò ex præmissis necessariâ sequuntur sequelâ: I.) Non audiendam esse Sententiam eruditissimi alias GIBERTI docentis: Ordinationem Concilii Tridentini (§. X.) tantùm loqui de causis in Curia Romana expediendis *, multò minus II.) attendendam esse opinionem FRIDERICI LUDOVICI docentis: deficiente locali statuto à Sententiis interlocutoriis quibuscunque posse appellari **; Neque III.) Legibus prædictis esse consonam communem interpretum Sententiam, qui statuunt: ab Interlocutoriis, quæ directè, vel indirectè Causam principalem respiciunt, quamvis gravamen sit absolutè reparabile, posse appellari ***.

* Etenim Concilium Tridentinum solummodò loqui de causis in Curia Romana expediendis, & Historiæ, & menti Concilii Tridentini repugnat: Proposuit GROPPERUS Patribus in Concilio generaliter abusum Appellationum ab Interlocutoriis. — Rogavit generale Remedium contra illas — Patres quoque generaliter decreverunt, non esse recipiendas Appellationes ejusmodi per Superiores quoscunque, sive Patriarchæ, sive Primates, sive Metropolitæ, & Archiepiscopi extitissent — & si ejusmodi Appellationes sint abusus in Tribunalibus exteris, cur non forent abusus in Judiciis Metropolitarum, & Episcoporum?

** Einleitung zum Civil-Proceß *Cap. XXXIII.* von der Appellation: ubi ait: Nach dem Päbstlichen Recht kann man auch von schlechten Beyurtheilen (non mixtis) appelliren, . . . und an Oertern, wo keine Special-Constitutiones sind, bleibt es bey der Verordnung des Juris canonici. — Hæc inquam, Sententia Authoris a. c. inter

Staatliche Bibliothek Bamberg

Catholicos non ſubſiſtit, nam 1.) ſolummodo foris ſuis nempe Proteſtantium loquitur, ceu liquet ex Verbis præcedentibus: Was NB. unſern Praxin betrift ꝛc.; itaque ad Praxin Catholicorum perperam extenditur; 2.) Proteſtantes Concilium Tridentinum non admiſerunt, itaque inter ipſos viget adhuc uſus Juris canonici communis ſemel receptus *quoad Proceſſum judicialem*, niſi contrariæ adſint Ordinationes locales; Foris autem Catholicorum ſanctiſſimæ eſſe debent Conſtitutiones S. Concilii Tridentini, & Summi Pontificis Benedicti XIV. hâc de re editæ, ac receptæ nec non Concordata Principum à S. Sede apoſtolica acceptata.

*** De hac opinione vide ESPENIUM *J. E. U. P. III. T. X.* ubi ait hanc Sententiam favere iis, qui quæſtiones, & lites æternizare volunt; & ſanè ſi ab interlocutis cauſam principalem directè vel indirectè reſpicientibus indulgeretur appellatio, latiſſima rurſus appellationum abuſibus panderetur via; Etenim vix ullum interlocutum excogitari poterit, quod *per indirectum*, uti loquuntur practici, ad cauſam principalem relationem non haberet.

§. XVI.

Quando autem Leges noſtræ canonicæ ſtatuunt à Sententiis interlocutoriis, vim diffinitivæ non habentibus & gravamen irreparabile non inferentibus, non poſſe appellari, *an ergo ſi non appellatur ab iis, lapſo decendio tranſibunt in rem judicatam?* ℞. NEGATIVE. — Etenim id apertè innuunt Leges Noſtræ, dum prohibitâ quidem Appellatione, volunt Appellatione factâ à Sententia diffinitiva gravamen per Interlocutorias illatum eſſe reparandum, itaque ex Legibus citatis non tranſibunt in rem judicatam, niſi unà cum diffinitiva, ſi ab hâc lapſo decendio non fuerit appellatum; Hâc ratione unà ex parte proviſum manebit contra infinitas Litium ambages, & periculum judicialis æternitatis, alterâ verò ex parte etiam Gravatis ſuccurritur Remedio contra Gravamina per Interlocutorias & diffinitivam illato.

§. XVII.

Tandem pro Coronide Lectori dijudicandum relinquo: an hæc Doctrina: *à Sententiis interlocutoriis, quæ vim diffinitivæ non habent, aut inferunt gravamen per diffinitivam aut Appellationem à diffinitivâ reparabile, non poteſt appellari*: mereatur hanc Cenſuram? *quod ſit Proceſsûs judicialis penitùs ſubverſiva.*

FINIS TOMI PRIMI.

Staatliche
Bibliothek
Bamberg

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Hedderich, Philipp,

Dissertationum Juris Ecclesiastici Germanici Successive Editarum A P. Philippo Hedderich, Min. Conv. Presbyt. Ss. Theol. Doct., Ss. Canonum Prof. P. & O. Consil. Elect. Acad. Assess. Consil. Eccles. Act. & Librorum Censore Ordinario Volumen ...
Bd.: Volumen I.

Bonnae 1783

Bamberg, Staatsbibliothek -- J.e.q.324
urn:nbn:de:bvb:12-bsb11706077-1
VD18 90862074